

www.e-rara.ch

**Briani Waltoni, angli, viri celeberrimi, Biblicus apparatus,
chronologico-topographico-philologicus**

Walton, Brian

Tiguri, 1673

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-9507>

Joh. Drusii proverbiorum classes duae: in quibus explicantur proverbia sacra,

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

JOH. DRUSII
PROVERBIORUM
CLASSES DUÆ:

In quibus explicantur Proverbia Sacra, & ex Sacris Literis orta:
item Sententiæ Salomonis, Allegoriæ, &c.

Opus cùm necessarium *Φιλεργείοις*, tum utilissimum
Theologis & Philologis.

Illustri ac Generoso Domino,

D. GUILIELMO LUDOVICO, Comiti à Nassau, &c.
Frisiæ Governatori, ac Generali Militum Præfecto:

*Nobilissimis, Clarissimisque Viris, Ordinum
Frisiæ Deputatis.*

Ab Oostergoa,

ERNESTO AB AYLVA.
DOMINICO ASYTMA.

Ab Vestergoa:

D. SICKONI A DEKEMA.
D. THEODORICO VOGEL-
SANGIO.

Ab septem Sylvois.

ABELO FRANKENA.
HEPKONI FOCKENIO.

Ab Civitatibus.

SIXTO A SCHELTAMA.
ALBERTO BONERO.
ALARDO JACOBI.

Dominis ac Mæcenatibus suis unice colendis.

CUM Oxoniæ Literas Ebraicas proficerer, quæ Academia est Angliæ, atque adeo totius Europæ ut verustissima, ita celeberrima & Amplissima, Illustris ac Generose D. Comes, Nobilissimi, Clarissimi, Prudentissimi que Viri, accidit ut colligerem Proverbia aliquot ex monumentis Hebræorum. Ea cum descripsissem, & ad Cl. Virum Laurentium Humfredum, tunc Ejus Academiæ Vice Cancellarium, ut vocant, detulissem, non destitit ille me ab eo tempore hortari ut in cœpto instituto alacriter pergerem. Fecit idem Petrus Villerius Theologus ac Philosophus acutissimus, rerumque civilium perquam peritus, quem postea Illustriss. Princeps augustæ memoriæ, Patruus Tuus, Generosissime D. Comes, in partem Consiliorum suorum admisit, & in magno Honore habuit. Ambo insuper de edendis iis quæ tum collegeram per Literas, ut etiam alii, quàm plurimi, quorum Nomina recensere longum esset, mecum egerunt. Agebam tunc annum ætatis vigesimum, aut eò plùs, cum labor noster quadriennii spatio, quo vixi in ea Academia quam dixi, ad justum numerum excresceret Proverbiorum; quæ descripta à multis, nominatim ab integerrimo doctissimoque Viro Luca Peemio, & à multarum Linguarum supra vulgus perito Daniele Dedenio per manus Studioforum ad Lacum Lemanium, in Sabaudiam usque perlata sunt. Ea res fecit ut cogitarem serio de labore meo perpoliando, ac aliquando in communem utilitatem publicando. Sed variis curis impeditus, & fluctibus rerum adversarum tantum non obrutus, cum etiam hæc studia quasi eorum pertæsus abjicerem, & ad jurisprudentiam animum applicarem, parum aut nihil admodum negotium processit. Tandem in hæc loca ab Amplitudine vestra vocatus, & otium natum vestra benignitate quantum ad has res satis esset, itémque Typographum Virum diligentissimum & artis suæ peritissimum, post edita opuscula varia, visum est tandem & Proverbia illa mea edere, ad hoc me inflammante imprimis ex Collegis meis Martino Lydio, Viro undiquaque doctissimo, & Theologo eximio. Quod meum consilium cum ad amicos, qui in Anglia & Batavia, summos Viros, edito Specimine retulissem, maximum cepi fructum laboris mei, cum ipsum gravissimo eorum sensu judicio comprobari. Unus ex iis singulari judicio pietatèque præditus Joh. Taffinus me monuit de ordine, & simul ut sacra à profanis separarem. Cujus judicium secutus, cum quinquaginta foliis, quæ ad eam rem comparaveram, omnia quæ habebam complecti me posse existimassem, in progressu operis comperi, ne ad sacra quidem ea, quæ dixi, folia sufficere. Atque hæc præcipuè causa & ratio cur Profana in aliud tempus distulerim, seorsum edenda, si Deus voluerit, & si sacra, quæ nunc in clarissimo Nomine vestro lucem aspiciunt, vobis Dominis ac Meccenatibus meis non penitus improbari cognovero. Quod ut opto ita futurum planè confido, si munus nostrum ab animo vobis deditissimo profectum, & sub initium anni novi quasi strenæ loco oblatum, si, ut spero, illud æstimave-

ritis, non à viribus meis, quæ exiguæ admodum sunt, sed ab animo illo, quem dixi; vel certè à materia quam continet, quæ hujusmodi est, ut sapientissimi sanctissimi que olim Viri operam circa Proverbia, qualia nunc dō, studiumque suum adhibuerint. In quibus Salomo magni illius Davidis filius, & Sirachides. Quorum ille Regum sui temporis, imò mortalium omnium, vel Divino testimonio, sapientissimus fuit; quem memoriæ proditum dixisse, dum viveret, tria millia proverbiorum. Quod cum de eo Regum historiæ compositor testatum reliquerit, tum liber ejus existat hoc titulo in arcanis Hebræorum literis, divinâ juxta ac humanâ sapientiâ plenissimus: quem ex Ebraicis monumentis conversum, & explicatione meâ qualicumque illustratum, penè integrum in hoc opere transcriptum invenietis. Quod cum ita sit, opinor vos agnoscere argumentum hoc Proverbiorum non plebeium, sed planè regium esse, ac proinde Tibi, Illustris ac Generose, omnibusque Virtutibus ornatissime D. Comes, Vobisque Viri Nobilissimi & Amplissimi, qui ad clavum Reipub. in eminenti & quasi regio loco sedetis, dignissimum. Quocirca opere jam ad finem perducto, nihil prius faciendum mihi duxi, quàm ut illud ad Vos mitterem. Cujus facti causa mihi duplex: Publica una, altera privata. Publica est, quoniam prudentiâ, armisque vestris, ac divina benignitate consecuti sumus, ut de statu hujus provinciæ meliùs in posterum sperare liceat. Magnus ille Princeps, regio exercitu, lectissimoque milite instructus, cui potentissimæ Urbes resistere non valuerunt, ad aliquot munitiones ita impedit, ut cum dedecore inde ei discedendum fuerit. Quid vos? parvis copiis (neque enim magnas alere potest hæc Provincio-la) hostium fines ingressi munitiones eorum alias vi expugnastis, alias deditione cepistis, & in potestatem vestram redegistis. Hæc propria laus anni vestri. Sunt alia, quæ commemorare singula majus quid est quàm quod à me præstari possit, aut etiam expectari debeat. Nam quis ego ut laudes vestras omnes dignè commemorem? Ad privata igitur venio, quibus inductus sum ad hoc opus Nomini vestro inscribendum. Nam à quibus otium meum sustentatur, ad eos otii illius fructum redire æquum erat. Jam verò ad quos potiùs studiorum meorum labores misissem quàm ad vos, qui in summis laudibus hanc maximam habetis, unice quòd literas ameris ac foveatis? Non dabo hoc auribus vestris: verè ac liberè dicam, solos propemodum restare in hac temporum iniquitate Procere Friisæ, qui labentem rem literarum benignitate sua erigant ac sustentent. Quæ sanè virtus, quia foras patet, seque ad doctorum hominum commoditatem, honestissimarumque rerum incrementum porrigit, celebrem maximè hanc Provinciam, laudabilè que apud omnes facit. Accedit ad hæc, quòd sint in vestro numero viri doctissimi, linguarumque peritissimi, qui de meis laboribus judicare optimè possunt, & verò aliquando etiam non malè judicaverunt. Habent hoc literæ istæ, ut eas ament quicumque intelligunt, & non oderint nisi qui non intelli-

gunt, aut earum dignitatem ignorant. Omitto benevolentiam collegii vestri, quam non semel sum expertus, ad eum ut non possim, sine aliqua ingratitude labe, silentio eam tegere aut præterire. Spero autem, quæ estis constantiâ, & erga studiosos literarum, e quorum numero me esse profiteor, propensione, hanc vestram benevolentiam nullo unquam tempore mihi defuturam: Quo uno contentus aliud pro meis immensis laboribus hoc tempore posco aut desidero nihil.

*Clementia Tua & Amplitudinis
vestra addictissimus*

J. DRUSIUS.

~~~~~

J. DRUSII  
AD LECTOREM  
ADMONITIO.

**A**dmonendus es, Lector, Proverbia sacra, quæ nunc adamus, non eodem modo sacra esse, nec ejusdem generis Proverbia. Nam alia sacra sunt propriè, alia impropriè. Propriè sacra voco, quæ è sacris Literis collecta, & ab eorum Scriptoribus usurpata: impropriè, quæ ex iisdem orta. Nam quæ originem duntaxat habent vel ex sacra Historia, vel ex aliquo loco Scripturæ, sacra dici propriè non possunt. In hoc ordine sunt quædam à Judæis usurpata, ut *Misma & Duma & Masfa*: alia frequentantur populo Christiano; quod genus sunt, *Corvus nuncius, Literas Uria perfert, Judæ osculum*. Rursus alia sunt verè Proverbia, alia Proverbia tantum similia. Prioris generis continet magna ex parte Classis prima, ut posterioris altera: in qua sententiæ Salomonis, allegoriæ, metaphoræ, proverbiales loquendi formulæ, denique similitudines sive comparationes. Quibus omnibus Proverbia titulum feci, tum propter cognationem & affinitatem, quam habent cum Proverbiis, tum quia continentur sub nomine Ebraico *משל*, quod Interpretes *Proverbium* reddunt. Eò enim certè respexi cum hæc scriberem. Quocirca & in hunc numerum adscivi sententias aliquot Sirachidæ: quia inscriptio earum talis est apud Ebræos. Cujus rei testis omni exceptione major Hieronymus, in Epistola 125, ad hunc modum scribens, *Fertur & παραγγελος Iesu filii Sirach liber quem Ebraicum reperi, non Ecclesiasticum, sed Parabolæ prænnotatum*. Nam Parabolæ, i. *משל*. Quin vide ipse fragmenta quædam cum Scholiis Ebraicis, hoc titulo *משלי בן סירה*, i. Proverbia Sirachidæ: si modò Ben-Sira idem est cum Sirachide. In qua opinione semper fui, & adhuc sum. Tamen potest fieri ut fallar. Cæterum fragmenta illa vidi Oxoniæ apud Thomam Bodlæum virum præstantissimum, linguarumque Orientalium callentissimum, & suavissimis moribus imbutum; qui nunc in Batavis agit serenissimæ suæ Principis nomine. Cujus consuetudine, & olim incredibilem cepi voluptatem, & nunc experior verum esse, quod is ipse, quem modo nomina-

vi, Sirachides quodam in loco ait, *Vinum novum; amicus novus, quò vetustiora sunt, hoc magis dulcescunt*. Sed ad propositum. Colligebam hæc proverbialia partim anno 1570, partim anno 1580. Nonnulla etiam collegi hoc anno, qui mihi natalis illuxit, quod felix ac faustum sit, 29. Hanc ob causam alibi brevior sum, alibi verbosior, neque stylus ipse sibi ubique par aut similis. Nam nec eadem mihi semper alacritas, nec idem iudicium. Ordinem, quem initio servare proposueram, non servavi. Neque enim potui propter certam causam, quam non commemoro, ne prolixior sim. Quamquam de ordinem nullum servarunt. Quin ordinis vice, si ita videbitur, esse poterit index ad finem adjectus. Erit forsasse, qui objiciet communia quædam cum Erasmo. Hic quisquis est, non aliud responsum nunc feret, quam me sacra omnia dare voluisse, sive apud Erasmus essent, sive non. Nam Erasmus ex professo non tractat hujusmodi Proverbia.

Et tamen si quid vel ab eo, vel ab alio sumpsimus, candidè indicamus. Uti sumus ipsi Apostolico, & collectaneis quibusdam Græcis ex Zenodoro, Suida, & aliis: quorum copiam mihi fecit ex Bibliotheca sua collega mihi pro sua & doctrina & integritate charissimus I. Arcerius Professor linguæ Græcæ; qui versanti in eruditione hujus operis sæpe animum & calcem addidit, cum rædium ejus me caperet. Ad hoc etiam momentum non parvum attulit benevolentia, quam erga me ostenderunt amplissimi, clarissimique Viri, & Juris utriusque Doctores D. Sicko à Dekema, & D. Theodoricus Vogolsangius. Quorum prior ut genere ac nobilitate, ita prudentiâ & multarum linguarum cognitione valde excellit: alter cum Juris scientia Mathematicas disciplinas ita didicit, ut parem in hac provincia vix habeat, & cum doctissimis quibusvis certare possit. His accedat (quando eò delapsa est Oratio) Abelus Frankena non prætereundus propter excellentem doctrinam. Quippe unus optimè intelligit non Latina solum, sed etiam Græca & Ebraica monumenta omnia. Inter hos nominandus quoque N. V. Dominicus à Sytsma, quem pietas amabilem laudabilèque imprimis facit: qui amore linguæ sacræ incredibili incensus gravissimas suas curas quotidie ad eam demittere non gravatur. Nominandus etiam Eco Isbrandi collegii Ordinum à secretis; cui doctrina civilis, & usus rerum, historiæque omnis cognitio autoritatem conciliant in hac provincia longè maximam. Nec fiendus mihi vir eruditissimus Elardus Reinalda, Professor linguæ Latinæ: quo nostra hæc, dum sub prælo fuerunt, nemo aut requisivit sæpius, aut desideravit impensius. Quod reliquum est, Lector, sicubi allucinor, ignosce: homo enim sum. Si quid omisi, exspecta ultimam manum: prima editio est. Si leve aut parvum videbitur quod occurrerit: memento in sacris nihil parvum esse; ubi omnia minima maxima sunt. Verum enim est illud,

*εν ὀλίγῳ ὄλεσα πάντα.*

Valc.

Basilii Homiliâ in Exordium Proverbiorum Salomonis.

Παροιμίαν ὀρίζονται, ῥήμα παρόδιον τετριμμῶν ἐν τῇ  
χρησῇ τῶν ποικίλων καὶ ἀπὸ ὀλίγων ἐπὶ πλείονα ὁμοία  
μεγαληφθῆναι δυνάμειον· παρὰ δὲ ἡμῖν (h. e. in literis  
nostris mysticis, sive in sermone sacro aut Ecclesiastico)  
παροιμία ἐστὶ λόγος ὠφέλιμος μετ' ἐπικρυψέως μετρίως  
ἐκδεδομῆς. πολὺ μὲν τὸ αὐτόθεν χρησίμων περιέχων  
(aliâs παρέχων) ποικίλην δὲ καὶ ἐν τῷ βιάθει ἰνδιάνοισιν συγ-  
καλυπτιῶν.

Theophylactus in Johannem.

Παροιμία ἐστὶ λόγος πλαγίως καὶ ἐπιεκρυμμῶς, καὶ  
τὸ ὄλον παραβολικῶς τι δεικνύων.

Camerarius in Matthæum.

Quæ per aliquas ambages obscurius, aut etiam quâ-  
cumque figurâ à simplice & communi forma orationis  
abducta essent, παραβολῶν καὶ παροιμιῶν nomine appel-  
lantur Græci interpretantes, tale scilicet aliquid signi-  
ficante Ebraico vocabulo. Et p. u. s. i. l. l. o. p. o. s. t. Justinus au-  
tem in Disputatione cum Tryphone, ait, parabolis & fi-  
guris Prophetas pleraque demonstrâsse, occultando in  
illis latentem veritatem, ne facile ab omnibus intelligen-  
rentur, utque opus esset ad inveniendum labore & quæ-  
rendi diligentia.

Idem in Johannem.

Παροιμίας, i. Proverbii, nomine in sacris literis signi-  
ficatur qualibet obscurior & quasi deslexa à communi  
itinere oratio. Et Nonni est ἐπὶ παραίτητον, i. figu-  
ratum seu demutatatum dictum.

IN JOHANNIS DRUSII

Proverbiorum sacrorum opus.

Qui Majâ geniti quondam dixisse Salinum  
Fertur Chiliadas, optime Erasme tuas,  
Qui que λογοθήκην has extulit esse Minervæ.  
Te summâ affecit laude, librûmque tuum.

Quippe velut cæcis aurum gemmâsq; latebris  
Terrai eduxit maximus ingenio :

Atque acri penè infulsum sale conspersisti  
Sermonem, ut cuivis gratior esse queat.

Dignus es idcirco sanè cui laurea detur,

Et statua è Pario marmore fusa micet.

Sed quantò virtus fulvo pretiosior auro est

Et Deus humanis præstat imaginibus;

Sic divina suo proverbja jure profana

Vincunt, ac multis passibus anteeunt.

Namque animos formant, & sanctis moribus addunt,

Solâque post cineres cum pietate manent.

Ergò quâ, DRUSI, te dignum laude vehemus,

Qui sacra è sacris fontibus illa legas?

Qui rem tentatam perpaucis hastenus, atque

Desperatam ad eò perficis egregie?

Maeste animo ac virtute piâ, clarissime DRUSI;

Sic meritò studiis alter Erasme eris.

Non statua aut laurus deerit : sed te immortalis

Floribus æternis servia plexa manet.

JO. Arc. Theodoretî Fri.

Ἄλλο.

Ἡρξάλο συλλεγέμεν πολὺ δωρος ὁ δεῖνα μετ' ἄλλης  
Θρυπῆτων λογίων παῦρα παροιμιακά.  
Συνελέεσεν δὲ γ' ἐπειὰ θελήσατο δῖος Ἐρασμος  
Πάμποδοι τ' αἴλοιο ἴσο πόθησαν ἐλεῖν.  
Ἄλλὰ ἰάξοφάδει μέχρι νῦν ἀμελημένα ὄφνη.  
Κ' εἰδὲς ἐπιλογίμων τιγέμεν ὦν ἐθελεν.  
Ἐχάλα περιίδες ἴον Δρεσίον ἔρνος Ἀθῆνης  
Δώκαλε, ἦ γλώσση Φαιδρὸν ἐόντ' ἱερῆ.  
Ὅς ἰὰ παρ' Ἑβραίοις ἀγίοις τε γράμμασι πάντα  
Σωρέυσας ζαθέω ἐκθέλο ταῦτα πᾶνω.  
Εἰ δ' ἀναγνῆς Φιλέεις, ὡς ἐκός, τ' ἀνδρὸς ἰδρωτῶν  
Ἡμῶν καὶ νυκτὶ τῆς χαριέντας ἔτλη.  
Εἰ πὲρ ἐμὴν Φιλόμασε τόπερ μεῖζον, τὸ θέμεθλον  
Ἡ καλαεῖα κλοθεταί, ἢ κολοφῶνα ποιεῖν;

Ἰω. Αρκ. Θεοδῶρ. Φρι.





JOH DRUSHI

# PROVERBIORUM CLASSES DUÆ: LIBER I.

I.

*Ut Nimrod potens venatione coram Domino.*

**P**ROVERBIA sacra (nam de iis, volente Deo, primùm agemus) auspiciati visum ab eo quod habetur Genes. 10. 9. *Is erat potens venatione coram Domino, propterea dici solet, יהוה לפני ציד* Sicut Nimrod potens venatione coram Domino Vulg. Interpres, & erat robustus venator coram Domino: ab hoc exiit proverbium, *Quasi Nimrod robustus venator coram Domino, i. ציד*. De eo dici poterit, qui multùm se venatu exercet. Re- & ius accommodabimus in tyrannum præpotentem sui que imperii fines producendi cupidum. Talis enim fuit Nemrod sive Nimrod (utro modo scribas hylum non interest) uti apparet ex v. 10. ejusdem capituli. Metaphora ducta ex eo quod sicut fera in venatu, sic homines in bello capiuntur, jugulentur. Sed cur additum est, *coram Domino*? An ad augendum crimen? nam, ut inquit Cæteranus, *crimen solet gravius estimari, si commissum sit in spectante Prætoris*. An verò quod religionem lularer, quò facilius populo imponeret, & affectatæ tyrannidis suspicionem vitaret? An potiùs hoc pertinet ad amplificationem virium & potentia ipsius? quemadmodum Ninive dicitur, *civitas magna Domino*. Sic vocatur *justus coram Domino*, qui est insigniter justus, vel etiam Divino approbante testimonio. Abenezra scribit eum strenuè venatum fuisse feras, easque postea Deo immolavisse, ac propterea dici fortem in ejus conspectu venatorem.

II.

*Isti sunt potentes illi, qui fuerunt olim viri nominatissimi.*

**P**ROVERBIUM fuit, ut ait Moses Gerundensis, post tempora Diluvii, quo utebantur cum viderent homines immensam ac inusitata magnitudine, quales erant gigantes illius ætatis, de quibus lectum Gen. 6. 4. *המה הגבורים אשר מעולם אנשים*, *Isti sunt potentes illi, qui à seculo viri nominis*. Latine, *qui olim viri nominati, aut celebres*. Cæterùm à Chaldæis gigantes גבור *gigas*: dictus ita à robore corporis; eo enim cæteris hominibus antecellebant gigantes, quos Moses ibi נפילים *Nephilim* appellat, vel quod à pietate defecissent, ut si apostatas eos dicas interpretans; vel quod percellerent reliquos homines, terrorem incutiendo propter vastam & horribilem magnitudinem.

III.

*Dominus in monte videbitur.*

**היהוה יראה בהר** h. e. *In monte Jehovah videbitur, sive apparebit*. Quidam vertunt, *in monte Jehovah providebitur* (*Jehova accipies in patrio casu. In monte, i. suo loco & tempore.*) Non sperno: nam videre eo sensu ponitur in illo, *Dominus sibi videbit pecus ad holocaustum filii mei*. Adagii origo ex eo quod Abrahamo contigit filium immolaturus: historia nota est. Monet aurem in calamitatibus rebùsque perplexis ad Divinam Providentiam recurrendum esse, quando exitus alius nullus apparet. Quocirca eo uti poterit, qui volet se ipsum aut alium periculo affinem in spem de bonitate & auxilio Divino adducere, Gen. 22. 14. *Abraham autem locum illum nominavit, Jehovah videbit; unde dicitur hodie, Jehovah in monte videbitur*. Ad hæc verba Nicolai glossa est non rejicienda. *Unde usque hodie dicitur, h. e. in proverbium deductum est; & mox, quando enim Judæi sunt in angustia constituti dicunt, In monte Dominus videbit, i. sicut in monte vidit afflictionem Isaac, eum liberando, sic nos liberabit*. Hieronymus his consonans in libro de Quæst. Ebraicis ita scribit, *Providet* (ita verus ed.) *in Ebræo scriptum est videbit; Hoc autem apud Ebræos exiit in proverbium, ut si quando in angustia constituti sunt, & Domini opiant auxilio sublevari, dicant, In monte Dominus videbit, h. e. sicut Abrahami misertus est, ita miserebitur & nostri, videbit, i. יראה*: crederem hoc modo legisse Hieronymum, nisi in Glossa ordinaria, ubi hic locus adducitur, perspicue scriptum esset, *videbitur*: quanquam in margine illius Glossæ, *aliàs videbit*. In Medras Aggada referente Jario Ebræo, *Dominus Israël propitius erit, eumque à pœnis liberabit: proinde dicitur seculis & ataribus venturis, In monte Dominus videbitur, &c.* ex Scholiis Jarii adh. I. Augustinus De Civ. Dei l. 16. c. 32. *Deinde arte illo immolato pro Isaac filio suo, vocavit, ut legitur, Abraham nomen loci illius, Dominus vidit, ut dicant hodie, In monte Dominus apparuit sicut dictum est, Nunc sciri pro eo quod est Nunc sciri feci; ita hic, Dominus vidit, pro eo quod est Dominus apparuit, h. e. videri se fecit*. Ludovicus Vives admonet manere adhuc hodie idem Proverbi in Hispania, non omnino, inquit, ut apud Ebræos, nec omnino sicut hic Augustinus interpretatur, sed mediâ quâdam ratione, *Deus videbitur, quasi exeret & ostendet vim suam*.

IV.

IV

*Ex comedente Cibus, ex forti prodiit dulcedo.*

צא מאכל יצא ומעו יצא מתוק *ex edente exiit Cibus, & ex forti exiit dulcedo.* Non est Proverbum, sed ænigma, cujus explicationem invenies. Jud. 14. Nos inter Proverbia recensuimus imitatione Salomonis, qui sub generali vocabulo משל etiam ænigmata comprehendit, præsertim cum, Autore Fabio, *ænigma nihil aliud sit, quàm obscurior allegoria seu tentia est, ex leonis corpore prodiisse examen apum cum melle.* Vide Jud. 14. 9.

V.

*An etiam Saul inter Prophetas?*

Num & Saul inter Prophetas? דעי כנביאי Dicitur convenit ubi quis Dei spiritu impellitur ad præstandum aliquid præter expectationem, aut si quando aliquis repente mutatur in virum alium velut si obscurus quispiam homuncio subito fiat Clarior, aut infimæ fortis homo ad summum altissimumque dignitatis gradum evehatur: vel si è vulgi facie imperitus idiota protinus evadat ecclesiastes. Licebit quinetiam uti ἐπιφανής de homine rustico impositivo, qui tantum sibi arroget quantum peritus sacrarum literarum Interpres. Natum ex historia quæ refertur 1. Sam. 10. 11.

VI.

*Ab improbis prodit improbitas.*

מרשעים יצא רשע *Ab improbis exit improbitas.* Significat mala à malis proficisci, quod Græci dicunt ἄρετης ποιεῖ ἔργα ἀδυνα, & Assertor noster, *Mala arbor malos fructus profert.* Citatur Proverbii nomine 1. Sam. 24. 14. ubi David egressum è spelunca Saulem sic affatur, *Judicet Dominus inter me & te, & ulciscatur me Dominus de Te; non enim manus mea erit contra Te, quemadmodum dicit Proverbum antiquum, Ab improbis egredietur improbitas: certè manus mea non erit contra te: Horum verborum hic sensus est: Non est quòd à me tibi metuas: ego tibi manus non injiciam. Siquidem, ut veteri proverbio dicitur, improbum facinus ab improbis patrari solet. Viri boni suum dolorem non ulciscuntur, Deo ultionem relinquunt. Judicet ergo ille inter nos, teque mihi ulciscatur: ego certè non inferam tibi manus, nec me regia cæde inquinabo. Liber adducere aliorum quoque interpretationes. Igitur in scholiis Camii Ebraei Viri doctissimi reperio, quæ si Latinè interpretemur, hanc sententiam continent; *Ab improbis manat improbitas, quæ eos consumit ac perdit: quasi dicat, Perdet te tua perversione; certè ego non iniiciam tibi manum, quoniam aliunde tibi immi, net calamitas. Aut expositio est, A sceleratis prodiit sel us. Nam ut animum habent impium, & sceleratum ita impiè & sceleratè agunt, animo de actionibus testificante. Sic ego novi animum tuum, quem habet immitem misericordemque, ut actum sit de me si in tuas incidero manus, absit tamen, ut quia talis es propterea tibi vim adferam.* Hæc ibi, In Scholiis verò, quæ*

margo libris Venetianis Jesajæ cuidam attribuit, lego, *à sceleratis proficiscitur scelus, in quo scelere corrumpunt & impingunt.* Denique Salomonis Galli (Iarium vocant) Scholion ab his diversum exstat in iisdem libris hæc sententiâ; *Deus ulciscetur operâ alicujus improbi, non meâ. Consuevit enim Deus laudandus parare improbum, abs quo alter illi similis trucidetur.* Cui concinit glossa Nicolai, qui sic scribit, *Hoc Proverbio utebantur, quando Dominus per aliquem malum sumebat vindictam de alio pejore, aut aequè malo.* Sed vide, si libido, Eras. Chil. 1. Cent. 9. Adag. 26.

VII.

*Cæcus & Claudus non intrabunt adem.*

עור ופסח לא יבא אל הבית *Cæcus & claudus non intrabit adem; h. e. templum, aut domum hanc h. e. arcem Sionis.* Nam de ea ibi sermo. Jonathas interpretatur, *Peccatores & debitores non ingredientur adem.* significat improbos non ingressuros domum Dei, i. regnum Cælorum. Cæci, scilicet in via justitiæ: h. e. peccatores, ita dicimus, *Cæcus cæcum ducit.* Nam teste Salomone, *via improborum est quasi caligo, nesciunt, quò impingant.* Claudi propriè qui ambigua sententiâ nutant, & in dubio sunt, quam religionem potissimum sequantur, juxta illud, *Quousque tandem in duabus istis cogitationibus claudicabitis.* Hæc adduximus pro Jonath. Nam Ebræa valde controversa sunt. Locus est 2. Sam. 5. 8. quem sic Latinè reddas, *Quisquis percussit febusæum, & pertrigerit ad canalem, & claudos, & cæcos exosos anima Davidis: (Hic aliquid recitetur, puta præmium accipiet, aut militia princeps erit, aut tale aliquid) propterea dicunt, Cæcus & claudus non intrabit adem.* Recentior interpretatio, eò quòd dixissent cæcus & claudus, non ingredietur hanc domum. Secundum hanc distinctionem & interpretationem nullum erit adagium. Erasmus tamen inter Adagia recensuit, quem te adire cupio. Tertullianus adv. Marcionem l. 4. c. 36. *Davidem in recuperatione Sionis offenderant aliquando cæci resistentes, in figuram populi proinde cæci non admissuri quandoque Christum filium David.* Mihi adhuc aliqua tenebræ in hoc loco, ut affirmare aut statuerenihil ausim.

VIII.

*Qui interrogant, interrogent in Abela.*

2. Sam. 20. 18. *Sermo dicebatur in veteri Proverbio, qui interrogant, interrogent in Abela, & sic proficiebant.* Verba hæc adduxi ex ed. vulg. cujus author sensisse videtur cum iis, qui existimant proverbium hic citari, quo admoneatur Joabus rem magni momenti; cujusmodi est, civitatem obsidere, quæ nihil offenderit, non temerè nec inconsultè suscipiendam esse. Conjiunt ex ea urbe aliquando datum fuisse prudens responsum, indeque proverbii originem manasse: alii dicunt Abela fuisse viros sapientes summique consilii, quos reliquæ civitates in rebus gravioribus consulebant. R. Jesajas scribit *Abel fuisse Urbem magnam ac celebrem, ad eamque primum mitti solitos, qui regis edictum in cæteris postea oppidis recipiendum, in ea promul-*

*mulgarent.* Sed hæc omnia idoneo testimonio carent, ac proinde incerta sunt. Ebræa sic habent דבר ירברו כדאשו נה לאמר שאול ישאלו באבל וכו' התמו h. e. ut verbum verbo reddamus *Loquendo loquebantur initio dicendo, Interrogando interrogent in Abel, & sic perficiebant.* Plerique interpretum, in queis & Jonathān Chald. Paraph. referunt ad id quod scriptum est Deut. 20. 10. *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem, &c.* Ex cujus legis præscripto debebat Joabius prius pacem offerre Abelianis, quàm eos strueto aggere oppugnaret. Quod quia non fecerat, mulier id ei in mentem revocat, & quasi officii admonet, docens non oportere, ut quicquam in obsidionis negotio, ante factam de pace inquisitionem perficiatur: vel certè rem ipsam facillè confici potuisse, si Joabius, prout lex jubet, pacis conditiones civitati obtulisset.

## IX.

*Aethiops non mutat cutem.*

לֹא יִהְיֶה עֲכוּשֵׁי וּרְרָא, *Aethiops non mutat cutem suam:* vult dicere, nigritudinem cutis. Idem cum illo, Αἰθίοψ ἢ λευκαίνεσθαι. *Aethiops non albescit:* dici solitum de iis, quibus peccandi consuetudo in naturam abiit. Aethiops colore atro est. Hunc colorem, quia ei nativus, nunquam deponit: atque hinc Proverbium *Aethiopem lavat,* de eo qui laborem inanem suscipit, aut id agit, quod naturâ fieri non potest. Sic reperias quos nullâ sapientiâ emendes, nullâ disciplinâ ad frugem adducas.

## X.

*Pardus non mutat maculas.*

לֹא יִהְיֶה נֶמֶר הַכְּרִבְרָתִי מִמַּר הַכְּרִבְרָתִי, *Panthera non mutat maculas suas.* Utrumque reperitur Jer. 13. 23. *An mutabit Aethiops cutem suam, aut Pardus maculas suas? Etiam vos poteritis benefacere, edocti male facere:* q. d. Quemadmodum, juxta Proverbium, Aethiops non mutat colorem suum, aut Pardus maculas suas, ita nec vos mores vestros pravos ac vitiosos, qui omnino assueti malefactis rectè facere non potestis. Ex hoc loco prompsit, ut mihi quidem videretur, Nazianzenus Steliceuticis, ἀρδαλις ἢ ἀποτρεται τὸ καλῶς ἔχειν, ἢ αἰθίοψ τὸ μέλαν, *Pardalis non deponit maculas, neque Aethiops nigrorem.*

## XI.

*Testa cum testis terra.*

חֲרֹשׁ אֶת חֲרֹשֵׁי אֶרֶץ, *Testa cum testis terra:* sub litigat, aut tale quid: q. d. Similis cum simili. Purum purum proverbium, cujus usus ut si quis obscuro homini, ipse clarus, ac celebris, dicat, *Litiga cum tui similibus; testa cum testis terra:* aut si Vir primarius dicat plebejo; *Nulla mihi tecum res est; testa cum testis terra.* Sic interpretatum invenio, Jer. 45. 9. *Ve litiganti cum faetore suo; testa cum testis terra.* Alii aliter explanant.

## XII.

*Qualis Mater, talis filia.*

כַּאֲמֹה בְּתֵרֶיהָ, *Sicut Mater, ita Filia ejus.* De Virginum moribus iudicium fieri potest ex moribus Parentum: *Nam qualis mater, talis filia.* Accidit hoc communiter, καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ut Græci loquuntur. Ergo si pudica mater, verisimile est ejus similem futuram filiam: De impudica verò matre, qualis filia expectanda sit, docet juvenalis Sat. 6.

*Scilicet expectas ut tradat mater honestos  
Atque alios mores, quàm quos habet? utile porro  
Filiolam turpi vetula producere turpem.*

Cæterum *marris* appellatione venit etiam terra sive regio quævis: cujus respectu *filia* nuncupatur hominum coetus, qui eam regionem incolunt. Ergo, ut habetur Ezech. 16. 2. ex Cananæa terra genus & originem duxit Jerosolyma, patre quidem Emorrhæo, matre verò Chettæâ: quam impura sceleratâque filia adedò referebat, ut de ea vulgò jactatum fuerit Proverbium, *Qualis mater, talis filia,* quod citato in loco copiosè & luculenter Propheta exponit: atque etiam v. 44. disertè indicat proverbium esse, dum in Persona Dei Jerosolymam sic alloquitur, *Ecce quicumque adagia usurpat, in te adagium hoc dicet, sicut mater, sic filia ipsius. Filia matris tuæ es tu, quæ respuit virum suum & filios suos; & soror sororis tuæ es tu, quæ respuerunt viros suos & filios suos: mater vestra Hettæa, & pater vester Emorrhæus.* R. David scribens in hunc locum, inquit, *Mater per Metaphoram est terra Chanaan, Filia verò est Synagoga Israel.* Nam Synagoga vocatur filia interdum, ut cum dicimus, filia Jerusalem, filia Sion, filia Edom. Quoniam ergò fecistis secundum opera terra Chanaan, idcirco qui proverbii utitur, is in te hoc proverbium jactabit, *Qualis mater, talis filia.* Hactenus ille. Quòd autem Propheta matrem terram vocavit, in eo quidem arbitror ipsum respexisse ad historiam creationis: nam ex terra omnes conditi sumus. Quocirca communis parens, & mater, omnium nostrum meritò appellatur, μήτέρα πάντων appellat Siracides, c. 40. 2. Quamquam aliæ rationes ad terram ita nuncupandam ipsum movere potuerint. Nam, ut Plinius ait, *Sola terra natos homines excipit, exceptos alit, & editos sustinet.* Novissimè, cum cætera omnia nos deseruerunt, una adhuc complexa visceribus suis, tanquam à reliqua natura neglectos retinet, nunquam efficacius pietatem maternam ostentans, quàm cum sacros nos morte etiam faciat. Non latuit hoc Brutum illum, qui, cum regis adolescentibus responsum esset, eum regnaturum Romæ, qui primus matri osculum dedisset, è navi exiens, simulato casu, terram osculatus esse dicitur; Valer. l. 10. c. 2.

## XIII.

*Pro Uvis labruscæ.*

Proverbium frustratæ spei vel expectationis: quale est, *pro tritico palea:* irem pro thesauro carbones. Jer.

Jes. 5. 2. ויקו לעשות עבבים ויטש באשמים. *expectabat, ut ederet uvas, & edidit labruscas*; de vinea quæ figurabat populum Israel, cum expectaret, inquit, ut faceret bona opera, fecit mala. באשם non est labrusca proprie, sed vitis labrusca uva, quæ Plinio *œnanthe*, i. οὐρανθῆ, & uva taminia dicitur. Nam labrusca est ipsa vitis agrestis, Aliis באשמים declarat uvas malas & fœtidas.

XIV.

*Pro Specie adustio.*

כי תחת יפי, i. *ustio pro forma vel pulchritudine*. Id occinebatur ubi quis deformis evahisset, qui antea magno studio formam coluisset; velut accidit olim puellis Jerosolymitanis cum a hoste Assyrio deportarentur. Nam solis ignibus adultæ in via pristinam formam, quam tantopere coluissent, subito amisertunt. Legitur Jes. 3. 24. ad quem locum R. David, כי nonnulli accipiunt ut significet כוידה, i. *ustionem*. Certè in monumentis doctorum nostrorum, quorum felix recordatio, Rabbi ait, כי תחת יפי, id esse quod vulgò homines dicitant שפרא כואה, i. *pro pulchritudine ustio*. Mentio hujus & inter Syriaca vide.

XV.

*Lateres ceciderunt, lapide cæso extruemus.*

Qui iacturam passi magnas spes animo concipiunt, ut dicant pro rebus amissis altero tanto amplius se recuperaturos aut tale quid, usurpabunt Proverbium, quod habetur Jes. 9. 9. לכנים נפלו וגזית נבנה, i. *lateres ceciderunt, sed lapide cæso edificabimus*. Cæterum proverbium, i. *masal*, esse indicant vel Scholia Camii Ebraica, ut dubitare de eo nemo debeat. Jonathan enarrat. *Principes in exilium abierunt, sed meliores illis substituemus*. Lateres, i. lateritia opera, quæ tam firma non sunt, neque tanti pretii atque ea, quæ lapide cæso, vel, ut alii, lapide quadrato extructa.

XVI.

*Sycomori succisa sunt, Cedros substituemus.*

In eodem loco, שקמים גרעו וארזים נחליף, *Sycomori excisa sunt, sed Cedros sufficiemus*. Jonathan interpretatur, *opes direpta fuerunt, sed pulchriores illis comparabimus*. Nam cedri Sycomoris præstant, vel propter materiam, quæ huic generi æterna. Siccitas enim à putredine illam vendicat, sic aded, ut neque carniem neque vetustatem sentiat: itaque opera ex cedro facta, in maximo pretio habebantur.

XVII.

*Producentur dies, & peribit omnis visio.*

יארכו הימים ואכד כל חזון, *Prorrogabuntur dies, & peribit* (quidam legunt *aut peribit* disjunctivè ut dicant, *Istæ prophetiæ aut longo post tempore aut nun-*

quam evenient,) *omnis visio*, h. e. prophetia. Isto adagio significabant prædictiones Prophetarum in longinqua tempora dilatam iri, simulque irritas ac vanas fore. Poterat usurpari de falsis vaticibus, non minùs piè quàm verè. Sed quia natio contumax, genus Israelitarum, falsò, imò impiè utebatur de veris Dei Prophetis, idcirco Dominus apud Ezechielem prolixè hanc vocem refutans, denunciat propè adesse tempus, quando omnis Prophetia omnèque dictum finem accipiet. Sed præstat audire ipsiusmet verba, prout habentur Ezech. 12. à 22. usque ad finem capituli; *Fili hominis, quodnam est istud Proverbium, ut dicatis, Producentur dies, & peribit omnis visio? Ergo dicito eis, sic dicit Dominus Deus, cessare faciam proverbium istud, neque dicent illud amplius in Israel. Sed & dicito eis, Propè adsunt dies, & verbum omnis visionis. Nec enim erit amplius ulla visio vana, aut lubrica blandaque divinatio in medio domus Israel. Nam ego Dominus loquar: quod loquutus fuero fiet, neque amplius prorogabitur: quia vestris diebus ò domus rebellis, rem & loquar, & faciam, inquit Dominus Deus. Iterum fuit Dominus verbum ad me, in hunc modum, Fili hominis, ecce Israelita dicunt, Visio quam hic videt, in dies multos, & in tempora longinqua ipse prophetat. Propterea dicito eis, sic dicit Dominus, Non prorogabitur amplius ullum meum verbum. Quod loquar fiet, dicit Dominus Deus.* R. David de hoc dicto scribit in comment. suis, tametsi sit מליצה; nuncupari nihilominus משל, i. e. adagium, sive Proverbium, propterea quòd omnibus continenter esset in ore non secùs quàm adagia, quæ vulgi sermone perpetuò iactantur, frequentantur.

XVIII.

*Veh accumulanti non sua.*

Scriptum habetur Hab. 2. 6. in cod. Ebraeis עילי שאלו: quæ verba admittunt & hanc interpretationem, *de eo proverbium tollent*, ut proverbium fuisse intelligamus quod mox sequitur. הוי המרבה לא לו *Va ei qui multiplicat non sua*. Id olim iactabatur in Nabuchodonosorum Regem Assyriorum, qui ex spoliis Orientis magnam vim auri & argenti conflaverat. Afficitur autem ibi aurum & argentum luti vocabulo (*Va ei qui aggregat penès se densum lutum*) eò quòd metalla è luto, h. e. è terra, effodiantur. Cæterum hujus Proverbii meminit etiam Polydorus. Quo licebit uti quoties significabimus damno aut exitio ei fore, quod quis vi aut fraudibus de alieno sibi parat. Quæ sententia Sophocli expressa his verbis,

Ὀὐκ ἐξ ἀπαντος δεῖ το καὶ κερδαίνειν Φιλῆν  
Ἐν τῶν γὰρ αἰσχρῶν λημμάτων μὲν πλείονας  
ἄλωμένους ἴδοις αὐτὸν, ἢ σεσωμένους.

i. Henrico Steph. interp.

*Non undecunque lucra gaude querere:  
Plerosque siquidem turpibus de questibus;  
Aufferre damnnum, non salutem, videris.*  
Et Hesiodo, cum ait;

μη κακὰ κερδαίνειν κατὰ κέρδεα ἴσ' ἄτησι ν.

Senfus est, *Ne mala lucra sectare; mala enim lucra aequalia sunt damnis.* Circumfertur & Græcus Senarius, eandem sententiam continens.

Κέρδι & πονηρὸν ζημίαν αὐτὸ φέρει,

*Malum lucrum semper dispendium adfert.* Verba illa לו לא בהלמה quidam transtulit, qui multa parat non sibi: Cur spernam? Hæc interpretatio obscure innuit per rapinam parva cito dilabi, juxta illud, *Malè partum, malè disperit.*

## XIX.

*Edamus & bibamus, cras enim moriemur.*

Hominum, imò porcorum de grege Epicuri proverbium est. Vide Sap. 2. 6. (Jesa. 22. 13.) אכל ושתו כי אכלו מחר quod Latinè versum *Edamus & bibamus, cras enim moriemur.* Græcè autem legitur apud Interpretes, & 1. Cor. 15. 32. Φάγωμεν καὶ πίωμεν αὐριον γὰρ ἀποθνήσκουσιν. q. d. Vivamus suaviter, post hanc vitam nihil nostri supererit: & animâ & corpore simul extinguemur. Ne amittamus ergò fructum præsentium, qui futurorum nullam tenemus. Simile est, *Amici, dum vivimus, vivamus.* Ex eodem fonte manavit,

*Lude, bibas, comedas; post mortem nulla voluptas.* Illorum enim est, ut ait Ambrosius Epist. 82. *cibus ac potibus indulgere, qui nihil post mortem suam sperant.* Vide quæ scripsimus Observ. 1. 3. c. 16.

## XX.

*Perdix colligit, quæ non peperit.*

קורא דגד ולא ילד Duobus modis exponitur. Uno modo sic, *Perdix congregat, quæ non peperit,* h. e. ova non sua, sed aliena, sive ab aliis edita. Alio modo exponitur, *Perdix congregat, sive colligit, ova, sed non excludit.* Cur? quia, ut ajunt, vel à matre pruriente, (Plin. 1. 10. c. 33.) vel à cuculo franguntur. Accidit etiam interdum, ut ipsa prius ab aucupe intercipiatur. Sic Heidelbergenses exponunt. Ultra expositio melior sit, facio, Lector, judicii Tui. Verba Prophetæ sunt Jer. 17. 11. *Perdix colligit, quæ non peperit, faciens divitias absque judicio.* (hoc est, per fas & nefas, sive injustè.) *eum mediâ derelinquent aetate, & tandem erit impiens.* Quæ Jonathan παραφρασεως convertit hunc in modum, *Qualis perdix, qui colligit ova non sua, eaque fovet, verum facti pulli, & exclusi ex illis ovibus, ipsam non sequuntur, talis est omnis improbus, qui comparat opes absque judicio, sive malis artibus, in mediâ aetate deserunt illum, & ad extremum vocatur improbus.* Cæterum proverbii admonet Ambrosius epistol. 48. ita scribens, *Unde in Proverbio est de divite avaro, Qui a perdix iste congregat divitias non cum judicio.* Consule, si placet, adagia Junii. Adi & Observ. nostras lib. 4. cap. 24.

## XXI.

*Quid paleæ cum tritico.*

מח לתבואת הפך, *Quid paleæ cum tritico?* Nihil commune habet doctrina falsa cum vera, Jer. 23. 28. Pro-

pheta qui somnium habet, somnium manet: & qui sermonem meum habet, sermonem meum verè loquatur. *Quid paleæ cum tritico?* Græc. ed. τίδ' ἀχρὸν πρὸς τὸ Σίτον; Latina vetus, *quid paleis ad triticum?* i. אל הכר Jonathan Chald. Paraph. *Sicut differt inter paleam & triticum, sic differt inter improbos & justos.* Paleæ homini alendo profus inutilis est: contra triticum corpori solidum præstat alimentum. Ad hunc modum se habet doctrina Dei. Nam alimentum præbet animæ ad vitam æternam. Quid doctrina Pseudoprophetarum? non tantum inutilis est, sed etiam noxia & perniciosa? quam ideo *avenam* vocat Tertullianus adv. Praxean. Est autem, ut Plinius scribit, *frumenti vitium avena.*

## XXII.

*Patres comederunt uvam acerbam, & filiorum dentes stupent.*

Ezechiel Prophetiæ suæ c. 18. v. 2. commemorat adagium quoddam elegantissimum, sed perperam, imò impiè à Judæis illius temporis usurpatum. Illi enim cum viderent, denunciatis Prophetis, propter majorum delicta horrendas ac sævas ingruere tempestates, cum judicarent se innocentes esse, nec ullius affines culpæ, graviter de Deo conquesti sunt, quasi ille contra jus fasque ageret, pœnas irrogando filiis ob peccata à parentibus commissa. Itaque cum id iniquum esse judicarent, crebris sermonibus proverbium jactabant, *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum stupefunt.* Iniquè profectò, & immeritò, si non aliter se rem habere constaret. Quippe Deus, qui verus est, vel ipsa Veritas, asserit eos non Parentum sed propriam culpam luere. Nisi enim ipsi quoque peccassent, se seque eodem quo Parentes crimine obstrinxissent, nunquam in tot pœnas tantasque calamitates incidissent: *Etenim, ut apud Prophetam eundem idem ait, quæ anima peccaverit, ea morietur. Non filius patris, non pater filii culpam pendet: & suam justitiam justus, & suam impietatem seret impius.* Similiter Jer. 31. 29. *Tempore illo, ait, non dicent amplius Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum stupent. Sed quisque propter iniquitatem suam morietur: omnis homo qui comederit uvam acerbam, ejus dentes obstupescunt.* Potrò adagium Ebraicè ita effertur אבות תקהינה יאכלו בסר ושני הבנים תקינהו Jonathan verò Chaldaicè transtulit לקין חטו וכניא לבנים; quod si Ebraicè interpretetis, sonat אבות תוסאים והבנים ליקים i. patres peccant, & filii vapulant.

## XXIII.

*Scipio arundineus.*

משענת הקנה *Scipio arundinis, vel arundineus.* In Proverbio est de infirmo præsidio: dicimus autem, *Scipioni arundineo inniti, vel, Scipioni arundineo confidere.* Addi solet רצון *quassatus, vel si placet, fractus.* Meo judicio, significat præsidium non modo infirmum, sed etiam periculosum; cui qui fidat, non solum non adjuvetur, sed etiam gravissimè lædatur. Hinc natum, quod

quod in summitate arundinis quassatæ fragmenta quædam existent acuta & aspera, quæ innitentem manum vulnerant, aut humerum, si eis incumbat, perforant & perterebrant. Utitur Rabfaces Regis Assyriæ legatus de Ægyptiis in oratione quam habuit ad Jerololymitanos, 2. Reg. 18. 21. quam orationem omnino iisdem verbis repetit Esajas, suæ prophetiæ c. 36. quæ autem faciunt ad rem præsentem, ea habentur v. 6. *Cui confisus in me rebellasti? Ecce confidis quassato isti arundineo scipioni, videlicet Ægyptio, cui si quis innitatur, ejus manum intrabit, eamque perforabit; talis est Ægypti Rex Pharaon in omnes, qui ipsi confidunt.* Vetus interpres, *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum.* Sic Pagninus, & alii plerique. Quàm rectè ipsi viderint. Siquidem רצוֹן non significat *confringere*, i. שבר: sed minus quiddam, nempe *leviter frangere* seu *quassare*, ut manifestissimè apparet Jes. 42. 1. in Proverbio, *Arundinem quassatam non confringet.* Quæ differentia etsi fortasse non sit perpetua, tamen cur hic debeat confundi, causa nulla est: Saltem ego nullam video. Ezech. 29. 6. *Et cognoscent omnes Ægypti habitatores, me esse Dominum, quia sunt arundineus scipio domui Israel.* Hic, ut vides abest participium *quassatus*. Jonathan in sua paraphrasi supplet, *Canis quoque in Comment. docet subaudiendum esse.* Verùm citra ullam necessitatem. Nam sequitur ecce in contextu, cum te manu prehendent, *frangeris, vel, quassaberis, eisque totum humerum sauciabis: cum vero innitentur tibi, confringeris, & consistere facies eis totos renes.*

## XXIV.

*Canes muti.*

כלבים אלמים *Canes muti.* Competit in eos, qui ignaviter funguntur officio docendi aut concionandi: velut si minister aliquis rardè aut nunquam conciones habeat ad populum, vel si Pastor commissum sibi gregem non tueatur à lupis, h. e. à sceleratis & improbis hominibus. Hoc sensu utitur Esajas de Prophetis, seu Episcopis suite temporis, eos vocans *speculatores cecos*, [ *Cecos*, i. ignorantes; nam cæcitas mentis nihil aliud quàm ignorantia; ] *ignorantes, mutos canes latrare non valentes, jacentes, recubantes, amantes dormire: item canes ingluviosos, seu edaces, nescientes saturitatem, pastores minimè intelligentes, suumque respicientes*, Jes. 56. 10. 11. Sed cur canes? quia scilicet par est ratio canum & Episcoporum. Nam ut hi populum Dei, sic illi pecus custodiunt. Unde *pecuarii canes dicti sunt: quos oportet oves à ferarum injuria defendere, & si conspexerint advenientem lupum, debent eum latratu suo vel fugare, vel saltem prodere.* Quod ni faciant, inutiles existunt suis heris. Alibi diximus nomen *canis* usurpari per contempionem. Id hoc in loco non est negligendum. Nam tales Episcopi, quales meminit Esajas, atque adeo omnes, qui se ita gerunt dissolutè, intemperanter, avarè, annon digni sunt, qui à vulgò tanquam vilissimi canes contemnuntur? Sic in Paulinis, *Cavete canes, cavete malos operarios, cavete concisionem.*

## XXV.

*Viâ quâ venit, eâdem regredietur.*

כדרך אשר בא בה ישוב *viâ quâ venit, eâdem redibit, sive revertetur.* Esajas usurpat c. 37. v. 29. de Senacheribo Assyriæ rege, ut demonstrat cassam & inanem fore expeditionem, quam susceperat in Judæos. Hinc fortasse quod vulgò dicimus. *Revertetur eâ viâ, quâ venit*, cum significamus fore ut aliquis re infectâ discedat, aut frustra in re quapiam laboret. Admonet proverbii vir eruditus in libro troporum Scripturæ.

## XXVI.

*Stultus stultè loquitur.*

נבל נבלה ידבר *Stultus stultitiam loquitur.* De stulto non potest judicari quamdiu tacet, juxta proverbium, *Stultus, dum silet, sapiens habetur.* Quoties verò aliquid aut dicit, aut loquitur, statim declarat qualis sit. Nam sermo animi index est. Quod perinde valet in Sapiente. Scitum illud, *Qualis vir, talis oratio.* Propterea dicebat Socrates adolescenti cuidam, *Loquere, ut te videam:* nimirum judicabat non posse judicium fieri de homine meliùs quàm ex oratione. Legitur hoc sensu, secundùm nonnullos, Jes. 32. 6. ubi Græci, ὁμῶς μωρὰ λαλεῖ, *Fatuus fatua loquitur. Fatuus fatua loquetur.* Hier. Epistol. 85. quæ ad Euagrium scripta. Quod Euripides iisdem fermè verbis extulit, μωρὰ γὰρ μωρὸς λέγει. Affine est, *Effæminatorum oratio quoque effæminata.* Jonathan Chaldaicè transtulit, רשעא רשעא ממלילי *Improbi improba loquuntur.* Nam ut hominis probi proba est oratio; Sic impii sermo ejus moribus confirmis est. Ideò Siracides veteræ he autè orationem quenquam laudemus, quoniam ea demùm homines explorat, perinde ut fictilia vasa explorat fornax, aut sicut culturam arboris ostendit fructus. Eccles. 27.

## XXVII.

*Ova basilisci excludunt.*

ביצי צפעני בקעו *Ova basilisci excluderunt.* Proverbio dicitur de hominibus nequam qui morum pravitate cèu veneno quodam perdunt tum seipfos tum eos qui se illis adjungunt comitesque præbent, aut operâ rpsorum utuntur. Breviter actiones omnes perniciosæ rectè dici possunt *ova basilisci*, quæ comesa mortem inferunt & fora pullum excludunt venatum, qui Ebræis אפעה dicitur. Declarat hoc Propheta Jes. 59. cum ait, *Qui de ovis eorum comederit, morietur: & quod forum pressumque fuerit, excludet regulum.* Cæterùm pro *basilisco* priùs erat apud vulg. interp. *aspis*, id est פתן vel עכשור. Nos hanc versionem certâ causa mutavimus, securi eundem interpreterem, qui Ebræam vocem Jes. 11. 8, & Pröv. 23. 32. *regulum* venit. Nam quòd nonnulli pro verbis illis, *excludet regulum*, qui profectò ex aspidè excludi non potest, repoluerunt, quasi erumpat vipera, parùm nos admodum movet, cum sciamus notam similitudinis in Ebræo nullam esse

## XXVIII.

## XXVIII.

*Telas aranei texunt.*

In eodem loco apud Esajam Prophetam וקרו עכבישין & telas aranei texunt, vel, si placet, texerunt *Telas aranei texere est in re fragili nulliusque usus aut fructus cassum atque inanem ponere laborem.* Græcè ὑφαίνειν τὰ ἀράχνια, ἢ ἰσὸν τῆς ἀράχνης. Duſtum à natura araneorum (ira vocant vestes live telas aranei) quæ, præterquam quod texi nequeant ab hominibus, aded sunt teneræ & fragiles nulli ut usui prorsus inferviant. Hoc significat Propheta per hæc verba, *Telas eorum non erunt pro vestimento, nec ipsi suis operientur operibus: opera eorum sunt inutilia, facinus iniquitatis in manibus eorum.* Potest dici & in eos, qui nimio acumine pollent, & subtiliùs quàm par est locum aliquem enarrant, aut rem quampiam tractant, quo nihil odiosius sapientiæ: Quamobrem, teste Petrarcha, invifam Palladi finxere veteres araneam, *cujus subtile, inquit, opus, ac tenues tela sunt, sed fragiles, nullique usui.* Ait hoc lib. 1. dialog. 7. in, *De remediis utriusque fortunæ.* Babilus hoc sensu usus mihi videtur Hexaem. hom. 1. de Philosophis, qui atomis omnia contineri dicebant, ὄντως ἰσὸν ἀράχνης ὑφαίνουσιν οἱ ταῦτα γράφοντες, οἱ δὲ τὸ λεπτὸν ἢ ἀνυποστάτους ἀρχὰς ἢ ῥαγῶν ἢ γῆς ἢ θαλάσσης ὑποσίδεμενοι. Quæ Latine versa leguntur ab Ambrosio Hexaem. lib. 1. cap. 2 *Judicavit, inquit, quod telam aranei texerent, qui sic minutæ & in substantiva principia cælo ac terris darent.*

## XXIX.

*Torris ereptus ex igne.*

Qui ex periculo aut calamitate aliquâ evaserat, & adhuc squalibat, eum vocabant *torrem*, sive *titionem*, *ereptum ex igne*; quod Ebraicè dicitur אור מצל משה, & Græcè δονὸς ἐξεσπασμένον ἐκ πυρός. Exstat Zach. 3. 2. *Annon iste est torris ereptus ex igne?* de Josua Pontifice maximo, qui ab exilio redux paulò adhuc erat horridior squalidiórque, quemadmodum ex vestitu sordido, quo amictus fuisse dicitur, conijcere licet. Amos. 4. 11. addita est nota similitudinis, *Fuistis sicut titio erutus ex incendio*, i. משרפה & Græcè ἀπὸ κάυσεως.

## XXX.

*Loculi pertusi.*

צרוך נקוב *Sacculus pertusus, aut crumena perforata.* (Hujus proverbii mentio apud Aristotelem œcon.) In proverbio est sicut dicimus, *Vas perforatum, & pertusum dolium.* Sic cribro haurire dicuntur, qui parta conservare non possunt. Legitur Hag. 1. 6. *Qui se locat, locat in sacculum pertusum*: q. d. sine fructu locat operam suam, pecuniâ quam ex mercede colligit dilabente, perinde ac si conderetur in loculos pertusos, unde statim excidat: nam loculi pertusi frustra implentur; quicquid enim injicitur, excidit. Potest legi, *Qui mercedem reportat, aut generalius, Qui quæstum facit, ut sensus sit, Quod quisque vestrum lucrificavit, perinde*

perit, & evanescit, ac illud quod in perforato repositum sacculo, aut funda, inde inaniter dilabitur. Jonathan. *Qui negotiatur, negotiatur infelicitè, ad verb. in maledictionem i. nullo cum quæstu.* Græca editio. ὁ τὰς μετὰ τὴν συνάγαν συνήγαγεν εἰς ἀποδεσμὸν τὸ ἐσπλημένον. Lat. vulgata. *Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.*

## XXXI.

*Afini sepultura.*

קבורת חמור, *Sepultura afini.* Cicero dixit, *insepul-tam sepulturam.* Ubi quis insepultus à feris & bestiis lacerandus projicitur Usurpat hoc proverbium Jeremias c. 22. v. 19. de Joiacimo Josiæ filio, rege Judææ, *sepul-turâ, inquit, afini sepelietur, raptus & projectus extra portas Jerosolyma.* Ad quem locum Hier. in Comment. *Pulcrè sepulcrâ afini dixi sepeliendum, ut aliis verbis significet insepulcrum, h. e. à bestiis avibusque lacerandum.* Hæc enim est afini sepultura. Et R. David homo Ebræus, *sepulcrâ afini sepelietur, vult dicere, Quemadmodum afinus non sepelietur, nec ipse sepelietur. Quanam est sepultura afini? Asinum trahunt, & projiciunt in sterquilinum. Sic trahent cadaver Joiacimi regis, projicientque extra portas Jerosolyma.* Nam extra Jerosolymam mortuus est, cum cum secundo abducerent captivum, nec Chaldaei passi sunt, ut sepeliretur.

## XXXII.

*Pater meus vos castigavit scuticis, sed ego vos castigabo scorpionibus.*

Proverbii formâ dictum, 1. Reg. 12. 14. אבי יסר אתכם בשותים ואני יסר אתכם בעקרבים *Pater meus castigavit vos scuticis, sed ego castigabo vos scorpionibus.* Verba Roboami ad populum. Hoc vult, petitis ut vos mitiùs tractem quàm Pater Salomo: frustra. Si Pater meus vos tractavit duriter, ego vos tractabo multò durius. Scutica genus verberis, ut & scorpio: sed scorpio horribile flagellum erat, & aculeatum, ut putatur; unde quidam pro eo reposuerunt interpretantes, *flagellis aculeatis.* Appellatio à scorpio animante, secundum aliquos interpretes. Nam pungebat acriter scorpionis in morem. Quod testatur his verbis Nicolaus, *Est autem scorpio genus flagelli durissimi, habens in fine chordularum seu catenarum modulos plumbeos, vel ferreos: & ided vocatur scorpio, quia graviter pungit; & quia sicut scorpio pungit caudâ, eam super caput reflectendo, sic extremitas hujus flagelli, in qua est plumbum, vel ferrum, percutiendo reflectitur ab anterioris percutientis super corpus percussis.* Verisimilia his eruo ex codice Ebræo. Nam in eo עקרבים scriptum. Est autem *Acrab* vocabulum ambiguum: nam & *scorpionem* denotat, & est *spina* genus, quæ eodem nomine afficitur. Ebræi existimant eam esse spinam, quæ vernaculâ linguâ nuncupatur *eglenterium*. Porro autem *eglenterium* ex sententia quorundam est rosa canina, quæ Plinio *Sylvestris*. Spinæ fert albas, admodum pun-

PROVERBIA SACRA.

433

pungentes. Credamus ergo potius flagellum illud appellatum esse, vel quod ex spinis hujusmodi confectum esset, vel quod non minus acriter pungeret. In glossa ordinaria notatur; *Scorpio genus est flagelli, sicut & de spinis vel pomariis solent esse virgae nodosae: vel etiam flagellum Saracenorum cum duabus vel tribus virgis, quod habet in summitate plumbeas glandes, alias grandines.*

XXXIII.

*Digitus meus minimus crassior est lumbis  
Patris mei.*

Proverbium esse, ut opinor, nemo negabit, quod legitur in eodem cap. v. 10. *קטני עבה ממתני אבי* *Digitus meus* (Græci reddunt *ἡ μικρότης μου*, & Jonathan, *debilitas mea*, i. pars mei minima debilissima) *minimus crassior est lumbis patris mei.* Cæterum lumbi robur innuunt. Nam in lumbis sedes virium. Est ergo lenius, omnibus modis fortior ac validior sum Patre meo, q. d. pars mei infirmissima (nam in digito minimo nihil aut parum admodum roboris) est valentior robore patris mei. Non dubium quin sit vox arrogantiae ac superbiae plena. Fortè eò respexerunt, quod Salomo ætate etiamnum tenerâ & imbecillâ patri in regnum successit, cum Roboam initio imperii sui annum ageret unum supra quadragesimum, ut scribit Gersonides homo Ebræus: quæ ætas omni corporis parte firmissima ac robustissima est.

XXXIV.

*Lupi vespertini.*

*לופי ערב*, adverb. *Lupi vespera*, h. e. vespertini. In proverbio est de voracibus, insignique cum rapacitate, tum sæ vitia prædicis. Soph. 3. 3. *Judices ejus lupi vespertini: non exossant ad matutinum tempus*; q. d. tam avidè prædam, quam nacti sunt, vorant, ut manè nihil ejus superlit, ut ne ossa quidem reliqua faciant. Fortè vespertinus, quia dona à talibus clamè & in tenebris accipi solent. De lupis Hieron. in Comment. Hab. 1. *Lupi saviores esse dicuntur nocte vicina, & totâ die fame ad rabiem concitari.* Videtur in ea sententia fuisse in qua sunt plerique nostrates cum doctoribus Ebræis, qui existimant non certum genus luporum significari, sed *vespertinos* dici, quod lupi sub noctem prædatum exeant, sicut reliquæ feræ. Quibus nonnihil adversari videtur, quod his lupis tribuitur velocitas, Hab. 1. 6, nisi credamus lupos, cum fame afficiuntur circa vesperam, ut cibo minimè gravatos, leviores esse. Quicquid ejus sit, video alios in genere luporum recensere, quos *vespertinos* sacræ literæ vocant, quos ajunt cæteros velocitate antecellere. Gessnerus in historia animalium hyænas esse credit, quæ *vesperè*, inquit, & noctu grassantur, lupis alioqui similes in multis, sed magis quàm illi astuti, malefici, voraces, atque crudeles.

XXXV.

*Lupi Arabici.*

In dicto loco Sophoniæ, Græca Ecclesia legit, *λύκοι*

*τῆς Ἀραβίας, Lupi Arabia.* Hæc interpretatio, ut se habent Ebræa hodie, stare non potest. Sed sciendum, Græcos olim, cum notæ vocalium abessent, legisse *לופי* i. *Arabia*, cum quidem *לופי* iisdem literis scriptum nomen, sed aliis vocalibus, sit *ἑσπέρα*, i. *vespera*. De lupis Arabiæ mentionem facit Tzerzes in Chiliadibus suis. Theophylactus quoque eorum meminit, scribens velociores esse pardis, Nam quod fortè, inquit, corripuerint, ab his recipi posse, ab illis non posse. Hab. 1. 8. *καὶ ὄξυτέροι ὑπὲρ τῆς λύκος τῆς Ἀραβίας, velociores lupi Arabici.*

XXXVI.

*Auditum pavorem fugiens, in foveam incidit.*

Vel sic, *Vocem pavoris effugit, & decidit in foveam* Quod Ebraicè ita efferas, *נסמקול הפחד ויפל אל הפחת* i. *Fugit à voce pavoris, & cecidit in foveam.* Est autem, insignis allusio (paronomasiam vocant) inter *פחד* *pavorem*, & *פחת* *foveam*, cum unâ tantum literâ extremâ differant. Dicitur convenit, ubi quis ex uno incommodo in aliud majus devenit, ut si aliquis latronum aut ferarum incursum fugiens incidat in avia voragine habentia & præcipitia. Quod genus est, *fumum fugiens in ignem incidit*, Nec dissimile, *dum fugit leonem, occurrit urso*. Nam urso sanè periculosius occurritur quàm leoni, propterea quod leo prostratis parcat. Urso verò ne mansuetacto quidem absque periculo occurritur: est enim animal malignum, cædis avidum ac fraudulentum, quodque subinde ad ingenium redit.

XXXVII.

*Ex media fovea crepsit, laqueo captus est.*

Ejusdem generis est *עלה מתוך הפחת וילכד בפה* *ascendit è medio fovea, & captus est laqueo*; q. d. ab uno liberatus incidit in aliud periculum. Jes. c. 24. vers. 18. *Qui fugerit à voce pavoris, decidet in foveam, & qui ascenderit è media fovea, capietur laqueo.* Est & hic allusio aliqua inter *פחת* *foveam*, & *פה* *laqueum*.

XXXVIII.

*Nihil præter panem quem edit.*

*Nihil præter panem, quo vescitur*; sub. *novit, aut curat.* Ajunt veteribus proverbium fuisse, in eum jactari solitum, qui totus genio indulgeret, rei familiaris curâ alteri demandata. Exstat Gen. 39. 6. de Pharaone, qui omnia sua Josepho commiserat, ita ut ipse nihil curaret præter victum. Verba sunt *לא ידע אתו מאומה* *כי לא ידע אתו מאומה*, *Non cognovit cum eo de re nulla præter panem, quo ipse vescitur.*

XXXIX.

*Fodi, & bibi aquam.*

Proverbii formâ dictum viderur, Jes. 37. 25. *אני פודי ושותי מים* *ego fodi, & bibi aquam*, ut sensus sit, Res omnes, quas aggressus sum, feliciter terminavi; sicut qui puteum fodit, & aquam invenit, nactus exitum

Ggg

tum

tumcum animo congruentem. Ad hunc ferè modum enarrant Scholia Ebraica. Uti hoc proverbio poterit cui cœptum negotium bene & ex animi sententia succedit.

## XL.

*Canem decollat.*

עָרַף כָּלֵב, *decollat canem*, nempe sacrificaturus ipsum. Proverbii specie dicitur, pro rem dereftabilem committit. Nam canis animal vile ac contemptum. Itaque lege vetitum, ne canis pretium ob ullum votum Templo inferatur. Jer. 66. 3. *Qui pecudem sacrificat, canem decollat*, Proverbii usus transferri poterit ad alia, velut si dicas, כָּלֵב אִמּוֹ עָרַף כָּלֵב, *Qui spernit matrem, decollat canem*: אוֹר עָרַף דָּל כָּלֵב *Qui re-nuem opprimit, canem decollat.*

## XLI.

*Porcum immolat.*

וְעֹלָה דָם חֹוִיר, *Vel, Sanguinem suillum offert*, i. Eandem sententiam continet. Exstat in Esajæ loco citato, *Qui offert munus, sanguinem porci*: sub. *offert*: q. d. perinde facit ac si sanguinem suillum offerret. In quo duplex peccatum: Primum ratione sanguinis: nam sacrificia sanguine non fiebant. Deinde ratione suis, quæ inter immunda legis, animal invisum nimis populo Judæo, & omni ulu interdictum, sive propter lepram, ut Philo existimat, cui ejus animantis caro officere creditur; sive potiùs, ut ego cenfeo, propter immunditiam: nam immundissimæ sunt sues ex omni mansuetore pecore. Amant enim perpetuò volutari in luto, quæ est ipsorum requies, ut lavatio hominis, quemadmodum Varro scribit.

## XLII.

*Apud scorpiones habitat.*

*Cum scorpionibus habitare dicitur, qui apud malos degit, aut cum iis conversatur Conversatio talis non est sine periculo. Infirmi ergò caveant, & pravorum sceleratorem devitent, ne mala, quæ frequenter aspiciunt, & corrigere non valent, imitari delectentur. Qui firmi sunt, minùs periclitantur; ideo dicitur Ezech. 2. 6. Tu autem, fili hominis, ne metue istos, quòd refractarii & spina sint, & inter scorpiones habites. De his Gregorius, Bonis, inquit, non nocet cum malis esse corpore, sed mente. Si desit Spiritus, non adjuvat locus. Loth in Sodomis Sanctus exstitit, in monte peccavit: & in Paradiso princeps nostri generis Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exercet: Plura in Scorpiones, Class. 2. lib. 4.*

## XLIII.

*Ovis ad cadem.*

כֶּשֶׁבֶט לְטַבְחָהּ *ovis ad mactationem*. Græcè πρόβαλον ἰπὶ σφαγῆν. Germanum illi, *Bos ad lanienam*. Dicitur

convenit de eo, qui placidè sequitur ducentem ad mortem, sicuti de Christo legimus, Jer. 53. 7. כֶּשֶׁבֶט לְטַבְחָהּ *Sicut parva pecus ad mactationem ductus est*. Ovis enim animal est mansuetum, eum qui ducit facillimè sequens, quocunque tandem ducat, Jer. 12. 3. *Rape eos ut oves ad victimam, sive ad mactationem*. Est similitudo, sed in Proverbii naturam transit, cum ita essetur, *Ovis ad victimam*. Tale est, *Canis ad vomitum*: quod apud Salomonem legitur, *sicut canis ad vomitum*. Neque enim quia comparationis nota adjuncta, ideo proverbium non est, cum Apostolus Petrus disertè dicat proverbium esse.

## XLIV.

*Leonem fugiens occurrit urso.*

יָנוּס מִפְּנֵי הָאֵרִי וּפְגָעוּ הָרֶב *Fugit leonem, & occurrit ei ursus*. Ubi quis ex uno periculo in aliud incidit. Nam urso periculossimè occurritur, maximè si orbis, aut famelicus fuerit. Græcè exstat apud Interpretes, Φεύγει ἀπὸ τοῦ λέοντος, & ἐπιπίπτει αὐτῷ ἢ ἀρῖος. Amos. 5. 19. *Heu qui expetitis diem Domini. Quorsum vobis tandem dies Domini? quic aligo est, non lux: ut si quis fugiat leonem, & occurrat ei ursus, aut cum domum venerit, & manum suam parieti applicaverit, mordeat eum serpens*. Sensus est; Non est cur cupiatis diem Domini, qui vobis tristis & calamitosus erit, non lætus. Si quidem varias eo die accipietis calamitates. Una enim alteri continuò succedet, & domesticum malum externo superveniet. Sumpsum ab iis, qui iter faciunt per sylvas vastasque solitudines, vel ab iis qui loca inhabitant feris frequentata, qui dum leonis ferociam effugiunt sæpe incidunt in rabiem urfi: cui sanè periculosius nonnunquam occurritur quàm leoni; nam leo nisi in magna fame hominem non invadit; ut usurpari etiam possit de iis, qui ex minori incommodo in aliud majus devenerunt. Quod genus est apud nostrates, *Dum fugit pluviam, cecidit in lacunam*. Vide quæ scripsimus ad proverb. *Auditum pavorem fugiens, in foveam incidit*: superadag. 36.

## XLV.

*Pascit cinerem.*

רָעָה אִפְרָי *Pascit cinerem*. Reperitur Jer. 44. 20. de eo, qui fabricat colitve idola. R. David explicat, *Versatur circa rem nihil profuturam*. Quidam reddunt *pascens cinere*, i. באפר ut sit paraphrasis deorum falsorum, nihil præter luctum & calamitatem importantium. Interpretes nonnulli, *Pascit cinerem*, h. e. frustra laborat. Sanè quidem *cinere vesci dicitur*, qui in luctu & squalore est: hoc sensu legimus Thren. 3. 16. *cibavit me cinere*. In Scholiis R. Salomonis hæc referuntur, *Qui se sociat cineri, h. e. idolo*. Sic dicimus רָעָה זֹנוֹת *qui se sociat meretricibus*. Porro autem idola cinis vocantur, quia ferè ex materia fiebant, quæ in ignem conjecta, statim in cinerem resolvitur.

## XLVI.

XLVI.

*Ventum pascit.*

רוח רעה *Pascit ventum.* Quadrat in eum, qui frustra in aliqua re laborat, aut in eum, qui versatur circa rem nihili, cuiusmodi erant simulacra Genrium, Apostolo μάταια dicta, quæ Moses eandem ob causam appellat כחליט *vanitates.* Ea igitur cum coleret Ephraim ut significaret hoc Propheta, & simul ut ostenderet ipsum operam omnem perdere, quam in eorum cultu impenderet, ait Hof. 12. 1. *Ephraim pascit ventum.* Jam vero nihil vanius aut inanius est hominis: itaque legimus Prov. 9. in Græca versione, ὁς ἐπέδελαι ἑυδελαι. ὁστος ποιμαίνει ἀνευς, *qui mendaciis nititur, hic ventos pascet.* Huc refer ex Ecclesiaste Salomonis רעות רוח Quod doctissimus Abenezra sive Abenazra (sic olim legebat Paulus Episcopus) interpretatur, *passio venti, de re plena vanitatis; unde nulla manat utilitas, nullus percipitur fructus, velut si quis levi aurâ se ipsum pascat.* Paulò aliter apud Latinos autores *Vento vivere* dicitur, qui minimo sumptu vivit.

XLVII.

*Eurum sectatur.*

רוח קדים *Consectatur Eurum:* rem scilicet tum inutilem tum etiam noxiam ac perniciosam. Nam *Eurus,* autore Camio, est *ventus vehementissimus qui quoties flat, damnum & cladem hominibus importat.* Ex quo is, qui illum persequitur, non solum operam & oleum, ut est in proverbio, perdit, laborèmq; inanem sumit; verum etiam incommodum ac detrimentum accipit. Simili ratione absque ullo suo fructu contrahunt sibi exitium, qui deserto vero Deo cultum extraneum consectantur. Hof. 12. 1. *Ephraim pascit ventum, imò sectatur Eurum.* Affine est, *Ventum persequitur.* Huc refer, *Pectus habet plenum Euro:* quod alicubi diximus competere in eum, qui turget cognitione rerum inutilium: addi velim, & noxiarum: vel atque adeò noxiarum.



JOH. DRUSII

PROVERBIORUM  
CLASSIS PRIMÆ:

LIBER II.

I.

*Pellem pro pelle, & quicquid habet homo, dat pro anima sua.*

**I**Nter eas res, quas charas habemus, primas sibi vendicat vita: pro qua vel tuenda conservandave nullum periculum reformidamus; vel redimenda, nihil non libenter expendimus. Hoc significabant vetustissimo illo verbo, quo usus Satan, Job. 2. 4. עור בעד עור וכל אשר לאיש יתן בעד נפשו *Pellem pro pelle, & quicquid est viro, dabit pro anima sua,* h. e. pro se ipso, vel pro vita sua. Licebit usurpare ut doceas, nihil debere esse prius animâ propriè dictâ, cum ea sit hominis pars potior & honoratior, vel potiùs ipse homo. Non enim, ut rectè scriptum est apud Ciceronem, *homo is est, quem forma ista declarat: sed mens cujusque, is est quisque, non ea figura, qua digito monstrari potest.* Itaque pro ejus salute vit pius non dubitabit ipsam adeò vitam profundere.

II.

*Qui timent pruinae, irruet super eos nix.*

*Qui timent pruinae, irruet super eos nix.* Versus est proverbialis in vulg. versione Lat. Job. 6. 16. con-

tinens hanc sententiam, qui hæc vel illa mala vitant, in alia graviora incurrunt. Qui ne bona sua perdant Deum abnegant, irreparabilem animæ suæ jacturam faciunt. Qui ne facultates minuantur supersedent benefacere proximo, incidunt in pœnam à Deo hujusmodi hominibus constitutam: hoc modo Nicolaus enarrat. Nive aliquando viatores vivi obruuntur, ut in Westphalia, & in iis locis ubi nix copiosa, & crebri montes. Licebit uti quando quis vitans superstitionem in atheismum, quæ est Divinitatis abnegatio, incurrit, transiliens in medio sitam pietatem. Sic Demea apud Terentium ex moroso & sordido factus comis nimium ac prodigus, *dum fugit pruinae, in nivem incidit.* Hujus generis sunt apud alios Autores;

*Fumum fugiens in ignem incidit.*

*Evitat à Charybdi in scyllam incidit.*

*Cinerem vitans, ne incidat in prunas.*

*Dum fugit pluviâ, cecidit in lacunam.*

Quod postremum è vulgo haustum: cætera invenies inter Etalimica.

III.

*In auris aurea in rostro suis.*

נקים זהב באף חזיר *In auris aurea in rostro porci, vel suis* נקים propriè ἐνώπιον. Sed hîc sumitur pro eo, quod

Ggg 2

quod Græci ἐπιρρίνιον vocant, quod est ornamentum ad nasum appendens. Salomo admonet jactari solitum in formosam meretricem. Quod declarant hæc ipsius verba, Prov. 11. 22. *In auris aurea in rostro suis, est mulier pulchra, eademque infalsa*; h. e. impudica, vel insipientis. Proverbium natum ex natura animantis. Est enim, ut ait Vates, amica luto fus. Itaque si ἐπιρρίνιον aut anulum aureum in rostro gesserit, fœdè illum commaculat & conspurcat, cœnôque ac fimo immergit. Hanc consuetudinem refert mulier eximiâ facie, cum formam, quâ excellit, palàm ad omnes libidines divulgat. Tanti refert, ut cum liberali specie sint conjuncta castitas, & morum integritas.

## IV.

*Qui foveam fodit, in eam cadet.*

Prov. 26. 27. *Qui cavat foveam in eam cadet.* Cohemoth 10. 8. *Qui fodit serobem, in eum corruet.* Sirach. 27. 29. *ὁ ὀρύσσων βόθρον, εἰς αὐτὸν ἐμπεσεῖται.* Foveam fodit, aut cavat, qui alteri exitium struit: nec refert vi ac palàm id faciat, an dolo & clam. Propriè tamen dicitur de occultis insidiis: nam sumptum ab iis, qui foveas cavabant capiendis feris, quas ferè frondibus tegebant, aut ramis arborum. Quod si occultæ insidiæ exitio sunt auctori, quantum magis aperta? Nam eas cavendo facilius declinare possumus, occultæ opprimunt priusquam sentias. Sed nihil Deo occultum, qui facit, ut, quod improbè aliis molimur, id in nostrum caput recidat.

## V.

*Qui volvit saxum, ut in ipsum recidat.*

*Qui provolvit lapidem, in ipsum revertetur.* Qui furtum versus, puta in montem, aut collem aliquem valde acclivem, devolvit saxum aliquod, id saxum in ipsius caput revertet. Malum in autorem recidit. Justissima lege talionis quod quisque facit alteri, id patitur. Seneca lib. 10. *Declamationum, sunt dii immortales lenti quidem, sed certi vindices generis homani: & magna exempla in caput inventientium regefferunt, ut justissimâ patiendi vice, quod quisque alieno excogitavit supplicio, sæpe excipiat suo.* Exitar. Prov. 26. 27.

## VI.

*Aqua furtiva dulcis.*

*Aqua furtiva dulces sunt.* *Quam hic accipio, ut in illo, Ab aqua aliena abstine,* nempe pro re venerea, ut dicat, Venus furtiva dulcis est. Eadem sententia expressa Pindaro, his verbis, *γλυκὴ τὴ κλεπτομένη μελίμημα κούριδος.* Vulgus nostrum dicitur, *Bucca furtiva suaves sunt.* Poterit extendi ad quævis illicita, juxta illud,

*Γλυκὴ ὁ πόρος φύλακ.* ἐκλελοιπότος

*Dulce pomum cum abest custos. Seneca Oethea, Illicita amantur, excidit quicquid licet.*

*In quam sententiam & Ovidius cecinit:*

*Quicquid servatur cupimus magis, ipsaque furem Prada vocat &*

*Quod licet ingratum est, quod non licet acrisurrit Et nitimur in veritum semper, cupimusque negata.*

Ita enim comparatum est in animis, qui affectibus ducuntur, & huc illuc impelluntur, ut tum demum aliquid ardentissimè cupiant cum cupere vetantur. Pro argumento sunt fœminæurbationibus, plus quàm viri, obnoxia, quæ id solum avidè appetunt, quod prohibetur. Itaque cum antea nescissent homines, quid esset ad fornicem ire, accessit lex; quæ ne iretur vetuit: ea omnes docuit quid illud esset, & prava ingenia impulit ad experiendum quod vetaretur. Solonem refert Cicero Roscium Amerinum defendens, nihil legis de his, qui parentes occidissent, statuisse. Nam cum antea non esset factum, verebatur, ne non tam id pœnâ prohiberet, quàm admoneret lege.

## VII.

*Panis clandestinus suavis.*

*Panis latebrarium suavis, aut jucundus est.* Idem cum superiore. Utrumque reperitur Prov. 9. 17. *Aqua furtiva dulcis est, & panis occultus suavis.* Panis occultus, qui clam & in occulto editur, quòve palàm vesci non licet, h. e. illicitus. Est ergò sensus, quæ non licent gratiora sunt. Huc referri posset, *Si qua latent, meliora putat,* ut tamen latius accipiat, quàm accipitur Metamorph. 1. Porro de re venerea & Siracides dixit Eccles. 23. 24 *Viro scortatori quilibet panis suavis.*

## VIII.

*Canis ad vomitum reversus.*

*Canis revertens ad vomitum suum,* h. e. ad cibum, quem evomit. Salomo interpretatur de stulto, qui suam stulticiam iterat, h. e. qui postquam ad frugem rediit, denuò in pristinam vitam revolvitur, Prov. 26. 11. *Quod canis ad vomitum suum revertens, id est stultus iterans vesaniam suam.* Hoc sensu usurpat Apostolus Petrus, qui etiam indicat Proverbium esse, 2. Pet. 2. 21. *Satius enim fuisset eis non cognovisse viam justitiæ, quàm eâ cognitâ regredi à sancta doctrina ipsis tradita: sed accidit ipsis, quod vero Proverbio dici solet, κύνων ἐπιστρέψας ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέραιμα i. Canis reversus ad suum ipsius vomitum.* Canis cum sit animal vorax, plus aliquando comedit, quàm digerere possit; itaque evomit; sed post levato stomacho, redit ad id, quod evomit. Sic est vita hominum. Multi morbis vexati temperantes evadunt: verum iidem, si convalescant, continuò ad pristinam luxum revertuntur. Nam quos res adversæ emendant, eosdem secundæ ad consuetam vitam retrahunt.

## IX.

*Ait piger, Leo foris est.*

*Dicit piger, Leo foris est.* Utimur appositè, ubi quis causas frivolæ prætexit ignaviæ suæ, Prov. 22. 13. *Piger dicit, Leo foris est, in medio plateæ.*

platearum trucidabor. Rursus Prov. 26. 13. *Piger dicit, Leana est in via, Leo est inter plateas*: q. d. ne cogatur exire ad opus, fingit leones in via grassari & nescio quæ alia pericula, quæ nulla sunt. *Hy soecht veel bytweghen om niet te doen.* Geminum illi, *ἄβρογος ἀνελιογλαῖα*, ignavis semper feria. Homines enim ignavi semper aliquid causantur, quo sint in otio. Fugiunt enim omnem laborem. Quin labor ipsis est supplicii loco. Sic nonnullis studere, torqueri est. Fuci inertes, modò hyems est, modò serenum cœlum: aliquando æstus nimius; interdum caput dolet aut dentes. Breviter, nunquam ipsis deest, quo supinam ignaviam suam excusent. *Semper Leo foris est, & leana in plateis.* Extendi poterit longius ad eos, qui pigri sunt ad bona opera, puta ad audiendum verbum Dei, aut ad publicum jejunium. Cujusmodi erant Christiani illi, de quibus Ambrosius serm. 39. *Quibus cum jejunium indicitur, de intemperie se temporis semper excusant.* Dicunt enim *estivis mensibus, dies longa est, torrentior sol est, siim ferre non possumus, poculis nos refrigerare debemus.* Hyemis verò tempore, grave frigus est, rigores sunt pessimi, algorem tolerare nequimus, escis calefieri nos oportet. Ita homines, quorum animus semper est in prandio, prandendi sibi causas inquirunt: & dum se à jejunio excusant, tempora Crea toris accusant. Dic mihi, *ô delicate Christiane, qui æstum solis jejunando ferre non potes, numquid æstus, quem sustenturus es, torrentior est gehennâ. Numquid hyems, cui retrudendus es, horridior est tenebris? in exteriores enim tenebras abjiciuntur peccatores, ibi erit fletus ac stridor dentium, &c.*

X.

*Ignem in sinu capit.*

*קח אש בחיקו חותה אש בחיקו* *Capit ignem in sinu suo.* Dicitur venit, ubi quis aliquid facit ex quo damnum ac malum accepturus sit; veluti cum quis rem habet cum alterius viri uxore. Nam quemadmodum nemo potest capere ignem in gremio suo, ut non ejus vestimenta comburantur; sic nemo potest alieno toro se immiscere, ut non quàm plurima damna accipiat. *Nam maritus Zelotypus, ut inquit sapiens, nihil parceret tempore ultionis, non accipiet redemptionis pretium, & quamvis multa dones, renuet.* Præterea est Deus in cœlo, qui quæ facimus cunque & audit & videt. Is adulteria nunquam finit impunita. Affine est, *Ignem in sinu fovet*, de eo qui fovet hypocritam, aut adulatorem, aut fictum amicum. Vide Erasmus in adagio, *veste ignem circumfers.* Nec alienum, *Ignem in sinu occultis*; quod accommodabis in eum, qui occultat quod diu occultari non potest. Socrates apud Stobæum, *ἔτε πῦρ ἰματίω περισεῖλαι, ἔτε ἀσχερὸν ἀμάρτημα χροῖνω*, *Nec ignis vestimento occuli potest, nec fœdum peccatum tempore.*

XI.

*Super prunas ambulat.*

*מהלך על הגחלים* *Ambulat super prunas* Eandem sententiam exprimet, qui dixerit mœchum ambulare super prunas. Etenim ut hoc facere nemo potest, quin

suos pedes adurat, ita nemo potest congregari cum uxore aliena, quin se in summum discrimen adducat. Prov. 6. 27. *An capiet quisquam ignem in sinu suo, ut ejus vestimenta non crementur? An ambulabit quisquam super prunas, nec ejus pedes comburentur? Sic qui ingreditur ad uxorem proximi sui, non impune feret, quisquis eam tetigerit; & post paulò, Qui cum muliere adulterat, fatuus est; perdit animam suam, qui id facit. Plagas & ignominiam inveniet, ejusque probum nunquam delebitur.*

XII.

*Anima benedictionis (Latine animus beneficus) pinguescet.*

*נפש ברכה תדשן* *Anima benedictionis pinguis fiet.* Proverb. hoc Salomonis aptari poterit ad omne genus liberalitatis, quoties significabimus fore, ut is qui benignus est erga alios, largam à Deo remunerationem accipiat. Quippe *anima benedictionis* ex Ebræorum idiomatissimo denotat hominem liberalem, largum, munificum: & *pinguedinis* metaphoram divitem, opulentum, qui, ut Terentius loquitur, *in re est lauta & bene uncta.* Sed cur dicit *Anima benedictionis*, & non *Vir benedictionis*? An quia utrumque idem significat? An verò quòd sicut quidam re munifici esse videntur, cum animo sint fordido & avaro, sic nonnulli animum habeant beneficum & liberalem, cum re nihil aut parùm admodum præstent? non quòd animus dissentiat à factis, sed quòd propter inopiam exercere liberalitatem non possunt. Talis fuit vidua illa, quæ in Templi ærarium contulit duo minuta, Christo ad eò probata, ut dixerit illam viduam plurimum omnium contulisse, quamvis cæteri multò majora munera conferrent. *Anima benedictionis* vocatur etiam ille, qui de aliquo bene meretur verbis aut operâ. Nam qui docent alios, qui consolantur, qui prædicant Evangelium, qui dona spiritualia communicant, si id faciant animo prompto ac liberali, percipient ex labore fructum amplissimum ac uberrimum. Itaque in eos quoque proverbialis ista sententia quadrat, *Animus beneficus reddetur pinguior.*

XIII.

*Qui irrigat, ipse quoque irrigabitur.*

*Qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.* Sic vetus Interpretes convertit locum Salomonis, qui est Prov. 11. 25. *גב הוא ירוה גב המרוה* ac si scriptum esset *גב הוא ירוה* In qua sententia video esse quosdam, accipientes pro ירוה, ut sit primùm transpositio, sive metathesis, deinde commutatio literæ ה in ו. Est autem ירוה irrigari, inebriari, seu ebrium esse. Ita ut ebrii nomine intelligatur plenus & satur; non autem temulentus, vinòque avidus. Proinde sive legas, *Qui irrigat, ipse quoque irrigabitur*; sive ut vetus, *Qui inebriat, ipse quoque inebriabitur*, sensus idem erit, nempe, qui docet alios, seipsum instruit; qui benignus est in pauperes, is Deum erga se benignum experietur: qui laborat sedulo in doctrina & sermone, sui laboris feret fructum sempiternum. R. David in libro; ubi dictionum sensa

collegit, vocem ירר deductam à רר accipit in significatione pluviae vernae, hoc sensu, *Qui irrigat, ipse quoque erit pluvia*. Nam quemadmodum pluvia foecundam ac fertilem facit terram, ita vir liberalis pauperes. Sed quomodo pluvia erit, qui irrigat? Quia scilicet, qui benefacit egenis tantum accipiet à Divina bonitate quantum satis est, ut possit abunde, ceu foecunda pluvia, continenter eos irrigare.

## XIV.

*Absque bobus praesepe vacuum est.*

באין אלפים אבוס בר *Absque bobus praesepe vacuum*, h. e. vacuum est. Minus dicit, plus intelligit. Non solum praesepe vacuum est, sed etiam horreum. Nam ubi palea non est, nec frumentum esse potest. Antiquis boum opera in aratione maximè laudata fuit, quòd, quòd iis uterentur multò commodius, minorèque impendio quàm equis. Hoc igitur vult, ubi bos deest, ibi ager coli non potest. Agro cultò & inarato, nec proventus ulli ex eo sperandi. Debet autem extendi longius. Sineficiant ministri, deserta erit Ecclesia; si doctores, Schola erit vacua; si non adsint artifices, erit penuria rerum, quae arte & manu parantur; si neque agricolae, tum ea deerunt, quibus indiget ad vitam sustentandam humana natura: nam sine idoneis operariis nihil omninò consequimur. R. Salomo enarrat, *Ubi non sunt discipuli sapientum, sibi nullum est studium legis*. Exstat Prov. 4. 4. *Absque bobus praesepe mundum est, at copia proventus in robore bovis*.

## XV.

*Ferrum ferro acuitur.*

ברזל ברזל יחד *Ferrum ferro acuit*, sub. homo; h. e. acuitur. Quoties mutuo studio ad rem quampiam, sive ea bona sit, sive mala sit, homines excitantur. Pro. 27. 16. *Ferrum ferro acuitur, & vir acuit faciem proximi sui*. Levi Gersonis J. interpretatur de sodalibus se invicem ad industriam ac diligentiam acuentibus: & R. Salomo ait, notari discipulos sapientum, qui se mutuo ad legis studium exacuunt. Sed cur dicit, *faciem proximi sui*? An quia *faciei* nomen ex idiotismo Ebraica redundat? An verò quia per *faciem* (quod Abenezra existimat) designatur ira? quae quidem, ut cæteri affectus, in vultu ferè apparet. Atque tum erit sensus, ut ferrum ferro, sic homines alii aliorum bile acuantur: vel, ut Abenezra exposuit, sicut ferrum propter ferrum, ita homo acuitur propter iracundiam proximi sui, acuitur, inquam, ad iram, jurgia, contentiones. Vide Animadvers. nostras lib. 2. cap. 43.

## XVI.

*Nubes sine pluvia.*

בשיבים וגשם אין *Nubes, & pluvia non est*; h. e. nubes absque pluvia. In eos qui promittunt, nec praestant. Caelo nubibus obducto agricolae sperant fore ut pluat. Sed accidit saepe ut nubes sint inanes & steriles: ex quo spe illi suà non raro frustrantur. Sic multi mul-

ta pollicentur, quae nunquam exsolvent: nam quidam eà sunt levitate, ut promittant, quae praestare omninò non possunt. Aliorum tanta est improbitas, ut malint fidem frangere, quàm dependere, quod promiserunt. Prov. 27. 14. *Nubes & ventus absque pluvia, est vir qui gloriatur de dono mendaci*, hoc est, de vana & falsa donatione. Nos alibi monuimus, *pluviam usurpari in significatione copiae & liberalitatis*: quoniam, ut inquit Siracides, *tam est opportuna calamitatis tempore beneficentia quàm tempore siccitatis nubes pluvia plena*. Eccles. 3. 26. In quam sententiam nos aliquando fecimus huiusmodi distichon sermone Syriaco,

טיבו דגברא על נפשא חסירא  
דמי לגשמיא על ארעא צחיחא  
Benignitas viri in animam egenam  
Similis est pluviae in terram aridam.

Adagium usurpari etiam poterit de iis, qui sine effectu quippiam minitantur, sive de minis inanibus, sicut vulgò dicimus, *Non qualibet nubes pluviam effundunt*.

## XVII.

*Qui extollit fores suas, querit cladem.*

י. מגביה פתחו מבקש שבר *Qui extollit januam* (i. domum, Synecdoche) *suam querit contractionem*. Potest fieri ut hoc moneat, Qui exstruit aedes altas, querit cladem. Sic alibi, *Qui altam facit domum suam, querit ruinam*. Aut hoc vult, qui nimium sumptuose aedificat, sibi cladem accersit. Hoc modo R. David enarrat, & est sententia qualis in illo, *Qui nimium studium ponit circa aedificia, pauper fiet*. Nam aedificatio exhaurit imprimis facultates. Sed idem admonet accipi posse de superbiloquentia, ut ita loquar, h. e. de eo qui arroganter ac superbe in alios invehitur. Ne displiceat פתח ostium oris, ut Mich. 7. 5. *Ab ea qua cubat in sinu tuo, custodi fores oris tui*. Metaphora nota. Sic Theoginis, πολλοῖς ἀνθρώποις γλώσση δύραι σὲ ἐπιπέλαι ἀρροδία  
Vetus interpres huc respexit, meo animo cum verteret, *Qui exaltat os suum, querit ruinam*. Quanquam lectio varians, ostium (sic est in Bibliis Regiis,) suum. Posses accommodare in eum qui, ut Cicero alicubi loquitur, *gladio ἀνιμυκλῆριζει*, & spargit voces fortasse per jugulum redituras. Reperitur Prov. 17. 19.

## XVIII.

*Qui altam facit domum suam, querit ruinam.*

Superiori germanum, vel potius ex eo natum ὅς ὑψηλὸν ποιεῖ τὸν ἑαυτοῦ οἶκον, ζητεῖ συντριβὴν, *Qui exaltat suam ipsius domum, querit cladem*. Domus quantò altiores sunt, tantò magis patent, & obnoxiae existunt injuriis ventorum: quippe venti in locis editis maximam habent vim, quòd ibi liberè fluant, nec ullà re oppositâ frangantur. Pari ratione inter homines, qui aliis illustrior ac celebrior, inque altiore dignitatis gradu constitutus, idem fortunæ invidiae que rebus maximè expo-

ficus est. Unde Poëta Horatius docens servandam esse mediocritatem, ait.

*Sapius ventis agitatur ingens  
Pinus, & celsa graviore casu,  
Decidunt turres feriuntque summos  
Fulgura montes.*

Conveniet in eum, qui plus sibi assumit, quam æquum sit, aut liceat: vel in eum, qui nimis arroganter seipsum jactat, Deo ve contumaciter se opponit, aut honores cupidius appetit, inque illustranda sui nominis fama modum & rationem excedit. Exstat in Græca versione Prov. 17. nam in Ebræo non habetur Vulg. Interp. Lat. ex Græco vertit, *Qui altam facit domum suam, querit ruinam: & qui evitat discere, incidet in mala.* Nimirum est ea quorundam superbia animique elatio, ut malint in ignorantia semper manere, quam ex aliis boni quippiam discere. Hi suas quoque ædes nimium extollunt, sibi que malum ac perniciem accersunt.

XIX.

*Qui ficum custodit, vescetur fructu ejus.*

*פריה יאכל פריה Custodiens ficum, comedit fructum ejus.* Par est, ut is, qui operam ponit in re aliqua conservanda, ex ea fructum & utilitatem percipiat. Hoc commodè aprabimus ad eum, qui custodit gregem Dominicum: item ad eum qui tuerur rem à suis majoribus partam. Nam per *ficum* denotatur aliquando possessio, ut in illo. *sedebant turo sub vite ac ficu*, pro eo quod est, securè fruuntur bonis suis. Salomo Prov. 27. 18. refert ad eum, qui defendit ac tuerur suum herum. Ait enim, *Qui custodit ficum, vescetur ejus fructu: sic qui dominum suum servat, honorabitur.* Sensus est, Qui fidelem operam dominis suis præstant, digni sunt qui exinde emolumentum aliquod consequantur: quemadmodum qui ficus custodiunt, ex earum fructibus, quantum velint, decerpere possunt. Qui ficeta custodiunt, à Græcis nuncupantur *συκωποι* vel *συκωποι* quod nomen postea venit in odium vulgi, quòd hujusmodi custodes de surreptis ficibus homines falso criminarentur. Hi *Sycophanta* dicti sunt. Verùm de his non est hic sermo. Transeamus ad alia.

XX.

*Ubi non est visio, profligatur populus.*

Quantum mali proveniat ex ignavia sacerdotum, declarat Salomo elegantissimo ac verissimo isto Proverbio, *כִּי אֵין חָזוֹן יִפְרֵעַ עַם* *Cum abest visio, dissipatur populus:* h. e. ubi non docetur Dei verbum, dissolutè vivitur. Tum enim populus quasi luce amorâ in tenebris ambulat: unde porro sensim in vitia prolabitur, errorèsque pro veritate inscius imbibit. Adagium reperitur Prov. 29. 18. *Cum nulla est prophetia, plebs dissipatur: servans autem legem beatus est.* Abenezra legit *Ubi abest visio, sub. viri.* Propheta. Sed melius *quadra, Ubi non est visio, sive prophetia.* Nam sanè ex-

perientia docet in copia prophetarum magnam sæpe esse prophetantium inopiam, aut saltem negligentiam. Ex quo dici non potest, quanta oriatur in Ecclesia vastitas, quanta morum dissolutio, quam execranda hæresum & opinionum portenta. Olim qui erant Prophetæ seu videntes, iidem populum quoque instituebant, sui que officii, cum opus esset, admonebant. Hinc factum est, ut *visio* ponatur pro doctrina V. ac N. Testamenti.

XXI.

*Nescis quid paritura sit dies.*

*לֹא תִדְעֶמָּה יוֹם יוֹם Nescis quid paritura sit dies.* Idem cum illo, *nescis quid serus vesper vehit.* Prov. 27. 1. *Ne gloriaris de die crastina: nam nescis quid paritura sit dies.* Anacreon;  
*τὸ δ' ἄυριον τίς οἶδεν*

Quod futurum est, sciri non potest. Quare stultum est de eo gloriari. Sic miserum est nihil proficientem angere ob id quod præterit. Hæc sententia prodest ad tollendum metum futuri tum etiam ad ostendendum quàm vanum sit rei futura, h. e. incertæ, inniri. *Quid paritura sit dies*, scilicet hodierna. Nam ea die multa evenire possunt quæ tibi gloriandi causam adimant. Ita vulgò audimus in Belgio, ut etiam observat Erasmus, *Den daghs noch niet tot den avond ghesomen.* i. *Nondum dies ad vesperam venit*, ab iis qui significant diversum ante crastinum diem eventum posse accedere.

XXII.

*Ne summove terminum antiquum.*

*לֹא תִסַּח גְּבוּל עוֹלָם Ne transfer, aut loco move, terminum seculi:* h. e. antiquum. Proverbium monet, non temerè immutanda esse, quæ legibus, more aut consuetudine majorum recepta sunt. Terminus lapis erat in agro fixus, qui certis finibus arva regeret, ut Tibulli verbo utar. Hunc transferri vetat Moses Deut. 19. 14. & 27. 17. quòd eo translato arva confunderentur, unde rixæ inter vicinos, sæpe etiam cædes. Prov. 22. 28. *Ne summove terminum antiquum, quem posuerunt patres tui,* (i. majores tui) vide & Prov. 23. 10. *Pro ne summove,* Chaldaeus refert *לֹא תִשַּׁנֵּי*, *ne muta,* aut *noli mutare,* quod Ebraicè est *שִׁנָּה*: unde *שׁוֹנֵי* dicti, qui Dei aut Regum instituta immutant, de quibus Prov. 24. 21. *Time Dominum, fili mi, & Regem: murantibus ne te admisce.* Nam repentino veniet ipsis exitium, & quis novit urrorumque ruinam? Ac si diceret, Res novas molientibus ne te socium præbe. Nam tales mutationem legum aut Magistratuum tentare solent. Porro mutatio rerum antiquarum mutationem plerumque reipubl. inducit. Ideo qui Massiliæ olim Rempub. administrarunt, vix in magna necessitate verera immutabant. Nam & gladium, quo à condita urbe fontes necabantur, tamdiu in usu servarunt, donec rubigine exesus ad ministerium penitus ineptus esset, adeò periculosum esse ducebant viri sapientes ab antiqua receptaque semel consuetudine recedere.

XXIII.

## XXIII.

*Ubi defunt ligna, ignis exstinguitur.*

באפס עציִם תכבה אש *Absque lignis exstinguitur ignis.* Conveniet dici quando significabimus materiã contentionum sublatã, etiam contentiones tolli ac cessare. Sapiens nosster eleganter accommodat ad susurrone. Nam ut ligna fomentum præbent igni, sic ille licibus. Ided tollendus è ceteru est, ut sit aliquando finis licium ac rixarum. Prov. 26. 20. *Absque lignis exstinguitur ignis, & absque susurrone cessat contentio.* Huc faciunt, quæ habentur Sirach. 8. 4. *Ne dimices cum verbosis, & ne aggeras ad ignem ejus fascies lignorum.*

## XXIV.

*Qui premit nasum, elicit sanguinem.*

מיץִן אף יוציא דם *Pressura nasi educit sanguinem.* Qui nimium emungit nasum, elicit sanguinem: h. e. Qui plus æquo laceffit quempiam, excitat bilem & contentionem. Qui nimium premit subditos suos, alienat eos à se, ac concitat ad defectionem. Propriè competit in eum, qui nimis irritat hominem iracundum. Nam nasus est membrum iræ. Sic utitur Salomo. Prov. 30. 33. *Qui premit nasum, educit sanguinem: ita qui premit iram, educit litem.* In Græcis est ἐὰν ἐκπιέζῃς μυστήρας, ἐξελεύσει αἷμα. *Si exprimes nares, exibit sanguis.* Vulgò *Diete seer snupt dien bloede den neuse!* *Qui nimium emungit, huic sanguis è naribus profluit.*

## XXV.

*Qui premit lac, elicit butyrum.*

Nihil discrepat à superiore, quod in eodem loco Proverbiorum. מיץִן חלב יוציא חמאה, i. *Pressura lactis, educit butyrum;* vel si placet, *qui premit lac, educit butyrum.* Ita qui bilem alteri commovet, rixam suscitatur, quæ sæpe maximorum est causa malorum. Ad hunc modum usurpat Salomo. Si libet accipere generalius, conveniet in eos, qui ex magno conatu tandem eliciunt boni aut mali quippiam: puta sensum alicujus loci difficilem, aut aliquid simile. Sumptum ab iis, qui è lacte butyrum exprimunt agitationis vehementiã.

## XXVI.

*Auribus canemprehendit.*

מחזיק באזניִו כלב *Prehendit aures canis.* vel quod idem, *Canem auribus prendit,* sicut dicimus, *lupum auribus tenet.* Quadrat in eum, qui sibi ultro accersit malum non necessarium, velut qui laceffit hominem mordacem & maledicum: aut qui iratus sese in certamen interponit alienum, Prov. 26. 17. *Prehendit aures canis, qui prateriens irascitur in lite non sua.* Tractum è natura canum, qui irritati mordere solent. Irritantur autem tum maximè, cum vel caudã vel auribus validè prenduntur. Nam hoc dolorem efficit, cuius sunt im-

patientissimi. Et est alioqui animal mordax, & irritabile, quod nemo sine periculo in se concitet, aut provocet durius tractando. Ab hoc non admodum dissidet, *Prehendit scorpionum.*

## XXVII.

*Caudã canem tenet.*

In dicto loco Salomonis Græca Ecclesia legit κρατῶν κέρας κυνός, i. *tenet caudam canis;* vel si mavis *caudã canem tenet.* Quod Ebraicè transferas כרב כרב מחזיק בזנבו *i. Canem caudã prendit.* Significat autem verbum Ebraicum קיחיה non tenere simpliciter, sed fortiter validèque tenere, & quod tenetur arctè comprimere. Sensus est, *Qui seipsum tenere immiscet alieno certamini perinde facit ac is, qui mordacem lacessi canem ejus caudam arctius premedo: h. e. sibi malum ac perniciem creat.*

## XXVIII.

*Flagellum equo, camus asino.*

שוט לסוס מתג לחמור *Flagellum equo, capistrum asino.* Videtur potiùs dicendum fuisse, *flagellum asino, capistrum,* sive *fratum equo.* Proverbium indicat duriter tractandos esse eos, quibus ingenium est brutum ac servile; Etenim nisi iustes crebris verberibus, nihil quicquam apud hujusmodi homines proficies. Qui propterea jumentis assimilantur ratione carentibus, equo scilicet & asino, qui absque frãno & scutica regi nullo modo possunt. His contraria sunt ingenia quædam generosa, quæ lenitate quavis ducuntur potiùs quàm imperio, & laude magis ad honesta excirantur quàm flagellis aut verberibus. Rectè igitur sapiens, Prov. 26. 3. *Flagellum, inquit, equo, fratum asino, & virga vergo stultorum.* *Stultos vocat homines ad laborem segnes & ignavos: item eos, qui se vitiis planè dedunt, eorumque se quasi ministros præbent, si modò fuerint ingenio indocili, vel etiam pertinaces, sic ut salutaribus monitis placidisve reprehensionibus ad frugem revocari nequeant.* Huc respexit David Psal. 32. 9. *inquiens, Nolite similes esse equis aut mulis, quibus non est intellectus; Camo & frãno os eorum constringendum est, ne accedant ad te.*

## XXIX.

*Bos ad lanienam.*

שור אלִ טכור *Bos ad macerationem.* De eo, qui se duci patitur in proprium exitium. Est enim bos animal stolidum, eos, qui trahunt ad cædem, facile sequens. Exstat Prov. 7. 22. ubi agitur de adolescente, quem mulier meretrix ad se pertraxerat blanditiis suis, *sequitur, inquit, eam subito, sicut bos ad lanienam vadit.* Græcè effertur βῆς ἐπὶ σφαγγῆν, *cujus mentio in Lexico Hesychii.* Similia sunt, ὄς ἐπὶ δεσμά: i. *sus ad vinculum;* κύν ἐπὶ δεσμά: i. *canis ad vinculum;* & βῆς ἐπὶ δεσμά: i. *bos ad vinculum.* In eodem Lexico, κύν ἐπὶ δεσμά: παροιμία ἐπὶ τῆς ἐαυτοῦ εἰς καλῶσεως ἐπιδιδόντων λέγειται δε

PROVERBIA SACRA.

δὲ καὶ ἔστι ἐπὶ δεσμά: & alio loco, ἔστι ἐπὶ δεσμά, καὶ ἔστι ἐπὶ Φαλίην, καὶ ἐπὶ σφαγίην, καὶ κύων ἐπὶ σῖτον, καὶ ἔστι ἐπὶ δεσμά: Ne quid celem, in hoc potremo loco reperi βῆς ἐπὶ δέρμα (i. ad corium: fieri potest) reposui δεσμά ex illo altero: rectè an secus facio, Lector, iudicii tui.

fitum in purpura est. Quod Ebraicè reddas, כצרוך כנגד בארגמן. Ut qui pannum purpura insuit. Quadrabit in eum qui aliquid facit absurdè, inconcinne, indignè, ridiculè, indecorè.

XXX.

Canis ad vincula.

Κύων ἐπὶ δεσμάς, Canis in vincula. Proverbium in eos, qui se ultrò puniendos tradunt: aut qui seipfos in malum aliquod conjiciunt. Hefychius citat proverbii loco, ut vidimus. Citat etiam Erasmus ex Xenodoro. verba Hefychii quæ superius adducta, Latinè ita sonant. Canis ad vinculum, adagium est in eos, qui se ipsi ad poenam alicui dedunt: dicitur & Bos ad vinculum. Prov. 7. 22. in Græca edit. ὡς περ γὰρ ἔστι ἐπὶ σφαγίην ἀγέλας, καὶ ὡς περ κύων ἐπὶ δεσμάς, ut bos ad lanienam ducitur, & ut canis ad vincula.

XXXI.

Avis ad laqueum.

Ejusdem farinae est, צפור אל פה, Avis ad laqueum; ubi quis in suum properat exitium. Sumptum ab avis, quæ se in laqueum præcipitant escæ lenocinio. Græcè dicas, ὄρνειον εἰς παρίδα. Prov. 7. 22. Sicut festinat avis ad laqueum, nescia eum vita sua positum esse. Geminum illi, Canis ad cibum.

XXXII.

Lapidem in funda ligat.

Proverbium rei absurdæ. Quid enim absurdius quàm jaciendum lapidem in funda ligare? Æquè absurdum est stulto, hoc est improbo, honorem deferre. Hoc significat Salomo Proverb. 26. 8. per hæc verba, כצרוך כנגד לבסיל כבוד, ut qui ligat lapidem in funda, sic qui tribuit stulto honorem. מצרף. Sic Paraphrastes. Sic Græci, quorum hæc sunt, ὁ ἀποδεσµένος λίθον ἐν σφενδόνη ὁμοίως ἐστὶ τῷ διδόντι ἀφρονὶ δόξαν. Qui ligat lapidem in funda, similis est tribuenti stulto gloriam. לבן lapis: aliquando lapis pretiosus sive gemma: ut Exod. 28. 11. Hoc sensu lapilli voce utuntur auctores Latini. Fortè imitatione Græcorum, qui λίθους dicunt simpliciter pro λίθους τιμίους. Sic enim certè Theophrastus locutus est. Est autem ut gemma, ita honores pretiosa: quo minùs conferri debet in homines viles, quales sunt stulti & improbi.

XXXIII.

Lapis ligatus in purpura.

Dictum locum Salomonis Camius pater interpretatur, sicut qui ligat lapidem de lapidibus plateæ in veste purpurea. Idem Margema sumit pro purpura, ut sit idem quod בארגמן ac si diceret, Qui tribuit honorem stulto, lapis ligatus in purpura est. Quale est illud Nævii Poëtæ veteris, Qui habet uxorem sine dote, pannum po-

XXXIV.

Mittit lapidem in acervum Mercurii.

In eodem loco vulg. interpres refert, sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii; ita qui tribuit insipienti honorem. Nomine Margema intellexit acervum Mercurii. Cui rei firmandæ est expositio veterum Ebraeorum, sicut qui lapides jacit in Marcolis. Siquidem Marcolis simulacrum erat Mercurii, cui per lapidum missionem cultus olim exhibitus. De quo reperi lib. 24. Speculi historialis, quæ adscribenda duxi eò libentiùs, quòd prompta sint ex libello ab Arabe Christiano adversus Mahomedanos quondam scripto, & ex Arabico in Latinum converso. Igitur in eo libello sic habetur; Duarum India gentium, quæ vocantur Zechiam & Albarachuma, antiqua consuetudo fuit, nudos & decalvaros, magnisque ulularibus personantes simulacra demonum circumire, angulos quoque osculari, & projicere lapides in acervum, qui quasi pro honore Diis exstruebatur, inde enim est quod in libro Satomonis dicitur, Qui projicit lapidem in acervum Mercurii: Faciebant autem hoc bis in anno, sole scilicet existente in primo gradu Arietis, & rursum cum esset in primo gradu Libra, h. e. initio Veris & Autumni. Hæc ergo consuetudo cum ab Indis ad Arabes descendisset, eamque suo tempore apud Mecham in honorem Veneris Machumet celebrari reperisset, sic illam manere præcepit, cum tamen cætera Idololatria vestigia removisset. Illud verò soli Veneri in illa celebratione dicitur exhiberi solitum, ut lapilli retro, i. sub genitalibus membris projicerentur, eò quòd Venus illis maximè partibus dominetur, unde id adhuc hodie fit in domo Dei illicita quam vocant.

XXXV.

Canis vivo melius est quàm Leoni mortuo.

לכלב חי הוא טוב מן האריה המת, Canis viventi est melius quàm leoni mortuo. Hoc adagium declarat omnibus partibus meliorem esse conditionem vivorum quàm mortuorum. Eo utitur Salomo Cohel. 9. 6. Sed in persona, ut interpretes annorant, aliorum, videlicet hominum voluptuariorum & Epicureorum, qui in morte nihil hominis superesse credebant: itaque ei præferabant vitam quantumvis abjectissimam & contemptissimam. Sic autem ibi legimus, Nam quisquis eligatur inter omnes viventes, huic spes est, quia canis vivo est melius quàm leoni mortuo. Siquidem sciunt vivi se morituros esse; at mortui nihil sciunt, nec superest eis merces, quoniam oblivioni tradita est eorum memoria.

Etiam amor & odium, & invidia eorum interit, nec ullam amplius habent partem in iis, quacunque sub sole sunt. Verba illa, huic spes est, commodè accipi possent de eo, qui vitiis deditus est: cui vivo ad meliorem

mentem & sententiam redire licet, mortuo nullus relictus honestioris vitæ initium exordiendi locus.

## XXXVI.

*Onager non rudit in gramine.*

Nemo queritur, nisi quem aut inopia premit, aut res adversæ. Neque enim habet de quo jure queri possit, cui abundè omnia adsunt, rebus porò ad animi votum fluentibus. Hoc sensu legimus Joh. 6. 5. אם ינהק, פרא על דשא, *an rudet onager apud herbam?*

## XXXVII.

*Bos non boat ad pabulum.*

In eodem loco בלילו שור יגעה, אם ימגית, *si mugiet bos ad farraginem suam? h. e. ad pabulum suum.* Idem cum superiore. Pöterit efferri citra negationem, *Bos mugiens ad pabulum*, de eo qui non contentus rebus necessariis ad vitam semper quiritatur, quasi omnium rerum indigus sit: aut qui in media felicitate se ita gerit, ac si nemo eo miserior esset.

## XXXVIII.

*Funiculus triplex non citò rumpitur.*

חוט משלש לא במהרה ינתק *Filum triplicatum, non celeriter abrumpitur: Quò plures in societate aliqua fuerint, eò valentiores erunt, si modò concordēs extiterint. Concordia enim invicta est. Declarat hoc exemplum senis illius, qui pilos caudæ equinæ singularim evellebat sine labore, quos robustissimi juvenes simul junctos nullà vi evellere poterant. Idem ostendit exemplum Scyluri de fasce hastilium, nescio ubi memoratum: nam quæ simul universa non poterant filii validissimi, ea pater infirmus ac debilis, resolutò fasce singula per se ipsum nullo negotio confregit. Trita hæc sunt. Augustinus eandem sententiam confirmat, nescio quo in loco, tamen alibi, scio, ita scribens, *Quævis multitudo eò minùs vincitur quò magis in unum coit; quantò magis unum, tantò validiores sunt. Omnis dissensio periculosa est. Quibus ad stipulatur vulgata hæc sententia, Concordiâ res parva crescunt, discordiâ maxima dilabuntur. Et Hermocrates Syracusanus apud Thucydidem, inquit, Extraneos advenientes, si sapimus, juncti repellimus: quoniam singuli etiam si ledimur, universi periclitamur. Justinus quoque lib. 8. Græcia Civitates, dum imperare singula cupiunt, imperium omnes perdiderunt. Quippe in mutuum exitium sine modo mentes, omnibus perire, quod singula amitterent, non nisi oppressæ senserunt. Cohel. 4. Præstant uni duo, quia eis bonum est sui laboris præmium. Nam si ceciderit unus, alter illum sublevabit. Sed va soli, quia cum ceciderit, non est alter, qui illum sublevet. Adde quòd duo si cubant, convalescunt: at unus quo pacto convalescet? & si vincatur unus, resistet duo, nec citò abrumpitur filum triplicatum.**

## XXXIX.

*Panis mendacii suavis.*

PROV. 20. 17. *Suavis est viro panis mendacii, po-*

*ste à repletur os ejus glarea, vel lapillis. Videtur hoc dicere, Mendacium est quasi panis lapidosus, quem esurienti accipere jucundum, esse acerbum: nam lædit non modò ventriculum, sed etiam os & dentes, sic mentiri quidem luave; sed fructus mendacii amarus, juxta illud, *Os quod mentitur, occidit animum.* Ebræa sunt, si quis fortè desideret, ערב לאיש לחם שקר ואחר ימלא פידו הדני:*

## XL.

*Acetum dentibus.*

חומץ לשנים, *Acetum dentibus.* De re molesta noxiave. Nam acetum nisi vino aut aquâ temperetur, valde lædit dentes. Est enim summè frigidum. Dico summè frigidum, quia dentes non læduntur à frigido simpliciter. *Certum enim est experientiâ, ut ait Mercurialis, à frigido, sive vino, sive aquâ, ablutos dentes mirificè conservari.* Cur autem à summè frigido lædantur, causam idem quærens, ex Aristotele hanc adfert rationem, *quoniam dentes, cum sint corpora durissima, maximè exiles poros habent, quo fit ut ex ipsis omnis penè calor exspiraverit: unde cum privati sint calore, non possunt valido frigori resistere.*

## XLI.

*Fumus in oculis.*

Inter ea, quæ oculos lædunt etiam fumus recensetur. Ex quo Proverbium לעיניי עשן *fumus in oculis;* quando aliquid nobis grave aut molestum est, velut est piger, cum ab aliquo missus segniter obi, legationem suam. Quod est molestissimum iis, à quibus mittitur. Ait igitur Salomo Prov. 10. 26. *Quod acetum dentibus, & fumus oculis, id est piger iis qui miserunt ipsum, vult dicere, æquè molestum est.*

## XLII.

*Anima satura calcat favum.*

נפש שכעה תבוט נפתי *Anima satura calcat favum.* Qui satur est, optima quæque in cibo ac potu aspernatur. *Calcatur, i. contemnit, juxta illud Senecæ, Quem quis contemnit, calcatur sine dubio, sed transit. Huc pertinet,*

*Qui satur est pleno laudat jejunia ventre;*

## XLIII.

*Anima famelicæ quicquid amarum dulce.*

נפש רעבה כל מר מתוק *Anima famelicæ omne amarum dulce.* Aliis verbis hoc extulit Romanus sapiens, *Fames malum panem siliginèum reddit.* Belgæ quoque Proverbio dicunt, *Crudas fabas dulces fieri per famem: & Horatius,*

*Jejunus stomachas rarò vulgaria temnit.*

Quin & Xenophon apud Athenæum, ἴδου μὲν μάζαν, inquit, καὶ κάρδαμα φαγεῖν πεινάωντι, ἴδου δὲ ὕδωρ ἀρυσάμενον ἐν ποταμῷ διψῶντα πίνειν. Pro exemplo sunt Darius & Ptolemæus: quorum ille cum in fugâ aquam turbidam & cadaveribus inquinatam bibisset, negavit unquam se bibisse jucundius; nunquam videlicet li-

tians

tiens biberat: nec esuriens Ptolemæus ederat: cui cum peregrinanti, comitibus non consecutus, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est eo pane jucundius.

XLIV.

*Cultrum faucibus imponit.*

שכין בלעו *Ponit cultrum in gutture suo.* Proverbii formâ dicitur pro. in vitæ discrimen se adducit, periculum mortis sibi accersit. Prov. 23. 2. *Cum accumbes ut comedas cum Principe, diligenter considera, quae ante te sunt. Alioqui impones cultellum gusturi tuo, si es ad appetendum proclivior.* Quidam legunt, *Et pone cultrum in gutture tuo, hâc sententiâ, si es voracior, coercere appetitum, eique moderare, ac tempera tibi in edendo, ne principem offendas intemperantiâ tuâ: ac si diceret, satius est immisso cultello gulam sibi occludere quàm edendo temerè in Principum indignationem incurrere.*

XLV.

*Spina in manu ebrii.*

Ebrius non potest tractare spinam, quin se aut alios lædat. Non enim est in sua potestate animus ebrietate devictus, sed à vino regitur. (Sic divitiæ, quas vir malus possidet, sunt veluti spina in manu ebrii, quia rectè iis uti non potest.) Vinum autem ex eo sapientiam, ut cum Ennio loquar, omnem expectorat. Hinc natum adagium, שכור ביד חוה *Spina in manu ebrii.* Quod genus est, *Gladius in manu stulti.* Ubi quis re alioqui non malâ, per se malè tamen utitur, velut si homo nequam & improbus aliquem Scripturæ locum, qui pro ipsius libidine facere videatur, arripiat, eoque suæ patrocinetur licentiæ, Prov. 26. 9. *Spina ascendens in manum ebrii, est sententia in ore stultorum.* Lucem aliquam huic loco facit Siracides Ecclesiast. 20. 22, in hunc modum scribens, ἀπὸ σώματος μωρῶ ἀποδοκιμασθήσεται παραβολή, ἡ γὰρ μὴ εἶπη αὐτὴν ἐν καιρῷ αὐτῆς, i. in ore stulti reprobat<sup>r</sup> parabola (i. paræmia, sententiâve) non enim eam suo tempore pronunciat.

XLVI.

*Incidit in foveam, quam fecit.*

Proverbio dicitur in eum, qui propriis insidiis capitur; suâque ipsius fraude miser perit, ut de Saule legimus, Psalm. 7. 17. dicente Propheta, *Fossam fodit, atque adeò effodit, & cecidit in foveam quam fecit.* In Ebræo est *יפעל יפול בשחת יפעל* pro *אשר יפעל* Sic Psalm. 57. 7. *Foderunt ante me foveam, ceciderunt in medium ejus, Selah.* Et Prov. 28. 10. *Qui errare facit rectos per viam malam, in suam ipse foveam corruet.* Huc refer quod apud Bernardum, *vita foveam, in quam vides alium coram te cecidisse. Aliorum perditio tua sit cautio.*

XLVII.

*Captus est proprio laqueo.*

Qui subpre dolo propriisque insidiis capitur, hunc

eleganter ac venustè dicemus, suo ipsius laqueo metiri. Idque exem plo divinorum eloquiorum. Ait enim David. Psal. 9. 16. *ברשת זו שמנו נלכדה רגלם, reti, quod occultârunt, caprus est pes eorum.* Et Psal. 25. 8. *Adveniat ei ruina, quam non novit, capiat eum rete quod ipse occuluit* ורשתו אשר שמן תלכדו Hier. adv. Pelagia; noa cap. 3. *Dum nescis, proprio laqueo captus es.*

XLVIII.

*Virga sapientiam impertit.*

שכט יתן חכמה *Virga dat sapientiam.* Convenit cum Proverbio Græco, παρὰ τὰ δεινὰ φρονιμώτερος. Quo significant adversa nos erudire & cauciores reddere. Dicitur etiam ἐξ ὧν ἐπαδες, ἐμαδες Pulchrè ad hanc sententiam Cato senior, *Adversa res se domant & docent quid opus sit facto: secunda res latitiâ transversum trudere solent à rectè intelligendo atque consulendo.* Id in genere verum est, sed maximè conspicuum fit in pueris. Itaque Salomo Prov. 29. 15. *Virga, & reprehensio, inquit, Sapientiam conciliat: aut puer sibi relictus matrem pudefacit.* Siquidem virga facit eos modestiores, suisque Parentibus magis morigeros. Expellit enim stultitiam & perulantiam, quam natura mentibus eorum inseruit. Prov. 22. 19. *Stultitia alligata est animo pueri: eam virga castigatrix ab eo procul repellit.* Hoc movit sapientes Ebræos ut dicerent, *si videris filium sapientem, pro certo habeto, quòd eum pater ejus in pueritia castigavit.* Contrà, *si videris filium nequam, crede indubitato, quòd eum Pater ejus nunquam objurgavit.* Atque huc torquent locum Prov. 13. 1, quem sic interpretari possumus ex Ebræo, *Filius sapiens est castigatio patris sui, derisor non audivit increpationem:* ac si diceret, nunquam ejus vitia pater increpavit.

XLIX.

*Vestes in frigore detrahit.*

ימעדה בגד ביום קרה *i. removet vestem in die frigidis, vel dum frigus est.* Competit in eum, qui aliquid facit intempestivè, velut qui Musicam adhibet in luctu. Nam juxta versiculum Græcum,

Ὅυ ναῦλα κωλύοισιν, ἡ λύρα φίλη.

Quidam legunt, *Admovens vestem in die frigidis, contrario sentu.* Non abhorret admodum ab hoc sensu quod est apud vulg. Interpretem, *Parans sericum in die frigidis: nam sericum ad frigus arcendum ineptum est.* Vide sequentia.

L.

*Aceto nitrum perfundit.*

חמץ על נתר *Acetum super nitrum.* Interpretatur ipse Salomo Prov. 25. 20. *Acetum super nitrum est is, qui canit carmina apud animum malè affectum.* Hic præcedit, *removens vestem in die frigidis; pro quo alii referunt, admovens vestem, ut diximus.* Hoc exponunt, ut vestes frigus dispellant, & acetum nitrum dissolvit (nam acetum frigidissimum: durat autem nitrum caliditate, eadem cum sale natura) Sic Musica tristitiam

discutit. Porro Musicam in mœrore adhiberi solitam docent aliquot exempla sacra, ut Saulis 2. Sam. 16. 14. & aliorum. Nihilominus in contraria sententia sunt plerique expositores, qui memoratum locum enarrant hoc modo, ut vestes in frigore intempestivè & cum incommodo valetudinis detrahuntur, & quemadmodum aceto nitrum asperius redditur, sic mœstus animus carmine sive Musicâ exacerbatur. Pro hac sententia facit primum verbum מַעֲדָה quod in communi Chaldaici sermonis usu significat *removere*; deinde quod apud Sirachi F. *Musica in luctu, intempestiva narratio*. Cui assensum præbet Autor gravis Plutarchus, scribens Musicam luctui non convenire, Sympof. 7. quæst. 7. his verbis, *At ibi quidem*, inquit, *alioqui charus Euripides suam legem neutiquam persuasit, Musicam ad luctum & tristitiam transferendam statuens. Ibi enim medici loco assistere debet sobria & industria oratio. Hujusmodi verò Baccho admiscere voluptates, & ludum jocosumque deputare convenit.*

## L I.

*Aperit aquas initium contentionis.*

פּוֹטֵר מִיַּם רַאשִׁית מַדּוֹן, i. *Aperit aquas initium contentionis*: h. e. qui initium facit. (vel sic, *Aguas aperit, qui litem incipit*. In litium avidos, significat autem ex parvis initiis magnas sæpe oriri contentiones) sensus est, Qui primus occasionem dat litigandi, similis est ei, qui aquam in agrum aliquem rupto aggere intro-mittit. Quapropter? quia ex parvis initiis ad eò excrefcit sæpe lis, ut ea difficulter postea sedari possit, vel potius nullo modo sedari possit.

## L II.

*Ventum abscondit.*

צוֹפֵן רוּחַ, *Occultat ventum*: de eo qui occultat quod occultari suâ naturâ non potest. Nam ventus, cum sit levis ac instabilis, modòque huc, modò illuc diffluat, fieri nequit, ut aliquo in loco abscondatur. Salomo usurpat de rixosa muliere. Prov. 27. 16. *Qui abscondit eam, abscondit ventum, & unguentum in dextera ejus clamabit*. Nam ut ventus murmure, & unguentum odore; ita mulier clamore se prodit ac patefacit, ubicunque fuerit.

## L III.

*Ventum possidet.*

יִנְחַל רוּחַ, *Possidebit ventum*, h. e. Nihil omninò. Prov. 11. 29. *Qui conturbat domum suam; possidebit ventum*. Nam decocto patrimonio, bonisque omnibus dilapidatis, quid aliud restat misero nepoti nisi ut vento se suosque pascat? At eo pasci, alive, nec ipse, nec alius quispiam potest. Indicatur ergò summa egestas, rerumque omnium penuria, præcipuè cum ea defunt sine quibus agrè, aut potius nullo modo vivitur.

## L IV.

*In ventum laborat.*

יַעֲמַל לְרוּחַ, i. *Laborat in ventum*: pro in vanum,

seu frustrâ. Quidam referunt, *Laborat vento*. Cohel. 5. 15. *Ecquid emolumentum est ei, qui laborat in ventum?* Græca translatio, *μοχθητ̄ εις ανεμων*. Chaldaica, *Laborat ad percipiendum ventum, i. rem nihili.*

## L V.

*Manus innocentia lavare.*

Qui operam dat, ut castis integrisque moribus, & à peccati labe purus sit, hunc Ebræi dicunt *manus abluerè innocentia*. Psalm. 73. 13. *Certè frustra expurgavi cor meum, & lavi innocentia manus meas*. Græcè, *ηθ̄ ενιψαμην εν αθωοις τας χειρας μου*, id est, *inter innocios*. Suidas annotat adagium esse, quod in voce *αθωος* explicat his verbis, *παρομιλιᾱ ενιψαμην εν αθωοις τας χειρας μου, αλλῑ τ̄ς̄ αθωον̄ εμαυτον̄ εληρησα, εν̄ εκοινω̄νησα τ̄ς̄ παῡς̄*, h. e. *Lavi manus meas inter innocentes*. Proverbium, *pro innocentia studui, nec facinorum fui socius*. Manus lavabat forensi consuetudine iudex aut senator, qui cædis culpam à se removebant cum testificatione innocentia suæ, Deut. 21. 6. Matth. 27. 24. Manus quoque lavabant sacerdotes facturi sacra. Quò respiciens Prophetæ David Psal. 26. 6. inquit, *Lavabo manus meas innocentia, & altare tuum, Domine, circumdaò*. Atque hinc puritas manuum, Psal. 18. 21. 25. i. morum integritas.

## L VI.

*Qui malum querit, id ei eveniet.*

Prov. 11. 27. דוֹרֵשׁ רָעָה תְּבוֹאֵנוּ, *Qui querit malum, id eveniet ipsi*. Malum querit, qui se temerè & inconsideratè periculis objicit; quod Græco verbo dicitur *πιποινδουεν̄*. Idem cum illo, *Qui amat periculum, incidet in illud*.

## L VII.

*Ligna ad ignem.*

עֵצִים לְאֵשׁ, *Ligna ad ignem*. In jurgiosos & furrones. Sic ait, *Absque lignis exstinguiur ignis: absque susurrone cessat contentio*. Planum est.

## L VIII.

*Carbo ad prunas.*

פַּחַם לְגַחְלִים, *Carbo ad prunas*. Proverb. 26. 20. *Carbo ad prunas, & ligna ad ignem, & vir contentiosus ad succendendam litem*. Vult dicere, uti prunas carbo, & ignem ligna, sic homo jurgiosus litem accendit.

## L IX.

*Domus aranei.*

בֵּית עֲרַבִּישׁ, *Domus aranei*. In Proverbio est de re imbecilla & fragili. Sumptum à telis araneorum (ve-sca Latini vocant autore Servio) quibus nihil tene-rius

rius, nihil fragilius. Græcè οἶνος ἀράχνης aut ἰσὸς ἀράχνης, aut simpliciter ἀράχνη ut Latine *Aranea*, pro aranei veste apud Ovidium. Job. 8. 14. *Impii fiducia domus est aranei. Cui domui si quis innitatur, non stabit, si eam apprehendet, non consistet.* Hof. 8. 6. in vulgata

versione, *Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samaria; h. e. tam fragilis, quàm est aranea. Quod Ebraeus dicit יהיה שכביו redigetur in scobem.*



JOH. DRUSII

# PROVERBIORUM CLASSIS PRIMÆ:

LIBER III.

*Ubi cadaver, ibi aquila.*

**Π** Οὐ τὸ πτώμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ αἰετοί, *Ubi cadaver, illuc congregabuntur aquila.* Exstat Matth. 24. 28. & Luc. 17. 37. nisi quod πτώμα in Luca: quomodo legisse olim videtur interpres vetus, etiam apud Matthæum. Nam vertit, *Ubi cunque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquila:* corpus inquam; non cadaver. Mens proverbii. Ubi Christus, illuc aggregabuntur pii. Sumptum à natura aquilæ, quæ perniciosissime advolat eò ubi cadavera futura sunt, quod illi commune cum vulture: unde apud Senecam Philosophum Epist. 1. l. 15. *Vultur est, cadaver expectat:* Proverbium in herediperas, eòsque qui defunctorum bonis inhiant. Tales enim Vultures & Aquilæ vocantur. Origenes Hom. 7. in Leviticum, *Ego puro & illos in his nominari qui alienis imminet moribus, & arte quadam & fraude testamenta subjiunt.* Huiusmodi enim homines Vultures & Aquila merito appellantur, velut mortuorum cadaveribus inhiantes. Porro aquilam cadaveribus vescite testis idem in eodem loco, ita scribens, *Non manducabis hæc, quia immunda sunt, aquilam & vulturem, & his similia; his enim avibus semper mortuorum corporum cibus est, & ex mortuis cadaveribus vivunt.* Addit Hier. eà sagacitate esse, ut cadavera etiam trans mare odorentur. *Aquila & Vultures, inquit, etiam trans mare dicuntur sentire cadavera, & ad escam huiusmodi congregari.* Cæterum Aquilæ genus esse iudico quo Arabes eodem cum Aquila nomine *nesir* appellant: de quo Joh. Leo in descriptione Africæ, *Nesir maxima Africa volucrum, inter volandum adeò excelsè in aërem se attollit, ut conspici nequeat, & si quod animal mortuum videat, subito se demittit.* Itali vulturis appellatione nuncupandum censent, cuius tamen diversum sentio. *Habitant in altissimis rupibus, & summitatibus in cultorum montium, præcipuè in Atlante.* De vulturibus Plinius & Elianus tradunt eos præfagio quodam naturali, bido aut triduo convolare, ubi cadavera sunt futura: & est genus aquilæ; quam γυπαετόν vocant, q. *vulturinam aquilam* dicas. Hanc solam ex aquilis ferunt cadaverum pabulo assuetam,

Aristorelis testimonio usi, qui scribit eam exanimata ferre corpora. Sed viderint qui hoc tradunt. Nos ex Salomone etiam colligimus aquilam cadaveribus pasci solitam. Verba ejus, ex quibus hoc, quod dixi colligitur, habentur Prov. 30. 17. *Oculum qui patrem irridet, aut matris rugas spernit, effodient corvi torrentis, & comedent filii aquila.* Quibus ambagibus verborum innuit eum qui parentes irridet tandem escam futurum corvis & aquilis. Pro clausula addam locum Jobi, ex quo proverbium, quo de agitur, sumptum nonnullis videtur. Locus iste est Job. 39. 30, *ubi occisi, ibi ipse est;* aquila videlicet. Non de aquila ibi sermo. Ergo ex illo loco, Ebraicè dices,

באשר חללים שם הנשר  
באשר פגרים הנשרים

*Ubi saucii, (bello cæsi) ibi Aquila. Nisi malis, Ubi cadavera ibi aquila.*

II.

*Ne date sanctum canibus.*

Proverbium hoc exstat Matth. 7. 6. *μη δώτε τὸ ἅγιον τοῖς χοίρων, Ne date sanctum canibus.* Admonet non esse doctrinam cœlestem proponendam iis qui eam contemnunt, ac pro nihilo ducunt. Neque enim assentior Theophylacto, qui *canes* interpretatur ἀπίστος, *infideles:* potius iis assentior, qui hoc loco intelligunt significari homines profanos ac impuros, qui veritatis doctrinam non solum non recipiunt, sed etiam irident ac despicatui habent, palamque in ejus præcones debacchantur, impiòque Dei contemptu imbuti eos conviciis lacerant aut occidunt, ut non homines, sed canes esse videantur rabie percisi.

III.

*Ne projicite margaritas coram porcis.*

In eodem loco *μη βάλητε τὰς μαργαρίτας ἐμπροσθεν τῶν χοίρων, Ne projicite margaritas coram porcis.* [Margarites, vel margarita, aut, si placet, margaritum,

Latinè dicitur unio, quæ Cleopatrarum olim æstimata 250000. coronatorum.] Significat mysteria religionis non esse credenda hominibus obstinatæ impuritatis, à quibus periculum ne vel ea derideant, vel conversi nos invadant & occidant, aut conviciis lacerent. Nam porci non solum non æstimant margaritas, quas homines in tanto pretio habent, sed etiam pedibus eas proterunt & conculcant, cœnoque ac fimo immergunt. Tales sunt imprimis, qui verbo Dei utantur pro roboranda impietate sua, ut Epicurei, & similes. Ambrosius de iis exponit, qui Sacramenta credunt indignis: & exstat glossa pro utroque sensu à Nicolao, quæ sic habet. *Non sunt Sacramenta ministranda, vel secreta fidei revelanda infidelibus obstinatis, quia ex predictis sequitur contemptus Sacramentorum Ecclesie, & derisio fidei Catholica, & occisio ministrorum; & mox, Divina Sacramenta vel fidei secreta dicuntur hic Margaritæ, propter eorum pretiositatem, & peccatores dicuntur Porci propter eorum immunditiam.* De arcanis fidei usus est eleganter Romanus martyr apud Prudentium 5<sup>o</sup> Φάνων hymno 10.

*Dixisse pauca sit satis de mysticis.*

*Nostræ salutis, deque processu spei.*

*Fam jam silebo: Margaritas spargere*

*Christi vetamur inter immundas sies,*

*Lutulentæ sanctum ne terant animalia.*

Poterimus etiam usurpare, quoties significabimus de Virtute aut sapientia non esse disputandum apud homines desperatæ malitiæ atque improbitatis.

## IV.

*Aërem verberas.*

*Aërem ferit, cuius labor incassus & irritus est; aut qui non assequitur, quod assequi studet. Proprie pugiles, cum adversarium feriunt irritis ictibus, dicuntur aërem verberare. 1. Cor. 9. 26. ἄνω πικρύνω, ὡς ἂν αἶρα δέρον, Sic pugilem ago, ut aërem non cadens. Mens Apostoli; si laborans in Evangelio multa perfero, non in cassum ea perfero: confido enim fore ut Evangelii fiam particeps, h. e. ut assequar immortalem coronam, quam Evangelium omnibus strenuè certantibus promittit. D. Chrysostomus quodam in loco post admonitionem unam atque alteram, hæreticum hominem, qui apertus veritatis hostis sit, relinquendum esse præcipiens, subiungit, τίνος ἔνεκεν πονεῖς ἰκῆ; τί τὸν αἶρα δαίρεις; i. quid frustra laboras? quid aërem verberas? Promptit haud dubiè ex allegato suprâ loco Apostoli. Hodie non pauci reperiuntur, qui ex se ipsis, ut exercentur, adversus aërem pugnis, brachiis, armisque certant, vel quando adversarius abest, vel quando à nemine videri amant.*

## V.

*Frustrâ currit.*

Cogitationem habet cum superiore εἰς κενὸν τρέχει, in vanum currit: de eo, qui aliquid agit inutiliter & nullo cum fructu. Sumptum ab iis, qui in stadio currunt

absque præmio. Nam tales videntur operam & oleum perdere, ut est in proverbio. Reperitur Gal. 2. 2. *Ne quo modo frustra currerem, aut cucurrissem.* Huc facit versus Græcus.

Ἄνθρωπος εἰς κενὸν μοχθεῖ τρέχων.

## VI.

*Messis multa, operarii pauci.*

מִשְׁכֵּי רַב וְהַפְּעָלִים מְעַטִּים *Messis multa, & operarii pauci.* Legitur Matth. 9. 37. ὁ μὲν θερισμὸς πολὺς οἱ δὲ ἔργαται ὀλίγοι. Syriacè זְעִירֵי וְפְעָלֵי כְּנִי וְפְעָלֵי כְּנִי est autem sensus, multos eâ maturitate esse, ut possint recipere Evangelium, sed paucos esse, qui illud populum doceant. Nam operarios vocant ministros ac præcones verbi, ut dignus est operarius alimento suo. Glossa Nicolai, *operarii, doctores & prædicatores verbi.* Sic etiam glossa interlinearis. Res caret omni controversiâ.

## VII.

*Sus lota ad volutabrum cœni.*

Adagium esse docet Apostolus Petrus, 2. Pet. 2. 22. Idem usurpat de iis, qui ex vitiorum sæditibus elapsi rursus iisdem implicantur, nec perseverant in via virtutis, aut in sancta doctrina ipsis tradita. Græcè effertur hoc modo, ὅς λυσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου deest autem ἐπιστρέψας, quod repetendum ex præcedentibus, *Canis reversus ad vomitum, & sus lota in volutabrum cœni, subversa.* Verus edit. legit. *Sus lota in volutabro luti:* corruptè ut opinor, cum scripsisse interpres potius videatur, *in volutabrum.* [In volutabro: fortè ut alibi, in carne una, pro in carnem unam. Sic frequenter interpres verus.] Ut ut sit, vulgaram lectionem enarrat glossa, quam ordinariam vocant, per hæc verba, *Sus dum in luto lavatur (Heraclius Ephesius scribit sus cœno lavari, ut corvales aves pulvere & cinere) sordidior redditur. Sic qui peccatum plangit, nec tamen deserit, poena graviore se subjicit: quia & ipsam quam flendo impetrare potuit veniam contempsit, & quasi in luto aqua se ipsum volvit. Nam dum fletibus suis vitæ immunditiem subtrahit, ante Dei oculos sordidas etiam lacrymas facit. Hæc ibi. Porro autem cœni aut luti appellatione venit acta turpiter vita. Atque hinc lucem facies proverbio, quod apud Tertullianum, de cælo in cœnum. Cujus sententia, ut si dicas, de cœlesti vita in scelestam. Huc pertinet illud Ciceronis, Nam nos quidem quid facimus in Verre, quem in luto volutatum totius corporis vestigio invenimus.*

## VIII.

*Durum contra stimulos calcitrare.*

*Contra stimulos calcitrare, qui cum potente litigat, aut eum provocat, qui laceffitus nocere potest, velut qui Deo resistit, quod vetamur facere Græco proverbio μὴ θεομαχεῖν. Legitur hoc sensu, Act. 9. 5. & 26. 14. σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λαλεῖν, i. durum tibi est adversus stimulos*

*mulos calcitrare.* In Syriacis *מכבד לבעש* apud quo Ebræa facies, *בשע בדרכות*, i. *durum est calcitrare contra stimulos.* vulgò dicimus, *Caput parietis, aut muro, illidere.* Contra stimulum etiam calcitrat, qui scribit in eum, qui potest proscribere, & ut Cicero alicubi loquitur, qui *gladio ἀνιμυκτηρίζει*, & spargit voces fortasse per jugulum redituras.

Magnum stultitiæ argumentum, *Lacessere neminem* debemus. Nemo enim est tam infirmus, qui per occasionem nocere non possit: habet & Musca splenem, & formicis suabilis inest. Stultissimum verò est eum lacessere, qui in nos vitæ potestatem habeat. Hesychius *πρὸς κέντρα λακτίζει παροιμία ἐπὶ τῆς κατὰ τῶν ἐναντίων τι λέγειν, ἢ πράττειν.* Sumprium à bobus, quos agricolæ inter arandum stimulis pungendo ad opus incitare solent.

IX.

*Facilius camelus per foramen acûs.*

Proverbium *περὶ ἀδύνατος*, h. e. *de re, quæ nullo modo, aut cerè difficulter admodum, fieri potest*, Matth. 19. 24. *ἔυκοπώτερον ἐστὶ κάμηλον διατρυπήματι ἢ ῥάπιδον διελθεῖν. ἢ πλάσιον ἐστὶ τὴν βασιλείαν τῆς θεῆς εἰσελθεῖν.* Latine, *facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem in Regnum Dei introire.* Pro *διὰ τρυπήματι* in Marco & Luca est *διὰ ἱρμαλιᾶς*, Marc. 10. 24. Luc. 18. 25. cæterà conveniunt. *Cameli* autem nomine nonnulli funem nauticum intelligendum esse contendunt, sed mihi non persuadent. De animante intellexit Ambrosius, serm. 4. ubi sic scribit, *Sicut enim cameli animal, quod est tortuosum atque deforme, per versitas ipsa corporis, per angustissimam acûs cavernam præterire non patitur: ita & divites oneratos avaritia & cupiditate fœdatis, ipsa vitæ deformitas per arctam viam regni minimè introire permittit, &c.* Et Serm. 10. *Tam est angusta diviti porta cœlestis, quàm est camelo acûs foramen exiguum.* Unde ait Dominus *Facilius est &c.* Sicut enim cameli animal tortuosum atque deforme, exigua acûs caverna præterire non patitur; ita & divitem avarum atque mendacem arctæ cœli janua minimè intrare permittit. Eodem modo intellexit Origenes. Nec aliter Hieronymus Epist. 9. item adv. Pelagian. cap. 2. rursus Epist. 150. quæst. 1. Syrus quoque interpres in eadem sententia fuisse videtur, dum *למג* redderet. Vox enim illa *rudentem*, quod sciam, non significat. His adde quòd de animante intellectum sic hyperbola eminentior: tum etiam quòd Christus in mentem habuisse videri possit proverbium apud Thalmudistas frequentatum, *Non est elephas, qui intret per foramen acûs, substituto cameli nomine in locum elephantis: fortè quòd id genus animantis in Syria vulgò notius esset, cum utrumque æquè ἀδύνατον sit, sive camelum legas, sive elephantem.* Sic alicubi oculum posuit idem pro dentibus, dum Ebræorum parcemiam, *Exime ex dentibus tuis festucam, Exime ex oculis tuis trabem*, ita effert Matth. 7. 3. *Hypocrita, ejice prius ex oculo tuo trabem, & ita demùm cernes ut ejicias ex oculo tui fratris festucam.* Hoc posito quæritur an impossibile sit omninò, ut divites ingre-

diantur Regnum Dei? Et respondeo ex testimonio veritatis minimè dubio impossibile id esse apud homines, non apud Deum. Deo enim nihil impossibile. Præterea ut etiam Nicolaus observat, *loquitur ibi non de quibusvis divitibus, sed tantùm de iis, qui confidunt opibus suis.* Patet ex Marc. 10. 24. tales autem, nisi ad meliorem mentem redeant, in Dei Regnum ingredi nullo pacto possunt. Nam, ut ait sapiens noster, *Qui fidit divitiis suis, corruet.* Omitto, quòd proverbii usus esse possit de re duntaxat perdifficili, nempe *ὑπερβολικῶς*, qui tropus, inquit Augustinus, i. *modus locutionis, fit, quando id, quod dicitur longè est amplius quàm quod eo dicto significatur.* Hyperbolas enim in divinis literis crebrius obvias esse sciunt omnes, qui haud extremis labris eas degustarunt.

X.

*Lucernam subter modium ponere.*

*Λύχνον ὑπὸ τὸν μόδιον τιθεῖναι*, i. *Lucernam sub modium ponere.* Dicitur de eo, qui occultat, quæ minimè occultanda sunt, cujusmodi est virtus, Matth. 5. 15. *Neque accendunt Lucernam, & ponunt eam subter modium: sed in candelabrum, ut splendeat omnibus, qui sunt in domo. Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant bona vestra opera & glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis.* Et verbum Dei. Beda in Comment. Marc. 4. 21. *Qui amore presentis vitæ, vel carnalis illecebræ, occultat verbum Dei, quasi sub modio vel lecto lucernam operit.* Et scientia rei honestæ ac utilis. Nam scientia hujusmodi celanda non est, sed patefacienda; in lucem proferenda, divulgandaque ad communem utilitatem.

*Scire tuum nihil est, ait ille, nisi te scire hoc sciat alter.*

Ut enim lucerna subter modium posita, nulli usui est, ita nec scientia, quæ sit abscondita, usum ullum habet. Agellius lib. 13. cap. 29. *Propius accessi, & nôsti, inquam; magister, verbum illud scilicet vetus, Egregram Musicam, quæ sit abscondita, eam esse nulli rei.*

XI.

*Lucernam subter lectum ponere.*

Eundem sensum continet *λύχνον ὑπὸ τὴν κλίνην τιθεῖναι*, i. *Lucernam subter lectum ponere*: nam sub lecto nullus est usus Lucernæ. Non enim ibi splendere potest iis, qui in domo sunt. Sic inutilis est omnis sapientia, si lateat, & occulta sit. Reperitur Marc. 4. 21. *Geminum est, λύχνον ἐν κρυπτῶν τιθεῖναι*, i. *lucernam in occulto ponere*, Luc. 11. 33. Contrarium verò *λύχνον ἐπὶ τὴν λυχνίαν τιθεῖναι*, i. *lucernam candelabro imponere*: quod reperies in omnibus ex Evangelio locis modò citatis.

XII.

*Cæcus cæcum ducit.*

*Τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγεῖ*, *Cæcus cæcum praeit*, sive *dux est*. Quando indoctus indoctum docet; aut improbus improbo

probo præit exemplo vivendi, vel cum imprudens imprudenti consilium dat. Porro cæcus est omnis improbus: nam improbitas nihil aliud est quam cæcitas mentis, ex quo illud, *Via improborum quasi caligo, nesciunt quò impingant*. Rursus cæcus est imprudens: hoc probandum venit. Ergò Salomo ait, sapientem oculos gestare in capite: unde sequitur, stultum hominem non habere oculos in capite, h. e. captum oculis ac planè cæcum esse; videlicet propter imprudentiam: Nam oculus Symbolum est prudentiæ: itaque idem autor, *Stultus, inquit, in tenebris ambulat*. Nam qui luminibus caret, ei vel ipsa lux tenebræ sunt. Cæcus præterea appellatur indoctus & ignorans, quòd primo loco dictum oportuit, quia cæcitas in animo est error & ignorantia, principium & radix omnis peccati. Unde secundum Aristotelem, *omnis peccans, ignorans*: Quod quomodo intelligendum sit, dicam alio tempore. Nunc ad proverbium nostrum, quod haurio ex Luc. 6. 39. ubi παραβολή proverbium significat, dicebat eis parabolam. *Potestne cæcus cæco dux esse? nōne ambo in foveam cadent*. Et apud Tertullianum lib. 3. adv. Marcion. cr7. *Discat nunc Hæreticus ex abundanti cum ipso licebit Judæo, rationem quoque errorum ejus, à quo ducatum mutuatus est in hac argumentatione, cæcus à cæco in eandem deductus foveam*.

## XIII.

*Nemo Propheta acceptus in Patria sua.*

Luc. 4. 24. οὐδεὶς προφήτης δεκτός ἐστιν ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ, i. *Nemo Propheta acceptus in patria sua*. Sententia est, Nemo honoratur in patria sua apud consanguineos & populares suos. Quod Matth. 13. 57. lectum, *ἔκ ἐστι προφήτης ἀτιμῶται μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ, ἢ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ*, i. *Non est Propheta in honoratus nisi in patria sua, & domo sua*. Similiter Marc. 6. 4. nisi quòd ibi additum, *ἢ ἐν τοῖς συγγενέσι*, i. *& inter cognatos*. Cæterum communiter, non semper ita evenit, Tale est, *Nusquam ruta fides*. Ebraicè dices, *יין נכין נכבד בארץ מולדתו* *Non est Propheta honoratus in terra natiuitatis sue*. Tertullianus adv. Marcionem lib. 4. cap. 8. *Apud Nazareth quoque nihil novi notatur predicasse, dum alio, merito unius proverbii, ejectus refertur*. Loquitur de Christo, innuens hoc dictum ipsius, quod proverbium esse ait, nec quisquam cum ratione negare potest: *ἀλιμος*, i. *expers honoris, eodem interprete*.

## XIV.

*Sufficit diei sua vexatio.*

Matth. 6. 34. Ἀρκεῖ δὲ τῆς ἡμέρας ἡ κακία αὐτῆς, i. *Sufficit diei malitia sua*: h. e. *afflictio, miseria, vexatio*. Ebraicè *רעות ליום די*, *Satis malorum adfert ipse dies*. Posidippus

Ἔργον γε λυπὴν ἐκφυγεῖν ἢ δ' ἡμέρα  
Ἄειτε κακὸν εἰς τὸ φρονιζέειν φέρεται,

i. interprete Henr. Stephano.

*Difficile mærorem effugere: dies enim  
Subinde curas procreat nobis novas,*

Admonemur hoc proverbio ne solliciti simus de crastino, quia quæque dies satis habet ærumnarum & vexationis, ut stultum sit rerum futurarum curam præter modum angi, aut torqueri.

## XV.

*Medice te ipsum cura.*

Ἴατρὲ θεράπευσον σεαυτὸν, *Medice cura te ipsum*. Proverbium propriè in malos medicos, qui in alienis morbis profitentur, se tenere medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt. Quod genus est illud,

Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἔλκεσι ἑρῶων

i. *Camerario interprete,*

*Medicus aliorum, ulceribus ipse qui scætet.*

Conveniet in eos, qui avari avaros, gloriæ cupidos gloriosi reprehendunt: in concionatorem, qui non vivit secundum ea, quæ docet; in Theologum aut Philosphum, cujus cum vita pugnet oratio. Est autem alienum Viro, quod alteri præceperit id ipsum facere non posse. Theologia vita est, non ars; sapientia, non scientia. Citatur hoc sensu Luc. 4. 23. ubi rursus παραβολή est proverbium, videlicet *ἴατρ*, quæ vox modò parabolam significat, modò proverbium. Nunc ergò proverbium intelligemus sensu ita exigente. Syriacè *ܕܝܢܐ ܕܝܢܐ ܕܝܢܐ*, *Medice medere tibi ipsi*.

## XVI.

*Fluctuat quousvis vento.*

Κλυδωνίζεσαι παντὶ ἀνέμῳ, i. *Fluctuat omni vento*. Quadrat in hominem inconstantem ac nobilem. Apostolus accommodat ad eos, qui nullam habentes certam doctrinam amplectuntur, modò hanc, modò illam. Ephes. 4. 14. *Ut non simus amplius pueri, qui fluctuamus, & circumferamur omni vento doctrina*. Ductum à mari, quod quolibet vento agitur & fluctuat. Simile est, *Ventilat omni vento*, quod reperies inter adagia Siracidis.

## XVII.

*Alius qui serit, alius qui metit.*

יִצְרָק וְיִתֵּן וְיִתֵּן וְיִתֵּן, i. *alius qui seminat, alius qui metit*. Verus verbum in eos qui alieni laboris fructum colligunt. Græcè effertur in Græcorum adagiis, *ἄλλοι μὲν σπείρουσ' ἄλλοι δ' ἀναμύσουσιν*. Erasmus allegavit etiam citra metaphoram, *ἄλλοι κάμουν, ἄλλοι ὠνάουσι*, i. *alii laborarunt, alii fructum perceperunt*. Cui cognatum, *Meris quod non seminasti*. Joan. 4. 37. ἐν ἴσῳ ὁ λόγος ἐστὶν ἀληθινός. ὅτι ἄλλος ἐστὶν ὁ σπείρων. καὶ ἄλλος ὁ θερίζων, i. *in hoc dictum illud verum est, Alius est sator, & alius messor*. Hujus loci est, quod Job. 3. 1. 3. *יִתֵּן וְיִתֵּן*, i. *Quod seminaverit, alius comedit*.

## XVIII.

*Omni habenti dabitur.*

Matth. 25. 29. Luc. 19. 16. παντὶ τῷ ἔχοντι δοθήσεται

δοθήσεται καὶ περισσευθήσεται ἀπὸ δὲ τῆ μὴ ἔχοντος, καὶ ὃ ἔχει ἀρθθήσεται ἀπ' αὐτοῦ, i. *Omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo vero qui non habet, etiam quod habet auferetur.* Hoc quasi proverbio docemur, spiritualia dona largitate augeri, eademque parsimonia minui. Sic Marc. 4. 25. & Luc. 8. 18. ὅς ἂν ἔχη δοθήσεται αὐτῷ, &c. i. *Qui habet, huic dabitur:* ac si diceret, Qui dona, quæ habet liberaliter cum aliis communicat, huic divina benignitas ampliora insuper dono impartiet: qui verò non habet, h. e. qui donis, quæ habet non utitur ad utilitatem Ecclesiæ, aut qui ea, quæ habet, ita parcè communicat, ut videatur non habere, ab eo quicquid habet auferetur. Hoc sensu Salomo dixit, *Anima benedictionis pinguescet, & Qui irrigat, ipse quoque irrigabitur.* Sed Matth. 13. 12. *Qui habet, ei dabitur:* vult dicere, Qui fidei donum habet, huic cætera quoque dabuntur; at qui fidei donum non habet, ab eo reliqua omnia, quæ habet, adimentur.

XIX.

*Bonos mores colloquia corrumpunt mala.*

Φθειροσιν ἤθη χρηστὸ ὁμιλίαι κακάι. Menandri Senarius Proverbialis, laudatus Apostolo 1. Cor. 15. 33. quem Hieron. epistol. ad Magnum Oratorem Romanum, ita in Latinum convertit, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Vivendum cum iis, quibus non solum vita casta, sed etiam sermo castus est. Nam pravis confabulationibus animi mores facillimè corrumpuntur, inficiuntur. Idèò mihi videtur divinus Plato nutricibus prudenter admodum præcepisse, ut delectum haberent in fabulis quas pueris recitarent, ne horum animi ab initio stoliditate ac saturitate occuparentur, cuius rei autor est Plutarchus. Alia interpretatio, *Corrumpunt bonos mores conversationes malas, vel, commercia prava.* Vitandi mali, quòd eorum consortio & consuetudine boni mores depraventur. ὁμιλία, *conversatio, & ὁμιλεῖν, conversari, ut in illo Theognidis, κακίως ὁμιλῶν, ἢ αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός,* i. *Si cum malis converseris, & ipse fiet malus.*

XX.

*Alea hominum.*

Ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, i. *in alea hominum, cum ait Apollolus Eph. 4. 14. significat ancipites casus, quibus hominum vita jactatur.* Genus loquendi quale est apud Varronem de re rustica lib. 1. cap. 4. *Ubi salubritas non est, cultura non aliud est atque alea domini vite, ac rei familiaris.* Quod proverbio dici declarat Ambrosius epist. 24. hoc modo scribens, *Ergo sancta germana tua non jus, sed sollicitudo decessit; non fructus, sed cultura labor; non reditus, sed incerti eventus quadam; ut vulgò dicitur, alea.* In Thalmud alea vocatur קוביא, Ergò *in alea hominum, i. בקוביא של בני אדם,*

XXI.

*Sufficiat servo ut sit par hero suo.*

די לעבד לחיות כרבו, i. ἀρκεῖν τῷ δούλῳ ἵνα γένηται

ὡς ὁ κύριος αὐτοῦ. Latine *Sufficiat servo ut sit sicut Dominus suus.* Monet suos hoc Proverbio Christus, ut tollerent injurias & contumelias, quas ipse tolerarit: q. d. Si ego Dominus ac præceptor vester contumelias aliorum tuli, multò magis vos, qui servi ac discipuli mei estis, eas ferre debetis. Nam servus, quam diu servus est, non debet meliora sibi promittere quàm Dominus suus. Sufficiat ei, si sit pari cum eo conditione: imò gaudeat, si non fuerit fors ipsius deterior. Effertur & hoc modo, Ἀρκεῖν ἵνα γένηται ὁ δούλος ὡς ὁ κύριος αὐτοῦ, Matth. 10. 24. *Sufficiat ut servus sit sicut Dominus suus. Si ipsum Patrem familias Beel sebul vocarunt, quanto magis domesticos ejus?* Mentio hujus & inter Thalmudica.

XXII.

*Sufficiat discipulo ut sit sicut Præceptor suus.*

Eundem sensum habet, Ἀρκεῖν τῷ μαθητῇ ἵνα γένηται ὡς ὁ διδασκαλός αὐτοῦ, i. *Sufficiat discipulo ut sit sicut doctor suus.* Cæterùm Ebraicè legitur apud Gerardum Velryckum, in appendice libri quem inscripsit *Itinera deserti*, כרבו יהיה לך למידה דיו Syriacè autem existat apud Interpret. Syrum, פקפ ה לה למידה רגוה מרה, i. *Sufficiat discipulo, ut sit sicut magister suus.* Discipulus, donec discipulus est, debet esse contentus, si exæquet doctrinam magistri sui, aut si eadem cum illo conditione, h. e. si non durius tractetur. Huc refer ex eodem loco, οὐκ ἐστὶ μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον, i. *Non est discipulus supra magistrum.* Quod etiam invenitur Luc. 6. 40. Huic simile.

XXIII.

*Non est servus supra Dominum.*

Οὐκ ἐστὶ δούλος ὑπὲρ τὸν κύριον, i. *Non est servus supra dominum: h. e. potior, aut superior domino suo, ut Joh. 13. 16. Ἐκ ἐστὶ δούλος μείζων ἰσὺς κυρίου αὐτοῦ, i. Servus non est major domino suo. Itaque si ego lavi pedes vestros dominus, & magister, vos quoque debetis alii aliorum pedes lavare; & 15. 20. Mementote sermonis quem ego dixi vobis, Non est servus major domino suo, si me persequuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt:* עבדך עין רבו Eiusdem generis est, Ἐκ ἐστὶν ἀπόστολος μείζων τῆ πέμψαντος αὐτόν, i. *Non est legatus major eo, qui ipsum misit.*

XXIV.

*Paries dealbatus.*

Τοῖχος κενονιαμένον, i. *Paries dealbatus.* Reperitur Act. 23. 3. Admonent dici de foris apparente specie, & intus recondita futilitate. Nam qui habitu aut vultu præ se fert probitatem, cuius planè sit expertus, similis est parietibus, qui extrinsecus opere rectorio exornati intus lapidum & rdibus cæmentorimque pleni sunt. Potest etiam usurpari de externa specie felicitatis. Seneca in libro de Divina providentia; *Isti quos pro felicibus aspicias, si non quâ currunt, sed quia la-*

rent videris, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti: Non est ista solida ac sincera felicitas: crusta est, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, & ad arbitrium suum ostendi, nitent & imponunt. Cum aliquid inciderit quod disturbet ac detegat, tunc apparet quantum alta ac vera felicitatis alienas splendor absconderit.

## XXV.

## Sepulcra dealbata.

Ad eundem sensum accipio quod Servator noster extulit de Phariseis hypocritis, eos vocans *ἰαφύς κεκοσμημένους*, sepulcra dealbata, seu incrustata: ed quod, ut ipsemet testatur, foris quidem hominibus iusti videntur, sed intus essent simulationis & iniquitatis pleni. Verum subijciam ipsiusmet verba, prout habentur Matth. 23. 27. *Veh vobis Scriba & Pharisei hypocrita, quoniam similes estis sepulcris dealbatis, quae extra quidem apparent pulcra, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, omnique immunditia: Ita & vos extra quidem apparetis homines iusti, intus autem pleni estis hypocrisis & iniquitate.* Syrus habet *קברא מכילא*, i. Sepulcra incrustata, illit *אבן אלבאריו*. Etenim albarium *אבן כלה* dicitur, voce, quantum arbitror, à Latinis mutuata, propterea quod è pura fiat calce. Huc alludens Chryostomus, scribens in Psal. 70. Hom. 1. *Ubi sunt, inquit, qui semetipsos adornant extrinsecus, & depingunt: nolo pulcritudinem corporis, honestatem mentis requiro. Quid enim est pulcra mulier? sepulcrum dealbatum, nisi fuerit sobria, casta, pudica.*

## XXVI.

## Alpha &amp; Omega.

Id est, principium ac finis. Meminit Erasmus in Adagio *Prora & puppis*, Apocal. 1. 8. *ἐγὼ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος*, i. Ego sum A & Ω, principium & finis. Sic Apoc. 21. 6. quae eadem verba repetuntur 22. 13. additis duobus vocabulis *ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος*, i. e. Primus & ultimus. Pro eo est Jes. 48. 12. *אני ראשון ואני אחרון* i. ego primus, etiam ego postremus: ac si diceret, ego omni principio antiquior sum, & omni fine posterior. Nam ante me nihil fuit, & ut omnia intenteant, superstes illis omnibus maneo. Idem de Christo statuendum. Ambrosius Hexaem. lib. 1. cap. 3. *Christus verè & secundum Divinitatem est initium omnium, quia nemo ante ipsum: & finis, quia nemo ultra ipsum.* Rursus Jes. 41. 4. *Ego Jehovah primus, & cum postremis ego sum.* Obiter noto, *Cum postremis*, i. postremus, sive, ut vet. edit. habet, *novissimus*. Alpha & Omega quidam usantur pro eo quod Latini dicunt, *Prora & puppis*: sed an rectè, viderint. Adagii origo ex Alphabero Graeco, in quo Ω literarum postrema est, ut A, prima: unde *Alpha penultorum*, i. primus, sive princeps.

## XXVII.

## Metis ubi non seminasti.

Matth. 25. 24. *ὁ δὲ εἶπεν ὁ πτωχὸς ὅτι ἐσπερας, i. Metis ubi non*

sevisi. Hoc est, fructum colligis, ubi non laborasti; aut compendium facis, ubi non impendisti. Pro quo Luc. 19. 21. habetur, *ὁ δὲ εἶπεν ὁ οὐκ ἐσπερας, i. Metis quod non seminasti.* Quadrat in hominem imprimis avarum & rapacem, durumve ac rigidum alieni exactorem. Hujus figuræ est quod vulgò fertur, *Alienam metit messem, seu in alienam messem falcem mittit, de eo, qui sibi vendicat fructum alieni laboris.*

## XXVIII.

## Tollis quod non posuisti.

Superiori germanum, *ἄγεις ὃ οὐκ ἐθηκες, i. Tollis, quod non deposuisti.* Dicitur est servi illius, qui datam à domino minam in sudario reposuerat, humique defoderat. Cui Dominus ita respondet, Luc. 19. 22. *Serve nequam, ex tuo ipsius ore te damnabo: sciebas quod ego homo austerus sim, tollens quod non posui, & metens quod non seminavi; cur igitur non dedisti pecuniam meam ad mensam, & eam veniens cum fœnore exegissem? In Matthæo est, ἦδεις ὅτι συνάγω ὄθεν & διεσκορπίσα, i. sciebas me inde colligere ubi non dispersi.* Sumprum videtur à fœneratoribus, qui ex pecunia fœnori data, quam sortem vocant, aliam pecuniam quam non deposuerunt, neque impenderunt, colligunt. Huc refer, quod apud Platonem, *Qua non posuisti, ne tollas*, Reperies in He-cato lib. 6.

## XXIX.

## Malos malè perdet.

Matth. 21. 41. *κακὸς καυρὸς ἀπολέσει, i. Malos malè perdet.* Proverbium est indicans quo sint exitu digni mali. Ita dico, indicat improbos dignos exitio conveniente ipforum improbitati ac sceleribus. Mentio hujus in historia Buchanani lib. 12. *Cæteri cum in jus ducerentur, exortus est, cum clamore totius exercitus, tumultus, omnibus vociferantibus, malos malè perdendos.*

## XXX.

## Tibi à cecinimus vobis, nec saltastis.

Matth. 11. 17. Luc. 7. 32. *ἠυλόσαμεν ὑμῖν καὶ οὐκ ὤρχησασθε, ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν καὶ οὐκ ἐκόψασθε. Tibi à cecinimus vobis, & non saltastis; Lamentati sumus vobis, & non planxistis.* Accutatur proverbio perversitas seculi, quod neque duris neque mollibus moveretur. Velerat vulgaris cantilena à pueris cani solita in eos, qui neque rebus lætis ad læticiam, neque tristibus ad tristitiam commoverentur. Christus ibi specialiter accommodat ad Judæos, qui propositi sui adeo tenaces erant, ut neque lenitate Messiae ad meliorem mentem, neque austeritate Johannis ad emendationem vitæ revocari potuerint. *Venit, inquit, Johannes, qui neque comedit, neque bibit, & eum dixerunt dæmonium habere. Venit filius hominis, qui & comedit & bibit, & eum dixerunt hominem edacem, vini potorem, publicanorum & peccatorum amicum.* Polydorus Virgilius scribit proverbium esse in homines inhumanos, qui neque gaudere cum gaudentibus, neque plorare cum plorantibus possunt.

## XXXI.

XXXI.

*Excolatis culicem, & camelum deglutitis.*

Matth. 23. 24. ὁδηγοὶ τυφλοὶ οἱ διυλίζοντες τὸν κώνωπα. τὸν δὲ κώνωπον καὶ ἀπίνοντες, i. *Duces caeci, qui culicem percolatis, camelum verò deglutitis.* Proverbium est à Servatore nostro jactatum in Scribas ac Pharisaeos hypocritas, qui minima quæque observabant, omiſſis quæ sunt in Lege maxima, scilicet iudicio, misericordiâ, pietate. Metaphora desumpta à liquidis, quæ colo purgantur, secretis fordibus à puriore liquore. Scitè torquetur in Pharisaeos nostri temporis, qui ceremoniarum curiosi pietatis officia securè negligunt. Hier. Matth. 7. ad locum, *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui.* De his loquitur, inquit, qui cùm ipsi mortali crimine teneantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt: *culicem liquantes, & camelum glutientes.*

XXXII.

*Eijice ex oculo tuo trabem.*

In eodẽm jactabatur, *Hypocrita, ejice prius ex oculo tuo trabem, & ita demum cernes, ut ejicias ex oculo fratris tui festucam.* Nam hypocritæ in alienis vitiis oculatissimi sunt, in suis planè cæcutiunt. Utitur Christus, Matth. 7. 3. Licebit ita efferre, ἑλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, ἰδὲ ἐν τῷ σφόδρα μῶ δονὸν ἔ' καλανοεῖς, *Festucam cernis in oculo tui fratris, at trabem in oculo tuo non animadvertis.* Quale est illud Senecæ, *Papulas alienas observatis, obſiti plurimis ulceribus.* Tertullianus Apolog. adver. Gentes, *sed stipulam quis in alieno oculo facilius perspicit, quàm in suo trabem.* Hic καὶ εἶπεν redditur stipula. Dicimusetiam, *per trabem oculi sui festucam in oculo alterius perspicere.* Cæterùm Ebraicè exstat in Gemara שׁוֹל קוֹרָה מִבַּיַּת עֵינַי, i. *Tolle trabem ex oculo tuo.* Ad id proverbium Thalmudica, quæ reperies in Class. 3. lib. 3. In Libro Musar (liber est ejus nominis, præcepta de moribus continens, quem in Bibliotheca sua habet eruditissimus vir mihi que olim, cùm in Anglia essem, conjunctissimus, Thomas Bodlæus, quem honoris & amoris causâ nomino) R. Tarphon, qui nescio an sit Tryphon Judæus, ait, שׁוֹל קוֹרָה מִבַּיַּת עֵינַי, *Tolle trabem ex oculis tuis.* Est autem קיסם *frustum asseris, vel trabis, παρὰ τὸ קסם, quod linguâ Ismaelitica significat חתר vel גזר* ait R. Nathan is, qui vocum Thalmudicarum sensa collegit.

XXXIII.

*Nemo potest duobus simul dominis inservire.*

Οὐδεὶς δύναται δυοῖς κυρίοις διαλέυειν, *Nemo potest duobus dominis servire.* Debet intelligi de iis, qui inter se dissentiunt: nam si consentiant, facile est non solum duobus, sed etiam pluribus inservire. Plures enim consentientes instar unius sunt. Refertur Matth. 6. 24. Porro hæc esse mentem adagii, patet ex eo quod sequitur.

XXXIV.

*Non potestis Deo servire & Mammonæ.*

Οὐ δύνασθε Θεῷ διαλέυειν καὶ Μαρμωναῖ, *Non potestis Deo servire & Mammonæ; h. e. avaritiæ, q. d. Non potestis pietati & quæstui simul operam dare.* Cui consentaneum dictum Cræteris Philosophi, qui rationem sciscitanti cur aurum abjecisset, respondisse fertur, *Neminem posse & opibus & virtuti simul indulgere.* De Mammona voce Syriaca, divitias vel lucrum significante, vide quæ scripsimus ad voces N. T. cap. 14.

XXXV.

*Non dignus qui illi solvat corrigiam solearum.*

Proverbium est, quale apud Autores profanos, *Non dignus, qui illi maculam porrigat.* Cæterùm non uno modo effertur, Matth. 3. 11. ὁκ εἰμι ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα ἀντὶς βασάσαι. *Non sum dignus qui soleas, vel calceos ipsius porrigem.* Marc. 1. 7. ὁκ εἰμι ἱκανὸς κλύσαι λύσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ, id est, *Non sum dignus ut solvam corrigiam solearum ipsius.* Verba sunt Johannis Baptistæ, quibus significat se Christo dignitate multis partibus inferiorem esse, q. d. Ne quidem dignus sum, qui hoc ministerii ei exhibeam, quod exhiberi solet ab infimis servulis. Alibi est, nescio quo in loco, ὁκ εἰμι ἀξίος τὸ ὑπόδημα τῶν ποδῶν αὐτοῦ λύσαι, *Non sum dignus, qui soleas pedum ipsius solvam.* Ortum ex consuetudine veterum Judæorum, qui calceos vel soleas vinciebant corrigiâ; quam incurvatus solebat fervorum aliquis, cùm calceos exuere vellent. Valeat ergò ut si dicas, *Non sum dignus, qui ei calceos exuam.*

XXXVI.

*Quâ mensurâ mensi fueritis, remetientur vobis.*

Matth. 7. 2. Luc. 6. 38. Marc. 4. 24. ἐν ᾧ μέτρῳ μετρήετε, ἀντὶς μετρηθήσεσθε ὑμῖν. *Quâ mensurâ metimini, remetientur vobis: sub. homines.* Vult dicere. Quod feceritis aliis, vicissim facient vobis. Purum putum proverbium, quod reperies & inter Thalmudica. Nam in Thalmud tractatu de Sanhedrin, במדה שׂאדם מודדו לו eâ mensurâ, quâ homo metitur, contra remetientur ei. Dicunt etiam מדה כנגד מדה *mensura pro mensura, sive par pari;* de quo in proverbiiis Rabbimicis. Tale est in mimis Publîi, *Ab alio expectes alteri quod feceris.*

XXXVII.

*Idem poculum bibere.*

Est eandem sortem subire. Sæpius in malam partem sumitur, ut Matth. 20. 22. δύνασθε πίνειν τὸ ποτήριον ὃ ἐγὼ μένω πίνειν; *potestis bibere poculum quod ego bibiturus sum?* Sic Marc. 10. 35. *potestis bibere poculum quod ego bibi?* h. e. eadem pati, quæ ego patior? eadem vexationes & incommoda sustinere?

## XXXVIII.

*Eodem tingi baptisate.*

Diversis verbis eandem rem declarat Christus cum ibidem ait, δύνασθε τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήναι; i. potestis baptisate, quo ego baptizor, baptizari? Baptizamur aquâ? Aqua autem in divinis literis res adversas denotat. Similiter baptisma, ut Luc. 12. 50. *Baptisate baptizandus sum, & quomodo angordum finiatur?* Verba sunt Christi de passione sua.

## XXXIX.

*Arundo vento agitata.*

Κάλαμος ἔπι ἀνέμου σαλδοῦμι, *Calamus vento agitatus.* Quadrat vel in rem vilem & passim obviam: vel in hominem levis ingenii, qui modò hoc, modò illud sequitur, atq; ut ait Apostolus, quovis doctrinæ vento fluctuat. Matth. 11. 7. Luc. 7. 24. *Eis autem abeuntibus, cepit Jesus dicere de Johanne, Quid spectatum egressi estis in desertum? Arundinem vento agitatum? vel qua agitetur à vento.* Theodorus in postrema edit. *Declarat, inquit, rem ludicram & vilem, cujus spectanda causi nullus pedem moveat potius quam inconstans ac levis ingenii hominem: id quod declarat antithebis hominis opulenti, & cujus luxum ac magnificentiam spectare omnes gestiant.* A calamo qui à vento agitur similitudo est in tertio Machabæorum, qui Latine non exstat; ἐμώσῃ ζεν αὐτὸν, ἐνθεν καὶ ἐνθεν κραδάνας αὐτὸν αἰς κάλαμον ἔπι ἀνέμου, i. *Flagellavit eum hinc inde agitatum sicut arundo agitur à vento.*

## XL.

*Dignus operarius mercede.*

Ἄξιος ὁ ἐργάτης τῆς μισθῆς αὐτῆς, *Dignus est operarius mercede sua.* Adagium hoc apertius est quam ut explicari debeat. Hoc unum te moneo, ne istud tantum existimes de mercenariis dictum. Ad eos præcipue pertinet, qui in Verbo laborant. Sic utitur Apostolus 1. Tim. 5. 18. Potest etiam referri ad eos, qui in otio degunt literario. Digni enim certè sunt præmio, qui alios docent, qui libros scribunt ad communem utilitatem. Quòd si sordidis artificibus merces persolvitur, quantò magis iis, qui artes honestas ac nobiles tractant? Qui libros utiles scribunt, iis eò major gratia debetur, quòd sunt rariores hodie, qui hoc faciunt. Nam etsi multi multa cudant & chartis illinant, non omnium tamen opera æquè utilis est; ac sunt quos præstaret nihil omnino scribere: inter quos me quoque numerari volo, quem manus irrequieta non finit unquam quiescere. Non omnes qui lauream gestant, Poætæ sunt. *Multi quidem Thyrsigeri, at pauci Bacchi.* Usus est hoc proverbio & Christus, cum mitteret discipulos suos ad prædicandum Evangelium, Matth. 10. 10. *Dignus est operarius alimento suo, τῆς τροφῆς αὐτῆς.* ac si diceret, *Ne estote solliciti, Deus vobis de alimento providebit,*

## XLI.

*Neque frigidus, neque calidus.*

Scribit Franciscus Vallesius, de sacra Philosophia, five de iis, quæ scripta sunt Physicè in sacris literis, c. 90. quod etiam experimento Medicis norissimum est, tepida omnia stomachum laxare atque subvertere: calida verò aut frigida eundem constringere, ac proinde retineri in eo multò melius. Usque aded ut ipsa aqua, quæ alioqui per se vim nullam vomitoriam habet, si tepida bibatur, vomitum eo solo nomine moveat. Ex hac natura harum qualitatum dictum est Apoc. 3. 16. *Utinam aut frigidus aut fervidus esses, nunc quia tepidus es, neque frigidus, neque fervidus, futurum est, ut te vomam ex ore meo.* De hoc dicto variae sunt hominum eruditorum sententiæ. Quidam exponunt, *neque frigidus, in malo, neque fervidus, in bono, sed tepidus, h. e. medio quodam modo affectus.* Iidem per *frigidum* in malo, intelligunt eum, qui metu numinis à peccando abstinere: meo iudicio, nimis frigidè. Alii *frigidorum & calidorum* nomine significari putant pessimos & optimos: *tepidos* autem vocari homines remissæ cuiusdam & imperfectæ virtutis, hosque vituperari plus aliis, non quòd sint deteriores, sed quòd suâ mediocritate decepti minùs soleant ad perfectam virtutem adspirare. Placet hoc plerisque: Vallesio non satis. *Potius, inquit, Tepiditatis nomine significat dispositionem quampiam animæ, qua mediocritatis cuiusdam speciem præ se ferat, revera autem sit vitiosissima, dicaturque tepiditas, ob apparentem pacem, vituperetur autem omnium maxime ob verissima & maxime latentia vitia.* Ergo inquit; *Utinam calidus aut frigidus esses; h. e. bonus aut aperte malus, & perturbationibus plenus, ut iis sedatis ageres poenitentiam ac respisceres: Sed quia tepidus es, h. e. sub specie boni iniquus & impoentens, & legis contemptor, evomam te, velut qui tepida deglutierunt juscula.* Hæc Vallesius. Quæ malui te ipsius quam meis verbis cognoscere. Vulgò, *Nec calidus nec frigidus dicitur, qui nec pietati admodum addictus, nec profus adest: sed inter virtutes, ut cum Hieronymo loquar, medius fluctuat.*

## XLII.

*Vivens mortua.*

Ζῶσα ἡ ἐθνηκε, i. *Vivens mortua est, 1. Tim. 5. 6. ἡ δὲ σπαλαῶσα ζῶσα ἡ ἐθνηκε. i. at que in luxu vivit, a vivens mortua est;* de vidua luxui dedita. Proverbium ex contrariis. Hieronymus ad Eustachium, *si hoc sustinent illi, qui exeso corpore solis cogitationibus oppugnantur, quid patitur puella, qua deliciis fruitur? nempe illud Apostoli, Vivens mortua est.* Ex hoc loco *Vivens mortuus* appellari poterit, qui in peccatis vivit: nam talis mortuus est Deo, licet vivat mundo, *Non est planè dicenda mors, ait Ambrosius serm. 67. quæ Christo mortuum socians lucrum efficit morientis, sicut ait beatus Apostolus, Mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum*

PROVERBIA SACRA.

453

erum. Illa autem vera mors, quæ etiam viventem hominem peccatorum morte constringit, qui quamvis vivere videatur sceleribus tamen suis morti jam videtur addictus, sicut ait Apostolus de illa deliciosa vidua, Hæc autem vivens mortua est. Idem Epist. 7. Nihil profunt delicia stulto. Et quicumque à pueritia dederit se deliciis, manebit in servitute, ut vivens mortuus sit. Item de Cain & Abel, lib. 2. cap. 9. Impii etiam si videantur vivere, inferiores tamen sunt omnibus mortuis, carnem suam sicut tumidum circumferentes, cui infelicem infoderunt animam suam. Quid enim aliud est quam sepulta, qua intra humum volvitur, & terrena avaritia cupiditatibus cæterisque vitiis includitur, ut gratiæ cœlestis auram spirare non possit? Vivere mortui dicuntur etiam qui miserè vivunt; ut cæci: de quibus Manilius; se quisque & vidit & effert. Vult dicere, Cæci & vivunt & efferunt se funus quotidie. Item senes quidam. In consolatione Ciceroni falso adscripta, Quid enim est aliud senem videre trementem, incurvum, canum, imbecillum, infirmum, quam cernere morientem vivum, aut viventem mortuum? Et qui malam uxorem habent? Cæcilius, Dum ejus mortem inhio, egomet vivo moriurus. Verba sunt mariti cujusdam conquerentis de uxore sua. Dico qui miserè vivunt. Nam vita misera mors est, non vita. Vivere enim dicuntur, qui jucundè vivunt.

XLIII.

Ex fructu arbor cognoscitur.

Ex τῆ καρπῶ τοῦ δένδρον γινώσκεται. E fructu arbor dignoscitur. E moribus homo cognoscitur qualis sit, bonus videlicet, an malus. Nam si boni mores sunt, bonus est; si mali, malus. Non potest mala arbor edere fructus bonos, nec bona malos. Exstat in Evangelio Matth. 12. 33. Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: nam e fructu arbor cognoscitur. Admonet ergo hoc proverbium, sicut e fœtu arborem, ita hominem e factis æstimandum esse. Quocirca cum neque in Christi doctrina, neque in ejus moribus quicquam esset culpandum, immeritò ejus facta carpebant Judæi tanquam Diabolica essent, cum à Diabolo nihil boni proficisci possit. Meminit hujus & Erasmus; quem vide, si vacat.

XLIV.

Qualis fructus, talis arbor.

Ex fructu judicium faciendum de arbore, ex moribus de homine. Nam arbor bona, quæ fert fructum bonum: & contrà mala, quæ malum; sic homo probus, qui probè ac sapienter vitam instituit. Qui fœcus facit, improbus est. Nam prout est vita, ita quisque apud Deum bonus vel malus. Cæterum converti hæc possunt, ut dicatur, Qualis arbor, talis fructus. Nam ut ait Assessor noster Matth. 7. Omnis arbor bona edit fructus bonos; mala verò edit fructus malos. Non potest arbor bona fructus malos edere, neque arbor mala fructus bonos. Pulchrè ad h. l. Hieron. Tandem, inquit, bona ar-

bor fructus non facit malos, quamdiu in bonitatis studio perseverat. & mala arbor tamdiu manet in fructibus peccatorum, quamdiu ad pœnitentiam non convertitur. Nemo enim permanens in eo quod fuit, incipit id esse quod nondum cepit. Hæc ille, sed vide lodes, quæ præcedunt. Ebraicè טוב נושא פרי רע כל אילן רע נושא פרי רע Omnis arbor bona fert fructum bonum, & mala arbor mala fert fructum malum.

XLV.

Qui stat, videat ne cadat.

Apostolus exulit, Qui videtur stare. Multi enim opinione suâ tantum stant, quæ opinio ipsis perniciosa est, verba Græca sunt. 1. Cor. 10. 12. ὁ δοκῶν ἰσθῆναι, βλέπω μὴ πέσῃ. Qui putat se stare, videat ne cadat. Porro cadere dicitur, qui fide excidit, sicut legimus 2. Cor. 1. 24. Nam fide statis: item qui peccat, aut in calamitates incidit, ut in illo, Septies cadit justus & surgit: & qui ex alto gradu dignitatis corrui. Esth. 6. 13. ante quem cadere cepisti, i. minui. Sic cadendo cades coram illo. Bernardus, facere in animo propria deputatur culpa. Voluntati namque suâ cadit, qui cadit, & voluntate Dei stat, qui stat.

XLVI.

Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Ab aliis inter proverbia relatam, quod habetur Rom. 8. 31. εἰ ὁ θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, τίς κατ' ἡμῶν; Si Deus pro nobis, quis contra nos? Hoc significat, Cum Deus sit pro nobis, non est quod metuemus quenquam: nemo enim est, ne Satan quidem, qui plus facere possit, quàm Deus ei permiserit. Videtur sumptum ex illo Davidis Psal. 118. 6. Dominus pro me, non timebo quid mihi faciat homo. Hic obiter notabis si positum pro cum vel postquam, ut Num. 34. Si erit jubilans; & in illo Plauti Captivis, Jam ego revertar intro, si ex his, quæ volo exquisivero.

XLVII.

Ex redundantia cordis os loquitur.

Ex τῆ περισσεύματι τῆς καρδίας τὸ σῶμα λαλεῖ, Ex redundantia cordis os loquitur. Quadrat cum illo, ποῖος ὁ ἄνθρωπος, τοῖος τὸς καὶ ὁ λόγος, Qualis vita, talis oratio. Dicunt etiam Græci,

Ἄνδρος χαρῶν ἐκ λόγου γινώσκεται,

i. interprete Stephano,

Cujus nota sit aliquis, ex verbis patet.

Et est Belgarum adagium huic simile, quod à vasis desumptum, yet vat gheelt myt sulck, ase inheelt. Hoc tamen fallit in quibusdam. Nam qui corde & corde, ut ajunt, loquuntur, ægre ex sermone dignosci possunt. Matth. 12. 34. Progenies viperarum, quomodo possitis bona loqui, cum sitis mali? nam ex redundantia cordis os loquitur. Bonus homo e bono thesauro cordis profert bona, & malus homo ex malo thesauro profert mala. Hier. lib. 3. super Ezechielem scribens; cap. 9. Ex fructibus arbor cognoscitur, & ex abundantia cordis os loquitur.

quitur. Pro signo sunt interioris hominis verba erumpentia. Quomodo libidinosum, qui sua callidè celat viria, interdum turpis sermo demonstrat, & avaritiam latentem intrinsecus parvula rei cupido significat. Minoribus enim majora monstrantur, vultuque & oculis dissimulari non potest conscientia, dum luxuriosa & lasciva mens lucet in facie, & secreta cordis nutu corporis ac gestibus indicantur.

## XLVIII.

*Mortui sepeliant mortuos suos.*

Matth. 8. 22. ἄφες τῆς νεκρῆς θάψαι τῆς ἐαυτῶν νεκρῆς, sine ut mortui sepeliant mortuos suos. Explicant, sine homines mundo vivos, sed revera mortuos, quia Deo mortui, sepelire eos quos ipsi mortuos arbitrantur. Ego sic explicarem, sine mortuos, h. e. eos qui Deo mortui sunt, tamen etsi mundo vivant, sepelire mortuos suos quos ipsi mortuos arbitrantur & revera mortui sunt. Utemur appositè, ut significemus omnia postponenda rebus divinis; aut quando indicare voluerimus Deo vocanti parendum esse sine mora, nec ullum officium, quantumvis pium ac necessarium, quale est mortuos sepelire, & rei antefendum. Ad hæc demonstrabimus hæc sententiã, eos pro mortuis habendos esse, qui circa mortuorum curam frustra ac inutiliter occupantur.

## XLIX.

*Multi primi erunt ultimi, & ultimi primi.*

πολλοὶ ἔσονται πρώτοι, ἕχαστοι, καὶ ἕχαστοι πρώτοι, Multi primi erunt ultimi, & ultimi primi. Dictum Christi proverbiale ex contrariis. Quale est, *Vivens mortua*. Significat autem eos, qui primi veniunt ad regnum Dei, nisi perseveraverint, ultimos fore: & contrã, ultimos in eodem regno, si perseveraverint, primos fore. Nam nihil prodest bene cœpisse, nisi quis ad metam usque, sive ad extremum inoffenso cursu perseveret. Repertur Matth. 19. 30. & 20. 16.

## L.

*Nihil opertum quod non retegetur.*

οὐδὲν ἐστὶ κεκαλυμμένον ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται. Nihil est opertum quod non sit retegendum, sive mavis, quod non futurum sit ut retegatur. Convenit cum illo Horatii,

*Quicquid sub terra est in apricum proferet atas.*

Cœterum in Evangelio usurpatur specialiter de doctrina salutis, ut Matth. 10. 26. Marc. 4. 22. Luc. 8. 17. rursus Luc. 12. 2.

## LI.

*Nihil occultum quod non sit cognoscendum.*

Idem valet οὐδὲν κρυπτόν ὃ οὐ γινώσθησεται, Nihil occultum, quod non futurum sit ut cognoscatur. Tempus enim omnia revelat, juxta Græcorum illud, Ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χροῖον.   
con-

Quod Seneca dixit, *Veritatem dies aperit*. Hinc temporis filia vocatur, quod temporis progressu, cum aliquandiu deliquerit, in lucem emergat.

## LII.

*Currit incertò.*

τρέχει ἀδήλωτος, Currit incertum, vel incertò. De eo dicitur, qui non tenet certum vivendi genus, sed, ut ait Poëta,

*passim corvos sequitur, testaque lutòque  
Securus quò pes ferat, atque ex tempore vivit.*

Contrã, qui propositam sibi habet aliquam metam, in quam vitæ cursum dirigat, is dicitur τρέχειν σὺν ἀδήλωτος, currere non incertò, sumptã similitudine ab iis, qui in stadio aut curriculo currunt ad obtinendum certaminis præmium. 1. Cor. 9. 16. *Quisquis certat, in omnibus est continens: illi quidem ut perituram coronam accipiant, nos autem ut incorruptam*. Expende, lector, qui in stadio currit, incertus est de præmio consequendo, quia illud uni tantum sæpe potest obtingere: at in pietatis curriculo, quisquis bene cucurrerit, de præmio cœlesti certissimus est.

## LIII.

*Nubes aquã carentes.*

In Epistola Judæ Apostoli νεφέλαι ἀνυδροί, Nubes aqua expertes: designat eos, qui externam habentes speciem internã charitate prorsus vacui erant. Potest etiam usurpari de iis, qui minas inanes jactant. Vide proverbium, *Nubes sine pluvia*. Secundum Physicos hujusmodi nubes steriles peculiari vocabulo *nebula* vocantur: unde *nebulo* appellatus, ut quidam volunt, quod sit nebulæ similis, h. e. speciem virtutis habens, non ipsam virtutem, cujus planè vacuus est.

## LIV.

*Nubes à ventis circumacta.*

In eadem Epistola, νεφέλαι ὑπὸ ἀνέμων περιφερόμεναι, Nubes à ventis circumacta. Significat homines instabiles, quos populares mei vulgari joco *Weerhanos* indignant, sumptã tralatione à signis illis, quæ in ædium fastigiis templorumque pinnis crebrã agitatione ventum indicant.

## LV.

*In arena edificat.*

Ἐπὶ τὴν ἄμμου οἰκοδομεῖ, Super arenam edificat, Explicatum est ab Erasmo. Christus per similitudinem accommodat ad eum, qui Dei verbum audit nec facit, h. e. non, vivit secundum illud. Nam talis fundamentum jacit salutis suæ prorsus infirmum, & brevi ruiturum. Matth. 7. 26. *Quisquis audit ex me hos sermones, & non præstat eos, assimilabitur viro fatuo, qui edificavit domum suam super arenam*. Descendit autem pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & impeerunt in domum illam, & fuit ruina ejus magna. In arena etiam con-

construit, qui studium aliquod aggreditur, cuius non rectè jecerit fundamenta: velur qui spreto linguarum & artium studio ad altiores facultates adspirat, aut literas divina tractat.

LVI.

*In petra edificat.*

Superiori contrarium ἐπι πέτρῳ οἰκοδομεῖ, *Super petram, live rupem, ædificat.* Quod inde natum, quia in Palæstina crebri montes, quos *petras* vocabant; in quibus castella & arces propter soli firmitatem extruebat antiquitas: ex quo & illud, *Tues Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam.* Matth. 7. 24. *Quisquis audit ex me sermones hos, & præstat eos, assimilabo eum viro prudenti, qui edificavit domum suam super petram: descendit autem pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & impeerunt in domum illam; nec tamen cecidit: fundata enim fuerat super petram.*

LVII.

*Ex spinis uva non colligitur.*

Ὁ οὐ συλλέγσει ἀπὸ ἀκανθῶν σαφυλήν, i. *Non colligunt ex spinis uvam;* Sub. *homines, h. e. Non colligitur ex spinis uva;* vel, si placet, *Nemo colligit ex spinis uvam.* Tertullianus lib. De anima cap. 21. dixit *Metere, pro Colligere. Nemo de spinis metit ficus, & de tribubus uvas.* Sensus est, *Ex malis nihil boni proficiscitur.* Usurpat autem ὁ σαλιήρ de hypocritis, qui sub ovina pelle lupum tegebant, ac si diceret, *Non potest hypocrita, qui malus est, boni quippiam facere. Idem ergo cum illo, Non potest arbor mala fructus bonos ferre.*

LVIII.

*Ex tribulis ficus non colligitur.*

Germanum est, ὁ οὐ συλλέγσει ἀπὸ τριβύλων σύκα, *Non colligunt ex tribulis ficum, live, Nemo colligit ex tribulis ficum.* Est autem tribulus spinæ genus, quam interpretes Syrus קורטב expoluit: ea ficus edere non potest. Sic nec homo malus bona opera facere. Matth. 7. 16. *Num colligunt ex spinis uvam, aut ex tribulis ficus?*

LIX.

*Hilarem datorem diligit Deus.*

ἰλαρὸν δότην ἀγαπᾷ ὁ θεός, i. *Hilarem datorem diligit Deus.* Exstat 2. Cor. 9. 7. Admonet benefaciendum esse benigno ac hilari animo, quod Deo talis animus acceptus sit: unde sequitur, si quis largiatur animo maligno & illiberali, eum Deo minimè acceptum esse. Atque hoc est quod dicit Bernardus, *Qui cum tristitia manum porrigit, fructum remunerationis amittit.* Certè nihil majorem gratiam dono conciliat quàm si læto ac liberali animo tribuatur. Deus enim non tam ipsum donum spectat quàm animum dantis. Citatur proverbij nomine à Polydoro Virgilio.

LX.

*Lupus ovina pelle tectus.*

Competit in hypocritam, qui pietatem ac religionem egregiè simulare novit, cum sit planè ἀθεός, vel in doctorem sub habitu religioso falsa docentem, aut vitâ infamem. Quod genus homines Christus vitandos esse monet, cum ait, Matth. 7. 15. *Cavete vobis à Pseudo-prophetis, qui veniunt ad vos cum vestimentis ovium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces.* Siquidem per *vestimenta ovium* (ἐνδύματα προβάτων Græcè) designat externam speciem pietatis & humilitatis. Est enim ovis mite ac placidum animal: unde ejus quasi veste tegi dicitur, qui talem se simulat, licet revera non sit talis. Est autem istud pessimum malitiæ genus, quia velo sanctitatis tegitur.

LXI.

*Quod quisque seminaverit, idem metet.*

Gal. 6. 7. ὁ ἐὰν σπείρη ἀνθρώπος, ἴσθι καὶ θερίσει, quod homo seminaverit, hoc & metet. Vult dicere, *Quisque dignum suis factis præmium feret.* Nam qui *seminat carnem suam* (σπείρει εἰς τὴν σάρκα αὐτοῦ) h. e. qui studium ponit in quærendis opibus, *ex carne metet interitum,* h. e. ex opibus fluxis & caducis fructum percipiet interitum: *Qui verò seminat spiritum* (σπείρει εἰς τὸ πνεῦμα) h. e. qui omnes suas actiones ad Deum refert, aut operam dat accumulandis iis, quæ ad pietatem spectant *ex spiritu metet vitam æternam:* h. e. inde fructum consequetur sempiternum. Sic doctiores explanant hunc locum. Theodoretus in Comment. Jer. 4. Pico interprete (nam Græcum exemplar non exstat) *Feres digna his, quæ perpetrare ausas es, & metes quæ seminasti.*

LXII.

*Qui parcè serit, parcè metet.*

ὁ ὅστις σπείρη ἴσθι καὶ θερίσει, *Qui seminat parùm, metet parùm.* Huic contrarium ὁ ὅστις σπείρη ἰσθι καὶ θερίσει, *Qui seminat multum, metet multum.* Quæ sic Græcè leguntur 2. Cor. 9. 6. ὁ σπείρων φειδομένως, φειδομένως καὶ θερίσει. *Qui serit parcè, parcè etiam metet:* ἢ ὁ σπείρων ἐπὶ εὐλογίας, ἐπὶ εὐλογίας καὶ θερίσει, *Qui serit benignè benignè etiam metet.* Sensus est prout quisque parùm aut multum largitur pauperibus, sic parùm aut multum mercedis reportabit: ἐπὶ εὐλογίας, ad verbum in *benedictionibus:* quod Ebræi dicerent לברכות, & singulariter לברכה ἐπὶ εὐλογία, pro, largè, liberaliter, benignè. Joel. 2. 23. *dedit vobis pluviam ad justitiam,* i. copiosè, prolixè. E Prophetis quidam dixit לברכה eodem sensu, i. ἐπὶ δικαιοσύνη, ἢ εἰς δικαιοσύνην.

LXIII.

*Vinum novum, utres recentes.*

Ὁ οἶνος νέος, ἀσχοὶ καινοὶ, *Vinum novum, utres recentes.* Si vinum novum fuerit, debent utres recentes esse, non vete-

veteres. Alioqui utres rumpuntur, & vinum effunditur. Unde Servator noster Matth. 9. 17. & ἐὰν ποῖσιν οἶνον νέον εἰς ἀσκὰς παλαιὰς, non injiciunt vinum novum in utres veteres. Docet parcendum esse infirmis, & iis, qui per vires gravia onera ferre non possunt. Neque enim omnibus omnia conveniunt. Ut enim utres veteres non ferunt vinum novum, ita novitii in fide non ferunt severitatem doctrinæ Evangelicæ. Licebit ita efferre, *Nemo injicit vinum novum in utres veteres.* Eodem pertinet.

## LXIV.

*Nemo immittit panniculum impexum in vestimentum vetus.*

Quod sic Græcè legitur apud eundem Evangelistam Matthæum, & δὲ εἰς ἐπιβάλλει ἐπιέλημα βίκου ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ. Quidam interpretatur, nullus adhibet rudis panni pitracium veteri vestimento, h. e. inepta fieri non debent. Sed, ut dixi, potius admonet in exercenda disciplina habendam esse rationem eorum, qui adhuc teneri sunt in fide, ne videlicet rigidior sit quam ut ferre possint. Nam ut supplementum illud (ut verbis Matthæi) aliquid ex veteri vestimento aufert, & sic deinde pejor fissura; Sic nimia severitas erga infirmos, quod impares sint ad eam ferendam, quos servare debet, hos perdit.

## LXV.

*Satanas Satanam non ejicit.*

Σατανᾶς σατανᾶν οὐκ ἐκβάλλει, *Satanas Satanam non ejicit.* Recensetur apud Marcum c. 3. 23. parabola, h. e. proverbii nomine: nam parabola ibi proverbium denotat, ut sæpe aliàs. Admonet dæmonia ejici non diaboli, sed Dei virtute. Nam, ut habetur Matth. 12. 26. *Si Satanus Satanam ejicit, adversus seipsum dissidet, ac proinde regnum ejus stare non potest. Siquidem regnum dissidens adversus se, vastatur & evertitur.* Sic ergo Satan se ipsum everteret, quod non est ita. Et nota sermonem ibi esse de vera ejectione, non de simulata, quæ tum fit cum Satan se patitur ejici ex aliquo corpore ex pacto, quo facilius imponat simplicibus, & stabiliat falsam religionem. De tali ejectione Christum non loqui parer ex ipsa re: nisi dicamus ipsum argumentari ex hypothesi Judæorum, quorum proverbium erat, *Satanas Satanam non ejicit*, ac si diceret, si verum est quod filii vestri dicunt, *Satanas Satanam non ejicit*, quomodo dicitis me ejicere dæmonia per Beelzebub principem dæmoniorum? Cæterum inclino ut credam hoc adagium frequens olim fuisse in ore exorcistarum, quos Christus ibi vocat filios, h. e. discipulos Pharisæorum. Si ego per Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri per quem ejiciunt. Nam de Apostolis ista accipere mihi alienum videtur: tamen si quis aliter sentiat, non pugnam. Fruatur quisque suo judicio.

## LXVI.

*Regnum adversum se dissidens vastatur.*

*Vel, non stabit; h. e. non erit diuturnum. Regnum in*

partes distractum non potest durare. Discordia etiam amplissima regna brevi spatio evertit. Græca sunt in allegato loco Matthæi, πᾶσα βασιλεία μερισθεῖσα κατ' ἐαυτῆς ἐρημύεται. Quæ sic convertit Interpres vulg. *Omne regnum divisum contra se desolabitur.* Apud Marcum verò aliis paulò verbis eadem sententia effertur, & legitur hoc modo, ἐὰν βασιλεία ἐφ' ἐαυτὴν μερισθῆ, ἢ δυνάτωι σαθῆναι ἢ βασιλεία ἐκείνη, *Si regnum contra se dissideat, non potest stare regnum illud.*

## LXVII.

*Domus aut Urbs dissidens adversum se ipsam non stabit.*

In eodem loco apud Matthæum, πᾶσα πόλις ἢ οἰκία μερισθεῖσα κατ' ἐαυτῆς ἢ σαθῆσεται, *omnis urbs aut domus divisa contra se ipsam non stabit: Sed in Marco, ἐὰν οἰκία ἐφ' ἐαυτὴν μερισθῆ, ἢ δυνάτωι σαθῆναι ἢ οἰκία ἐκείνη, si domus adversum semetipsam dissideat, non potest stare domus illa.* Sequitur ex dictis, ἡ Σατανᾶς Satanam ejicit, ejus regnum durare non posse, sed brevi eversum iri. Hoc significat Christus per hæc verba, *Et si Satanat surrexerit, & dissidet adversus semetipsum, non potest stare, sed finem habet.* Marc. 3. 26.

## LXVIII.

*Qui non est mecum, contra me est.*

Ὁ μὴ ὦν μετ' ἐμῶν, κατ' ἐμῶν ἐστίν, *Qui non est mecum, adversum me est.* Hoc dictum Christi ad eos pertinet, qui se in religionis negotio ita gerunt ut videri velint potius mediatores inter partes quam ulli certæ parti addicti. Tales negat secum esse, quia non stant à sua parte. Eisdem ait contra se esse, h. e. sibi adversari, quia in religione nullum potest dari medium: ita dico, una est vera religio, cæteræ omnes falsæ sunt, nec medium est inter illam veram & falsam. Quisquis à Christo non est, ejus hostis est. Sic sanè Solon legislator Atheniensium, si licet divina cum humanis comparare, pro hostibus reipubl. habendos esse pronunciabat eos, qui civitate in duas partes distractâ, non hanc vel illam partem sequerentur.

## LXIX.

*Qui non cogit mecum, spargit.*

Ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμῶν, σκορπίζει, *Qui non congregat mecum, spargit.* Eandem vim habet cum superiore. Tractum putant à pastoribus oves intra septa vesperæ cogentibus. Nam qui non cogit eas, spargit. Oves enim in caulam non coactæ, & à reliquo grege seclusæ, illicò disperguntur.

## LXX.

*Qui non est contra nos, pro nobis est.*

Adversari videtur jam dictis, quod Marc. 9. 40. ὅς οὐ ἐστὶ κατ' ἡμῶν, ὑπὲρ ἡμῶν ἐστίν, *Qui non est adversum nos, pro nobis est:* Sed non est ira. Nam locus est intelligendus de iis, qui cum aliquam habeant vitæ notitiam, tamen adhuc teneri sunt & infirmi in fide: quos Christus idè suarum partium esse dicit, quia ipsum agnoscunt, & per ipsius nomen virtutes edunt:

nemo

nemo enim, teste Apostolo 1. Cor. 12. 3. potest dicere Dominum Jesum, nisi per Spiritum sanctum; neque per Spiritum Dei loquens potest dicere Jesum anathema.

LXXI.

Non egent medico ii, qui valent.

Ὁὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχυροὶ ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες, non opus habent medico valentes, sed malè affecti. Refertur à Polydoro. Est autem Christi apophthegma, Matth. 9. 12. dictum Phariseis cùm causam scilicetarentur, cur cum publicanis & peccatoribus cibum caperet. Cœterùm duo potissimùm hîc observanda. Primum illud, malè affectos, h. e. peccatores, egere operâ Christi, qui sit medicus animarum. Deinde quòd tacite atque ironice concedit Phariseis justiciam, quam sibi falsè arrogabant, cùm ejus planè vacui & expertes essent.

LXXII.

Mensuram complere.

Mensuram complere non absque proverbii specie dicitur, cujus vel virtus vel improbitas ad summum pervenit. Matth. 24. 32. καὶ ὑμεῖς πληρώσατε τὸ μέτρον τῶν πατέρων ὑμῶν, Vos quoque complete mensuram patrum vestrorum. Sensus est, Pergite vos quoque imitari majores vestros, ut tandem vestra improbitas ad summum gradum perveniat. Ad hunc modum enarrat Theodorus. Ironice dictum hoc à Christo ad Phariseos.

LXXIII.

E Flamma rapere.

Ἐκ πυρὸς ἀρπάξεν, ex igne, sive incendio rapere. Proverbialiter usurpatur in Epistola Judæ, v. 23. Alios verò terrore servate, ex igne rapientes: hoc est, ex periculo vitiorum. Nam in periculo tum animæ tum corporis versantur, qui vitii additi sunt. Hos eripit, qui meliores reddit quacunque ratione. Quidam putant allusum ab Apostolo ad ignem gehennæ, qui destinatus cruciandis & torquendis reprobis.

LXXIV.

Mundus scelerum.

Ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας, Mundus iniquitatis: perinde valet ut si dicas, mare iniquitatis; h. e. cumulus & acervus omnium scelerum. Vocabulum mundi adhibetur in similitudine rei magnæ, ut maris: unde mare malorum. & χρυσὸς πόντος apud Græcos. Apostolus Jacobus usurpat de lingua, quòd in ea innumerabilia scelera, tanquam in acervum, congesta & accumulata sint. Jacobi 3. 6. καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας, lingua ignis est, & mundus iniquitatis.

LXXV.

Homo, herba.

Ἄνθρωπος, ἄνθος, Homo, gramen, vel si placet, bo-

mo fœnum. Nam χόσμος fœnum, sed in sacris generale est ad omnia; quæ in hortis aut pratis nascuntur. Consule Ambrosium Hexaem. lib. cap. 7. Dictum autem homo, gramen, ut homo, bulla: quo significatur humanæ vitæ imbecillitas & fragilitas. Quid enim gramine imbecillius? quod simul ac succisum est, arefcit Eandem sententiam continet, gloria hominum, ut flos graminis: nisi quòd flos semper decidit ante ipsum gramen. Utrumque reperitur 1. Pet. 1. 24. Omnis caro, i. homo, gramen & omnis gloria hominis, ut flos graminis: exaruit gramen, & flos ejus decidit. Vide Jacobi 1. 10. 11.

LXXVI.

Anima una.

Ψυχὴ μία, anima una. Sicut dicimus, cor unum; sive anima una dicimus de animorum consensu, summâq; concordia. Hinc unanimes, quos & concordēs dicimus. Act. 4. 32. Multitudinis autem eorum, qui crediderant, erat cor unum, & anima una. Sic quorundam voluntates eadem, quique charissimi & amicissimi sunt inter se, una anima esse perhibentur. Ex quo illud, Amicus eadem anima, cujus meminit Hieronymus in Comment. Mich. 7. nisi fallor: quod alius, nescio quis, cùm interrogaretur quid amicus esset, alter ego respondit. Et Horat. pro amico vota faciens, serves, inquit, anima dimidium mea.

LXXVII.

Quod consortium justitiæ cum injustitiâ?

Τὸς μετοχὴ δικαιοσύνης ἢ ἀνομίας. Nullum est consortium inter justiciam & improbitatem.

LXXVIII.

Quæ communicatio luci cum tenebris?

Τὸς κοινωνία φωτὸς πρὸς σκοτῶν; Nulla est communicatio luci cum tenebris, h. e. veritati cum mendacio sive falsitate.

LXXIX.

Quæ concordia Christo cum Belial?

Τὸς συμφωνία χριστοῦ πρὸς βελιάλ; Nulla est concordia Christo cum Belial; h. e. cum Satana, vel cum improbis.

LXXX.

Quæ pars fidei cum infidei?

Τὸς μερὶς πίστεως μετ' ἀπίστεως; Nulla pars, sive portio, fidei cum infidei: q. d. Nihil omnino commune habent.

LXXXI.

Quæ consensio templo Dei cum simulacris.

Τὸς συγκατάθεσις ναοῦ θεοῦ μετ' εἰδόλων; Nulla est consensio, sive convenienda, templo Dei cum simulacris.

Sententiæ sunt veluti proverbiales, quibus utitur Apostolus 2. Cor. 6. 14. 15. ut dehorte ur Corinthios à commercio consortiisque infidelium, quibus se adjungere socios ne in externis quidem ritibus salvâ pietate poterant.



JOH. DRUSII

# PROVERBIORUM CLASSIS PRIMÆ:

LIBER IV.

I.

*Testam conglutinat.*

**Σ**Υνολλάσσειον, *Conglutinat testam.* Dicitur solitum de labore casto & inani. Nam testa glutine compingi nullo modo potest. Simillimum illi quod est apud Diogenianum, ὠὸν κολλᾶεις, *ovum adglutinas.* Reperitur apud Siracidem de eo qui docet stultum, qui non magis est aptus ad discendum quàm testa ad cohærendum visco aut glutine. Ebræi dicerent מדבוק חרס Siquidem in eorum lingua דבק est *gluten*, quod Græcis κόλλα sive κόλλη, Chaldæis בקקא dicitur.

II.

*Scorpionemprehendit.*

Δράσσειαι σκορπίου, *i. apprehendit scorpionem.* De eo qui facit quod sibi exitio est: nam scorpionem nemo apprehendat, nisi suo magno malo, propter venenum quod habet in cauda: venenum mole quidem minimum, ut dicere solitus est Galenus; sed facultate & immanitate maximum atque potentissimum. Siracides accommodat ad eum, qui malam uxorem retinet, unde malum gravissimum postea sit accepturus, *fugum boum*, inquit, *quod agitur est uxor mala; qui tenet eam, quasi qui apprehendit scorpionem.* In lingua Ebræorum scorpium קרבא dicitur: à quo plurale קרביים *Scorpiones*, *i. spinæ genus acerrimæ & acutissimæ, quam nemo tractet, quin se lædat, & manum vulneret.* Sic accipies in illo, *Ego castigabo vos scorpionibus.* Nec dispar aut dissimilis mala uxor. Et tamen cur malum proverbium accipi de animante. Rei firmandæ erit adagium Græcum ὀκτώπεν ἀναγείρει, *octipedem excitat: nam scorpium subintelligitur.*

III.

*Os, quod mentitur, occidit animam.*

Exstat Sapient. 1. 11. στόμα καὶ ψευδόμενον ἀναίρει ψυχὴν. *i. Os, quod mentitur, occidit animam.* Libet transferre Ebraicè, פי שקרים הורג הנפש ) *Mori aut occidi anima intelligitur, quæ æterno supplicio addicta.* Vide Matth. 10. 28. Mentitur propriè, qui præter verum aliquid dicit. Talis absque dubio peccat. Porro peccatum omne animæ mors est. Jam intelligis, opinor, cur dicat, *occidit animam.* Non est ergò leve mentiri, ut quidam putant.

IV.

*Umbram comprehendit.*

Δράσσειαι σκιάς, *Umbram captat.* Germanum illi; *Persequitur ventum.* De eo, qui studium suum confert ad res inanes, aut qui ea sectatur, quæ licet imaginem habeant rei solidæ, tamen nihil aliud sunt quàm umbra, h. e. levitia, fluxa, evanida. Sirach. 34. 2. *Quasi qui umbram apprehendit, ventumque persequitur; Sic est, qui attendit somniis.* Exstat, si bene memini, apologus de cane, qui panis umbram, quod major videretur, captans verum panem amiferit.

V.

*De parva scintilla pruna complentur.*

Ἀπὸ σπινθῆρος μικρᾶς πληθύνεται ἀνθάκη, *De parva scintilla complentur pruna: h. e. magnum sæpe excitant incendium.* Hoc dicto significabimus ex parvo initio maxima mala oriri. Simillimum illi: *Parvus ignis accendit multos frugum acervos.* Reperitur Sirach. 11. 31. Hier. in Comment. super epist. ad Galatas cap. 5. *Scintilla res parva est, & penè dum cernitur, non videtur: sed si fomitem comprehenderit, & nutrimenta sui quamvis parvus ignis invenerit, mœnia, urbes, latissimos saltus, regionisque consumit.* Et post aliquantò, *Igitur scintilla statim ut apparuerit, extinguenda est, ne tota domus ardeat.* Et mox, *Arrius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est.*

VI.

*Qui tangit picem, inquinatur eâ.*

הנוגע בפחם יטמא כה, *Qui tangit picem, contaminatur eâ: h. e. Qui cum malis conversatur, fit eorum consuetudine deterior semper ex eorum pravitate aliquid aufert.* Latè patet hoc proverbium, quanquam Siracides peculiariter accommodat ad hominem superbum Eccl. 13. 1. ὁ ἀπτόμενος πίσης, μολυνθήσεται ἐν αὐτῇ, καὶ κοινωσὼν ὑπερηφάνῳ ὁμοιωθήσεται, *Qui conrectat picem, contaminatur eâ: & qui cum superbo communicat, fit ejus similis.* Finitimum est, *Qui prope claudicum habitat, claudicare discit.*

VII.

*Ventilat omni vento.*

Διχμαῖ ἐν παντὶ ἀνέμῳ, *Ventilat omni vento.* Conve-

nit

nic cum illo Apostoli, *Fluctuat omni vento*: nisi quod rralatio nunc ducta ab iis, qui frumentum vannis expurgant & eventilant. Apud Nazianzenum legitur *λίμνις ἢ καὶ ἀπὸ πάντων ἀνέμων, ὡς ἀπὸ πνεύματος*, ut ita dicam, *ad omnem ventum*, de Arrianis, qui verbum illud τὸ ὁμοίον ad varios sensus torquebant. Autor Junius is, qui adagia aliquot collegit post Erasmus, qui facta mentione hujus adagii indicat sumptum esse ex illo Siracidis præcepto, quod est Ecclesiast. 5. 11. *Ne quovis vento ventila*, quo prohibet inconstantiam & levitatem. Hujus generis est quod vulgò dicimus, *Agitatur omni vento*, de homine levissimo & inconstantissimo, qui in horas mutatur, modòque huc, modò illuc vertitur, non secùs quàm molæ alaræ seu pneumaticæ vento circumactæ: vel signa illa, quæ in ædium fastigiis templorumque pinnis crebrâ agitatione ventum indicant: unde patremiam in vulgus manasse vero consentaneum est. Huc refer etiam illud, quod Teutones de infidis usurpant cum dicunt eos palliolum incidenti vento obvertere: & illud, *quacunq; sella sedere*. In Junianis reperio *Chlamydem omni vento obvertere*, de iis qui foro ac scenæ intersunt.

VIII.

*Ne quâlibet semitâ gradere.*

*Μὴ πορεύῃς ἐν πάσῃ ἀτραπῷ, Ne incede quavis semitâ, vel, Ne ingredi omniem viam.* Hoc utilissimo præcepto Siracides nobis commendat constantiam in rebus bonis ac veris, ne seducamur abs quovis hominum genere, præsertim ab iis, qui quod sibi persuadent solum rectum putant, nec eo contenti, insuper omnes conantur in suam sententiam pertrahere. Eccles. 6. 11. *Ne quâvis semitâ gradere: sic est sceleratus bilinguis.* In tuo certo sensu constans esto, & unus esto sermo tuus; Non dissimile est quod refertur inter Symbola Pythagoræ, *διὰ τῆς λεωφόρου μὴ ἐσθίσεις, Ne per publicam, sive communem, viam ambulato.* Videatur Ambrosius Epist. 6.

IX.

*Qui laqueum ponit, eodem capietur.*

*Ὁ ἰσὼν παγίδα, ἐν αὐτῇ ἀλώσει, Qui statuit laqueum eo capietur.* Sensus est, *Qui per dolum insidias facit alteri, ex iisdem peribit.* Simile; *qui foveam fodit, in eam cadet.* Legitur Sirach. 27. 29. Sumptum videtur ex Psal. 9. 16. *Laqueo, quem absconderant, captus est peccatorum*: ubi Græca edit. *ἐν παγίδι ταύτης, ἢ ἐκρυψάν συνελήφθη ὁ πρὸς αὐτῶν.* Metaphora ab avium aucupio.

X.

*Qui lapidem in altum jactit, in suum ipsius caput jactit.*

*Ὁ βάθρων λίθον εἰς ὕψος, ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ βάθρει, Qui lapidem in sublime projicit, in suum ipsius caput projicit.* Idem cum illo, *Qui lapidem volvit, ad ipsum revertet.* Siracides se quasi explicat, subjiciens, *ὁ ποιῶν πονηράς αὐτὸν κολιθῆσει, qui facit mala, ea in ipsum revertentur.* Eccl. 27. 28. ὕψος, quod Ebraicè diceretur *עומק*, tum pro *cælo* ponitur interdum, ut Luc. 1. 78. *ἀνασπῆξ ἔξ ὕψους, germen ex alto*, & 24. 49. *δύναμιν ἐξ ὕψους, virtutem ex alto*; tum pro ipso *Deo*, qui teste Salo-

mone est sublimior quovis sublimi. Qui ergò lapidem in altum jactit, h. e. qui facit aliquid vel in Deum impiè, vel in coelites contumeliosè, similiter facit, ut si lapidem jaceret in proprium caput. Nam dum numen suâ impietate irritat, sibi exitium & perniciem adfert, Divino judicio, licet serò, acerrimè tamen in eum animadvertente. Porro Græca in sermonem Ebræum, si quis hoc etiam fortè à nobis desideret, ita poterunt transferrè, *קלחך בראשך במוטע לראשך, i. qui projicit lapidem in altum, in caput suum eum projicit.*

XI.

*Quid commune est olla cum aheno.*

*Τὶ κοινωνήσει χύτρα πρὸς λέβητα; Quid communitur olla cum lebeate, aut aheno?* Olla nihil commune habet cum aheno; h. e. pauper cum divite, debilis cum robusto, obscurus cum illustri, plebs cum magnatibus. Nam inter impares nulla potest esse societas aut conjunctio, nisi admodum periculosa. Quippe qui superior est plerumque injuriâ afficit inferiorem. Quid dico, injuriâ afficit? imò planè opprimit atque evertit, quemadmodum ex ære lebes fictilem conterit ollam, quæ in eum impegit. In fabulis Æsopicis olla lutea aheni congressum vitat, ne incurrens in hoc confringatur, Sirach. 13. 3. *Cum potentiori te aut ditiori ne communica.* *Quid communitur olla cum lebeate? ipsa & offendet & confringetur:* & v. 22. *Quæ pax diviti cum paupere? ut præda leonum onagri in deserto, sic divitum pabula pauperes.* Ex hoc loco ubi quis societatem coit cum potentiori se, appositè dicitur, *olla & aheni societas*: vel simpliciter, *Ahene societas*, sicut dicimus, *leonina societas*. Hanc ita vitabimus, ut tamen cautio aliqua adhibeatur. Nam fuga extrema potentum dignitatis expers est. Alexander, de hac re interrogatus, respondisse fertur, *Ad potentes accedendum quemadmodum ad ignem accedimus; hoc est, neque nimium propè, ne comburamur; neque nimium procul, ne non calefiamus.*

XII.

*Dormientem è profundo somno excitat.*

*Ἐξγειρεὶ περὶ καθεύδοντα ἐκ βαθέως ὕπνου, Excitat dormientem ex profundo somno.* De re ardua ac difficili, aut de eo, quod fieri non potest. Nam expergefacerè aliquem veterno sopitum propemodum *ἀδύνατον* est: quòd ejus morbi sit inexpugnabilis penè dormiendi necessitas. Quadrat in eum, qui docet hominem stupidum, & communi naturæ sensu carentem, qui que quasi arctissimo & profundissimo stultitiæ somno oppressus est. Sirach. 22. 7. *conglutinat testam, qui docet stultum, & expergefacerit dormientem è profundo somno.* Quidam codices legunt *ἐξγειρωτων* sine copula. Non displicet eorum sententia, qui hunc locum intelligunt de veterno seu lethargo; aut de eo morbo, quem *κάρων* Græci nuncupant. Nam in utroque est profundus sopor: sed carus lethargo altior etiam sensu & motu caret. Id quòd in faruum non malè quadrat, qui, attestante eodem Siracide, non minùs sensu caret quàm mortuus luce. Aliàs non video, quo pacto tam sit difficile excitare dormientem è profundo somno, quàm est arduum docere stupidum & sensu vacuum.

## XIII.

*Nihil commune lupo cum agno.*

Τὴ κοινωνήσῃ λυκῷ ἀμῶν; *Quid communicet Lupus cum Agno?* hoc est, malus cum bono, aut impius cum pio: Nulla est societas inter eos, qui moribus planè dissimiles sunt. Sacræ literæ per *lupos* passim significant homines malos & improbos: quibus sanè non magis convenire potest cum viris bonis, quàm lupis convenit cum ovibus: imò teste Siracide 33. 15. ut contrarium est malo bonum, & contraria morti vita est; sic pio contrarius est sceleratus, & scelerato pius, Repertur Ecclesiastici, c. 13. 21.

## XIV.

*Giganteus animus.*

De superbo & elato usus est Siracides Eccles. 23. 4. καὶ γιγαντιάδῃ ψυχὴν ἀπόσησον διαπαντός ἀπὸ τῶν δὲ λῶν σου. Latine sic, *Et Giganteum animum prohibe semper à servis tuis.* Gigantum, qui diluvio perierunt, mentionem facit autor libri Sapientiæ, eos vocans ὑπερηφάνους γιγαντίας, *Superbos Gigantes*, Sap. 14. 6. Aliàs *giganteum* dicitur quicquid inusitatè magnum ac validum est. Unde γιγαντιάσαι χεῖρες apud Sibyllam, i. *giganteæ manus*. Constat enim gigantes, cum magnitudine & vastâ corporis mole, tum virium robore cæteris hominibus præstitisse.

## XV.

*Phalaris.*

Phalaridis crudelitas effecit, ut si quis crudelem & immitem tyrannum significare velit, eum sub ejus nomine definiat. Itaque in tertio Machabæorum, qui in Latinis codic. non invenitur, Φάλαρις βασιλεύς appellatur Ptolemæus Philopator. Estque figura proverbii, sicut cum patientem in adversis *Jobum* nuncupamus, aut sanctum & egregium civem, *Catonem*.

## XVI.

*Phalaride crudelior.*

In eodem libro, ἰὴν ἀμότηλα χεῖρονα Φαλάριδῷ ἐχρησῶς, *immaniore præditus crudelitate quàm Phalaris.* Vide Erasmus in proverbio, *Phalaridis imperium.*

## XVII.

*Scytharum consuetudine ferocior crudelitas.*

Proverbii speciem habet & illud quod sequitur, νόμος Σκυθῶν ἀγριοτέρων ἐμπεπορμηῶι ἀμότηλα, i. interprete Aritiâ, *lege Scytharum ferociorem indui crudelitatem.* Originem habere videtur ex eo potissimum, quòd gentes illæ magna ex parte corporibus humanis vescerentur, quas idè ἀνθρωποφάγους appellabant. Vide Plinium l. 6. c. 17. & l. 7. c. 2. Videndus & Erasmus in adagio, *Scytha malus.*

## XVIII.

*Qui periculum amat, in eo peribit.*

Ὁ ἀγαπῶν κίνδυνον, ἐν αὐτῷ ἀπολείται, *Qui amat periculum, in eo peribit.* Qui temerè se periculo offert, in eorandem peribit. Quod vulgari proverbio significa-

mus cum dicimus, *Hydriam tamdiu circumferri dum frangatur.* Egregiè verò ad hanc sententiam Seneca.

*Nemo se tutò diu.*

*Periculis offerre tam crebris potest.*

*Quem saepe transit casus aliquando invenit.*

Exstat in Siracide 3. 27. *Durus animus tandem malo mulcabitur, & qui periculum amat, in eo peribit.* Ebraicè reddas רַעַב בָּהַ רָעַב, *Qui malum amat, in eo peribit.* Nam *malum*, i. periculum, ut in illo, *sapiens videt malum, & abscondit se.*

## XIX.

*Mutatur ut Luna.*

Ἀλλοῖσται ὡς σελήνη, *Mutatur sicut luna.* Quadrat in hominem varium & inconstantem. Siquidem luna indies mutatur, nec unquam eodem vultu constat: dico eodem vultu, quia modò apparet corniculata, modò gibbosa; interdum dividua conspicitur, quandoque plena. Est & nova luna in interlunio, quam *lunam silentem* appellant. Ob has mutationes, quæ quot mensibus fiunt, Grammatici putant eam à Græcis μῆνη dictam, quasi καὶ ἀνίφασιν à *manendo*, quod est μένειν, eò quòd nunquam maneat sui similis: quæ opinio relata in magno Etymologico, his verbis, μῆνη ἀπὸ τῆς μὴ μένειν ἐν τῷ αὐτῷ, ἀλλὰ ποτὲ μὲν μειῖσθαι ποτὲ δὲ αὐξῆσθαι, *Luna μῆνη appellata est, ab eo quòd non maneat in eodem, sed modò quidem minuitur, modò autem augetur, crescens perpetuò ac decrescens.* Hanc lunæ, ut ita dicam, mutabilitatem referunt omnes stulti ac improbi. Quod ostendit Siracides 27. 12. iniquis, *Sermo pii semper est cum sapientia, stultus autem ut luna mutatur.* Quam sententiam valde firmat Aristoteles in 7. De moribus, cum ait, ἄνθρωπος ἐμμεταβόλος ὁ πονηρός, *Homo improbus ingenio est mutabilis.* Ambrosius epist. 7. hoc Siracidis dictum Davidis F. h. e. Salomoni attribuit: sed perperam. Non enim certè usquam legitur in libris Salomonis: nec Ecclesiastici autor alius, quàm Jesus Sirachi F. Qui aliter sentiunt errant, ut multi è veteribus Græcis. Adi eundem serm. 82. qui de lunæ defectione, ubi mentione factâ hujus sententiæ inter cætera ait, *Atque utinam, ô stulte, muteris sicut luna. Illa enim cito ad plenitudinem suam redit, tu ad sapientiam nec serò convertereris. Illa velociter colligit quod amiserat lumen, tu nec tardè fidem recipis quam negasti. Gravior ergò tua quàm lunæ mutatio est. Luna defectum luminis patitur, tu salutis.*

## XX.

*Permanet ut sol.*

In dicto loco Siracidis, ubi vertimus ex Græco, *sermo pii semper est cum sapientia*, Latina Ecclesia legit, *homo sanctus in sapientia manet sicut sol.* Pro quo reperi apud Ambrosium, *Sapiens permanebit cum sole.* Sententia eadem aliter elata, quæ Aristoteli expressa in 7. De moribus, per hæc verba, ἡ ἀγαθὸς μὲν ὁμοίως αἰεὶ καὶ ἡ μετὰβάλλει αἰὲν ἡθὸς. ὁ δὲ φαῦλος καὶ ὁ ἀφρων εἰδὲν εἰσικεν εἰωθεν καὶ ἐσπέρας, *Vir bonus semper sui similis est, neque mutat mores suos, atque vitiosus & insipiens nequaquam idem esse videtur manè ac vesperi.* Et Senecæ Philosopho epist. 47. *Hoc habent inter cætera boni*

boni mores, placent sibi & permanent. *Levis est malitia sepe mutatur, non in melius, sed in aliud.* Et Ambrosio de Noë & Arca, cap. 12. *Valida enim sapientis & fixa sententia est: non mutabilis, ut stulti & insipientis, qui consilio nrat incerto; ut improbi, qui non quod verum & justum sit eligit, sed quod sibi commodum velit, scindit à verò, secernit à justo. Justitia enim singulare est bonum, per se ipsam suo tantum spectatur pretio, iniquitas vero velut dividua parit, nunc odio inflexa, nunc quaestu, ea quæ sunt dividenda, confundit. Stultus enim ut luna mutatur, & versicolor aut humorum varietate deformis, animam suam in leprosi corporis specie, turpi contagione commaculat, salubres cogitationes noxiis sepe permiscens.*

XXI.

*Ventos persequitur.*

ⲓⲛⲓ ⲁⲓⲓ, *persequitur ventum.* Usurpatur à Siracide de eo, qui pender à somniis ipsa vanitate vanioribus. Eccles. 34. 2. *ὡς ὁ διώκων ἀνέμους, ὅπως ὁ ἐπέχων ἐνυπνίοις, ἰ. tanquam qui ventos persequitur, sic est qui somniis attendit.* Simile refertur à Græcis collectoribus *Ἀνέμους θηράς, Ventos venaris, ἐπὶ τῶν ἀνοήτοις ἐπιχειρῶντων.* Effertur & hoc modo, *ἀνέμους θηρεύσεις, pro eo quod est, operam perdes, frustra laborabis.*

XXII.

*Ventos pascere.*

Exstat in Junii collectaneis, fateor: verum locus, quem Junius ibi adducit ex lib. 1. Stromat. non est Clementis Alexandrini: nam ecce reperitur Prov. in Græca edit. *ὅς ἐπειδέλαι ἐπὶ ψεύδεσιν, ὅπως ποιμαίνει ἀνέμους, qui nititur mendaciis, hic pascet ventos.* Ubi tamen Clementis *ποιμαίνει, ἰ. pascit.* Sed hoc leve. Vide supra lib. 1. Adag. 46.

XXIII.

*Secutatur aves volantes.*

In eodem loco, *διώξειαι ὄρνεα πέλομνα, persequetur aves volantes.* Cæterum apud Clementem, si à Junio rectè citatur, *διώκει ὄρνεα πτερωτά, persequitur volucres aves.* Proverbium vani conatûs. Aristoteles dixit, *τὰ πέλομνα διώκειν,* quod notatum ab Erasmo, quem te adire cupio. In Apostolio, quem mihi suppeditavit bibliotheca J. Arcenii Frisii, viri Latine & Græcè doctissimi, *ὄρνιδας ἑλθεῖς, ἰ. aves quaris.* Vide Eras. de iis, qui frustra laborant, *ἐπὶ τῶν μάτην κοπιῶντων.*

XXIV.

*De qualibet aqua bibit.*

Ἀπὸ παντὸς ὕδατος πίεται, *de omni aqua bibit.* Sic loquendo innuebant meretricem, quæ sine delectu quoslibet admitteret. Potest etiam jactari in scortatorem, qualvis meretriculas subigentem. Legitur Sirach. 26. 15. *Ὅτι sitiens viator os aperit fonte reperto; sic & illa aquam bibit vicinam quamlibet.*

XXV.

*Ad quemvis palum sedet.*

Alius dixit, *Contra quemvis clavum sedet.* Exstat in eodem loco, *κατ' ἐναντίον παντὸς πασσάλου καθήσεται.* Idem alijs verbis. Nam ad omnem palum sedere aliud nihil est quàm se vulgò prostituere omnium libidini. Vulgares meretrices olim in viis sedebant, dum veniret, qui eas conduceret. Unde scortum devium, scortum honestius, minusque vulgare: & apud Catullum, *semitarii mæchi,* qui in agrorum semitis sub dio scorta subigebant,

XXVI.

*Ad telum aperit pharetram.*

Idem declarat, *ἐναντίον βέλους ἀνοίξει φαρέτραν, ad sagittam aperit pharetram.* Nam intelligitur, *ad quamvis sagittam,* ac si scriptum esset, *ἐναντίον παντὸς βέλους:* quomodo legisse olim videtur interpres vetus: *vertit enim, Contra omnem sagittam aperiet pharetram.* Mihi siq̄ verisimile nomen *παντὸς* ex vulgaris libris per incuriam exscribentium excidisse: ramen nihil adfirmo.

XXVII.

*Orci barathrum.*

βόθρος ἄδης, *fovea inferni, sive inferorum.* Camera rius exposuit, *fovea mortis, ἰ. θανάτου.* Non rejicio; nam mors & inferi, se invicem explicant. Dicitur de præfenti exitio. Nam in foveam cadere quis potest, ut ramen non intereat. *Fovea ergò mortis,* è qua nemo vivus evadat. Hujusmodi est extremum viæ improborum. Quod declarat Siracides Eccles. 21. 11. ad hunc modum scribens, *Via peccatorum complanata lapidibus: sed in extremo ejus est fovea mortis, (vel, fovea inferorum; q. d. in extremo ejus sunt inferi.)* Vel, *desinit in fovea mortis: q. d. certam perniciem adfert iis, qui eam terere perseverant.*

XXVIII.

*Per medios laqueos transire.*

Ἐν μέσῳ παγίδων διαβαίνειν, *per medios laqueos transire.* Proverbium periculi; qualia sunt, *Ignem in sinu capere: super prunas ambulare: per urbium pinnas ingredi.* Siracides usurpat de eo, qui inter potentes versatur. Scitè aptabitur ad eum, cui res est cum hominibus fraudulentis & captiosis. Ebraicè diceret *לעבור בתוך הפחיתים, transire per medium laqueorum.*

XXIX.

*Per urbium pinnas ingredi.*

Quod alii referunt, *in propugnaculis Urbium ambulare:* Græcè legitur Eccles. 9. 18. *ἐπὶ ἐπαλξεων πόλεων περιπαλεῖν* pro eo quod est, *in maximo discrimine veritari.* Ebraicè sonat, *על נתיבות העיר, Verba Siracidis, Procul abesto ab homine qui habet potestatem interficiendi, & non eris mortis timore dubius. Quod si ad eum accesseris, ne delinquito, ne tibi vitam adimat.*

Scito te per medios meare laqueos, superque urbium pin-  
nas ambulare. ἐπι κλέεις sunt pinnae, i. summities mur-  
rorum turriumve: vel propugnacula; nam in iis quo-  
que periculossimè ambulatur tempore obsidionis.

## XXX.

*Equus indomitus evadit saevus.*

ἵππῳ ἀδάμας ἐκβαίνει σκληρὸς, equus indomitus  
evadit durus: h. e. intractabilis vel saevus. Conveniet  
uti si quando significabimus rebus secundis homines  
ferociores fieri. Nam adversæ eos domant. Aptius  
torquebitur in pueros nimiam indulgentiam corruptos.  
Nam tales ferè intractabiles evadunt. Cæterum pulli  
equorum, nisi domiti fuerint, idonei non possunt esse  
ad eas utilitates, & apti ad ea, quæ desiderantur ab equis.  
Huc facit simile quod apud Ciceronem, Sicut equos  
propter crebras contentiones praliorum, ferocitate ex-  
sultantes, domitoribus tradere solent, ut iis faciliori-  
bus possint uti; sic homines secundis rebus effrenatos,  
tanquam in gyrum rationis & doctrinae duci oportet, ut  
perspiciant rerum humanarum imbecillitatem, varie-  
tatemque fortuna. Sirach. 30. 8. Equus indomitus evadit  
saevus, & filius remissus evadit temerarius: (προαλις προ-  
αλις: sic interpretis verus.) Filius remissus i. υἱὸς ἀνεμυλῆ.  
Salomo dixit חלש בן in illo, Filius remissus pudefacit  
matrem; alii, Filius sibi relictus:

## XXXI.

*Ori tuo fac fores & pessulum.*

τῷ στόματι σου ποίησον θύραν καὶ μοχλόν, ori tuo fac ja-  
nuam & vectem. Exstat Sirach. 28. 28. Porro intelli-  
gentiam habet ex adagio Græco, Ἀθύρωπον στόμα, Os  
absque foribus aut janua: quod exponunt, ἐπι τῶν πολυ-  
λόγων, de loquacibus.

## XXXII.

*Verbis tuis fac trutinam.*

In eodem loco. τῷ λόγῳ σου ποίησον ζυγὸς ἀμύμον, ser-  
moni tuo fac trutinam stateramque. Da operam, ut con-  
sideratè verba facias. Sic moderatè tibi in sermone ut  
non plus minùsve loquere, quàm æquum est. Simile,  
Libra orbitam pedum. Huc pertinet, quod Eccl. 21.  
25. λόγοι φρονιμῶν ἐν ζυγῷ σοφῶν ἰσχυροῦνται, sermones pru-  
dentium stateram examinantur.

## XXXIII.

*Amicus fidus est pharmacum vitæ.*

Sirach. 6. 13. φίλος πιστός φάρμακον ζωῆς, amicus fi-  
dus pharmacum vitæ. Fidus amicus vitam, h. e. bonam  
valeitudinem, conciliat; aut vitam jucundiorē facit.  
Nam vivere aliquando est jucundè vivere. Aut phar-  
macum vitæ, quia vitam prorogat. Nam amicitia innum-  
meras habet commoditates, quibus qui caret, vitam vi-  
vit minùs diuturnam, φάρμακον ζωῆς, i. τῆς ζωῆς.

## XXXIV.

*Mundus divitiarum.*

Κόσμος τῶν χρημάτων, Mundus pecuniarum, vel, si

mavis, opum. Figura proverbialis, sicut dicimus, χρυσὸς  
πόλις, mare auri. Tale est, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας; mun-  
dus iniquitatis, à nobis supra explicatur, videlicet lib. 3.  
adag. 74. Legitur Prov. 17. 4. in libris Græcis, τὸ πῖστος  
ὅλος ὁ κόσμος τῶν χρημάτων, Fidelis habet totum mun-  
dum divitiarum: q. d. omnia ei præstò sunt, deest nihil.  
Quod accedit ad stoici dogmatis sententiam, omnia sa-  
pientis esse. Nam quis fidelis nisi sapiens? Ambrosius  
lib. 2. de Abrahamo Patriarcha cap. 7. Sed fortè dicas,  
Quomodo sapientis totus mundus? Quoniam ipsa natu-  
ra dat ei sortem omnium, etiamsi ipse nihil possideat.  
Domina est, & possessor sapientia, quæ sua putat natura  
munera, quoniam in usum hominum data sunt, nec ullis  
indiget, etiamsi desint ei ad victum necessaria. Namque  
si musicus organa, aut medicus medicamenta, aut nau-  
clerus, quæ ad navis instrumentum necessaria sunt,  
etiamsi quando non habeat, habet tamen eo ipso quo  
possit his uti, etiamsi ad tempus usus eorum non suppe-  
tat: quanto magis sapiens suum judicat, quicquid natu-  
ra est, qui vivit secundum naturam?

## XXXV.

*Ne quidem obolum habet.*

De pauperrimo & egentissimo. In eodem versu apud  
Salomonem, τὸ δὲ ἀπίστῳ οὐδὲ ὀβολός, Qui infidelis est,  
ne quidem obolum habet. Congruit cum dicto Stoico-  
rum, omnis stultus pauper. Nam qui stultus vel infidelis,  
idem est improbus. Improbus verum usum divitiarum  
non novit, ac proinde quod habet, non habere videtur,  
quia eo uti non potest. Sed, meo judicio, locutio est  
hyperbolica. Aut significat infidelem avarum, cui tam  
deest quod habet, quàm quod non habet.

## XXXVI.

*Mensa amicus.*

Proverbii similitudinem habet mensa amicus, de eo,  
quem mensa conciliat. Meminit Erasmus in adagio,  
olle amicitia. Sirach. 6. 10. καὶ ἐστὶ φίλος κοινωνός ἱρα-  
πειζῶν. Latinè sic, & est amicus socius mensarum. Tales  
cum fortuna mutantur, nec manent in difficultatibus.  
Nam cessante causâ amicitia, cessat ipsa. Extendi po-  
test ad omnes vulgares amicos, qui commodi non be-  
nevolentia causâ amant: quales sunt ferè divitum &  
opulentorum amici.

## XXXVII.

*Abyssus malorum.*

Ἄβυσσος κακῶν, & ἄβυσσος τῶν ἰσχυρῶν, abyssus labo-  
rum, & βάθος κακῶν, profundum malorum. Hoc postre-  
mum occurrit in Græca vulgata Prov. 18. 3. ὅταν ἐλθῇ  
ἀσέβης εἰς βάθος κακῶν. Sensus est, cum inciderit in ex-  
tremas calamitates. Vel εἰς βάθος κακῶν, h. e. ad sum-  
mam improbitatem. Sic intellexit, qui vertit, Impius  
cum in profundum venerit peccatorum. Nazianzenus  
indicat proverbium esse, cum ita scribit, εἰς κακῶν βά-  
θος ἐμπεσόντες ὁ δὲ λέγει αὐ, in profundum malorum in-  
cidentes, quod dicitur.

## XXXVIII.

XXXVIII.

Cor duplex.

Cor duplex pro vafro, ficto & simulationis pleno legitur Sirach. 1. 23. ἐν καρδίᾳ διπλοῦ, i. corde duplici. David hoc dixit, corde & corde: quod alicubi à me adductum & explicatum. Rursus Sirach. 2. 12. ἑαὶ καρδίαις διπλοῦς, i. va cordibus duplicibus. Lectio varians, δειλαῖς, i. timidis, signavis. Sed ne displiceat διπλοῦς, nam & vulgò hominem duplicem vocamus vafrum ac verfurum, ut bilinguem, qui aliud loquitur, aliud sentit. Quò respiciens Ambrosius in lib. De Paradiso cap. 12. Serpens, inquit, bilinguis habetur, eò quòd diaboli minister aliud lingua loquatur, aliud corde medietur. Vide, si lubido, Erasmus in adagio, duplices viros.

XXXIX.

Cor in ore habet.

Cor in ore habere dicitur, qui inconsideratè loquitur, & temerè effutit quicquid in buccam venit; quod proprium stultorum est, unde scriptum Sirach. 21. 29. ἐν στόματι μωρῶν ἡ καρδία ἀνῶν, in ore stultorum cor eorum positum est.

XL.

Os in corde habet.

In eodem loco, ἐν καρδίᾳ σοφῶν τὸ στόμα αὐτῶν, in corde sapientum os ipsorum, quia videlicet sapientes prudenter moderantur ori suo, ac priùs cogitant & meditantur animo quòd ore dicturi sunt, nec plus minùsve loquuntur, quàm oportet. Cor enim sedes, rationis & intelligentiæ, sapientem, quantus quantus est, totum occupat & gubernat.

XLI.

Adamante dividere.

Sirach. 16. 14. τὸ φῶς ἀνῆλθε, τὸ σκότος ἐμέρισε τῷ ἀδαμάντι, Lucem suam & tenebras adamante dividit. Quid est, adamante dividit? An hoc dicit, ex facili discrevit? Nam adamas durissimas gemmas ex facili cavat. Quocirca valde à scalptoribus expetitur. Suspiciari quis possit allusum ad Templi constructionem, quæ sub Salomone. Nam tunc ferrum auditum non fuit, sed lapides secabat Samir: est autem Samir, si non fallunt Interpretes, adamas gemma. Aut sensus est, ira partitus est, ut committeri amplius non possint: q. d. lucis ac tenebrarum ejus partitio adamantina est, h. e. infringi non potest Sic doctissimus Camerarius. Hoc sensu vincula adamantina legimus, pro, insolubilia. Junius non dissentit à Camerario, ita scribens, Adamante dispefcuit, i. firmissimè & validissimè: nam adamantinum ex natura gemma appellamus quicquid invictum est, & robustissimum, ut Ismenias apud Plutarchum dicit, amoris inter populares vincula esse adamantina ad remp. continendam. Autor annotationum quæ in hunc librum cum notis Vatabli prodierunt, Videtur, inquit, significare nomine Adamantis, qui lapis est durissimus, Deum lucem suam à tenebris terra infe-

rioribus ita separasse, ut nemo possit ad eam penetrare, quemadmodum Paulus 1. Tim. 6. 16. dicit Christum Dominum habitare φῶς ἀπρόσιτον, i. lucem inaccessibilem. Hastenus ille. Locus mihi non aded clarus, ut non amplius ejus lucem quærendam esse purem.

XLII.

Ne coneris contra fluminis agmen.

Præceptum est Siracidis, quòd monet non esse obstendum iis, qui potentiores sunt. Cujusmodi est illud, Ne adversum stimulos calcitrato. Qui periti sunt artis natandi, nõdrunt, quàm sit difficile, quàmque periculosum niti adversus flumen, præsertim si rapidè & citato feratur cursu. Eccl. 4. 32. in vulgata versione Lat. Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ietum fluvii. Sic legitur in omnibus exemplaribus, quæ ego vidi. [Libri quidam fulminis: eleganti sententia.] Quare nisi quis probaverit mendum esse, existimo abusive poni ietum pro cursu seu impetu. Nam in Græco est, ἦς ποταμοῦ. Quanquam, ut verum fatear, aut nostræ versio mutila est & depravata, aut ejus autor diversum habuit exemplar ab iis, quæ hodie habemus. Sic enim & Toletanum & Basileense, μὴ ἀγρυπνῆς ὁμολογήσαι ἐφ' ἀμαρτίαις σε, καὶ μὴ εἰς ἄζην ποταμοῦ, καὶ μὴ ἐπισπρώσης σεαυτὸν ἀνθρώπων μωρῶν, Ne erubescas tua peccata confiteri, nève vi coërce fluminis agmen (vel, ne afferas vim amnis defluxioni, sic Camerarius) nève te homini stulto substraveris. Hoc videre licet non solùm diversa verba, verùm etiam diversam sententiam. Non quòd adagii alius sit sensus, sed quòd ad aliam rem accommodatur. Quidam ita accipiunt, ut sit quasi ratio ejus quòd sequitur, Ne te homini stulto substraveris: quia scilicet effræni stultitiæ non magis obstisti potest quàm flumini. Sed Græci codices, quos vulgò terimus, aliter distinguunt. Nam in iis duo priora membra connectuntur uno versu: deinde sequitur alter versus, in quo præcipitur, ne nimium nos submittamus stultis & vesanis hominibus. Quæ distinctio docet non esse obstendum fluminis agmini, h. e. conscientiæ aut spiritui nostrorum confessionem peccatorum elicienti.

XLIII.

Stulti vita morte deterior.

Τὸ μωρὸς ὑπερδύνατον ἢ ζωὴ πονηρὰ, Stulti vita morte pejor est. Stulti & improbi plus mali sustinent in vita quàm in morte: quia dum vivunt, cruciantur semper animi conscientiâ. Rursus, via stulti pejor ipsa morte, quia stultus vivens ratione & intelligentiâ destituitur: pejor autem est ratione & intelligentiâ destitui quàm luce. Sirach. 22. 12. Mortuum deplora, qui luce careat; & stultum deplora, qui intelligentiâ careat. Minus deplora mortuum, qui requiescat: at stulti vita morte deterior est. Mortui luctus septem dierum est: at stulti & improbi totius ævi ejus vita.

XLIV.

Musica in luctu.

Μουσικὴ ἐν πένθει, Musica in luctu. Lectio varians μουσικὰ ἐν πένθει eodem redit. Proverbium est de jo-

co intempesivo, arque adeo de re quavis non suo loco aut tempore adhibita. Nam Musica ad voluptatem & delectationem inventa, à tempore funesto & luctuoso aliena est, juxta versiculum Græcum,

Ὁυ ναῦλα κωκυτοῖσιν, ἔ λύρα φίλη.

Eccl. 22. 6. μουσικὰ ἐν πένθει ἀκαιρὸν διήγησις, *Musica in luctu est intempesiva narratio*: q. d. nec Musica in luctu adhibenda, nec alieno tempore narratio. Cæterum Musicam luctui non convenire docet Plutarchus sympof. 7. quæst. 7. cujus verba adduximus in adagio, *Aceto nitrum perfundit.*

## XLV.

*Musica in vinoso convivio.*

Superiori contrarium, μουσικὴ ἐν συμποσίῳ οἴνῳ, *Musica in convivio vini*, Musica commodissime adhibetur in convivio, quando animus vino hilarior factus est. Nam id sonat *convivium vini*, seu mavis, *vinosum*. Quamobrem sic Homerus cecinit,

*Quam suave est epulis dulcem vocitare Thalam.*

Apud eundem dicit Ulysses optimum esse vivendi institutum, cum hominibus lætitiæ fruentibus,

*Convivia in lectis pendunt ex ore canentis*

*Ordine compositis.*

Sirach. 32. 7. *Concentus musicus* (σύγκριμα μουσικῶν) *in convivio vini*: & vers. 8. μέλι μουσικῶν ἐφ' ἡδέϊ οἴνω, *i. Carmen musicum ad suave vinum.*

## XLVI.

*Fugum & lorum cervicem subigunt.*

Ζυγὸς καὶ ἰμάς κάμπησι τράχηλον, *fugum & lorum flectunt*, sive *curvant cervicem*. Quadrat in eos, qui rebus duris modestiores evadunt. Siracides usurpat peculiariter de servo nequam, Eccl. 33. 27. inquit, *fugum & lorum curvant cervicem*, nervus & tormentum *servum malum*. Tralatio à jumentis jugo subditis.

## XLVII.

*Ne ignifer quidem supererit.*

Proverbium latet in illis verbis, quæ habentur Abd. 18. libr. Græcorum, οὐκ ἔσαι πυροφόρον τῷ οἴκῳ Ἠσαῦ, *Non eris ignifer domui Esau*: quæ Hieronymus sic interpretatur, *non erit frumentarius domui Esau*, & addit *πυροφόρος*, i. *frumentarios*, à *veteribus dictos eos*, quos posterior *Aetas agentes in rebus vel veredarios appellavit*, videlicet ἀπὸ τῆ πυρῆ, quod frumentum designat. Idem admonet de alia scriptione, *nam sunt*, inquit, *qui non πυροφόρον*, i. *Frumentarium*; sed *πυροφόρον*, h. e. *qui gestare possit igniculum*, à *LXX. translatum putent*. Quod exponit juxta tropologiam de eo, qui lucem Christi habere se simulet. Sed, sciendum parum referre *πυροφόρον* an *πυροφόρον* legatur. Nam & *πυροφόρον* δήμητρα dixit Euripides, ut significaret *πυροφόρον*, i. *Deam frugum Cererem*: & contra *πυροφόρον* Lexica interpretantur *igniferum*, i. *πυροφόρον*. Scribit autem Alexander ab Alexandro libr. 5. *Genialium dierum, Morem fuisse Græcis*, ut quoties *procinctæ acies congregi pararent*, ante prima signa stare *vates facem gerens cum lauro & corollis*, quem ipsi *πυροφόρον appellabant*, & *tanquam*

*sacrum, quod legati munus obiret, violare nefas habebant*. Hactenus ille; perspicue *πυροφόρον* vocat, nisi mendum in libris, quem alii *πυροφόρον*, id est *igniferum*. Nam à face quam gestabat ita appellatus fuit Hesy-chius, *πυροφόρος*, ὁ πῦρ φέρων, ἢ ὁ μόνος διασωθεὶς ἐν πολέμῳ, i. *Pyrphorus dicitur qui ignem fert*, & *is qui solus servatus est in bello*. Jam intelligis, opinor, quid sit οὐκ ἔσαι *πυροφόρος*. Nam vis horum verborum, ac si diceret, *Ne unus quidem evadet, aut superstes erit*. Usus est hoc adagio Herodotus lib. 8. ἔδει δὲ μηδὲ *πυροφόρον* τῷ ἐκείνων λόγῳ ἐκφυγόντα περιγενέσθαι, *Oporteret verò ne igniferum quidem fugâ superesse, uti quidem consilium inibant*: q. d. *rationem inire volebant*, quo nemo fugâ elaberetur, ut ad unum omnes in manus venirent. Consule Erasmus Chiliad. 1. cent. 10. adag. 26. In collectaneis Græcarum paræmiarum, quæ J. Arcerius Theologus manu propriâ descripsit, & pro suo candore mecum communicavit, οὐδὲ *πυροφόρος* ἐλείφθη. ἐπὶ τῶν μεγάλων κινδύνων εἰρεῖαι ἢ παροίμια ἐπειδὴ πάσης πολεμικῆς παρασκευῆς ἔδει τῶν μάντιν ἠγείσθαι δάφνης ἔχοντα κλάδους ἢ πέμματα καὶ λαμπάδας, καὶ τέτρα νόμοι ἦν μόνος φείδεσθαι τῆς πολέμου ἐπὶ τοῖνυ πάνωλεθρῆ διεφθαρμένων καιρῶν ἔχεν ἢ παροίμια. Consimilia his reperies in Apostolio, in proverbio Οὐδὲ *πυροφόρος* ait enim id dici de internectione universi, & *abest* inquit, τὸ ἀπελείφθη, i. *remansit*, sive *relictus fuit*. *πυροφόρος* δὲ ἔλεγον τῆς ἱερέας, τῆς ἐπιθώμιον πῦρ ἀναπλοῦσας ἐν τοῖς ἐν πολέμοις ἐιώθασιν τῶν ἱερέων οἱ νενικηότες φείδεσθαι ἐπὶ δὲ τῶν παντελῶς ἠτληθέντων καὶ συμπαληθέντων ἐν τῷ πολέμῳ ἐιώθασιν ἕπερβολῆ χρωμάμοι οὕτω λέγειν, ὅτι οὕτως ἀπώλοντο, ὥστε εἰδὲ *πυροφόρος* ἀπελείφθη τῷ στρατῷ. His adducor ut credam aut interpreterum esse scriptionem, quæ refert *πυροφόρος* aut pro eo positum, quod in libris editis, *πυροφόρος*. Nam quin respexerint ad illam Græcorum consuetudinem, usque fuerint proverbio inde orto, ut significarent ne unum quidem ex illa domo evasurum, nullum mihi omnino dubium est.

## XLVIII.

*Turris mortifera.*

πύργος θανάτου ad verb. *Turris mortis*: h. e. *mortifera*. Pertinet ad Proverbia exitium denotantia. Propriè *mortifera turris*, in qua homo longâ captivitate necatur. Usurpat Siracides Eccles. 26. 27. ὑπανδρος δὲ πύργος θανάτου τοῖς χρωμάμοις, id est, *Nupta* (meretrix, quæ virum habeat, ex præcedent.) *verò est turris mortifera* iis, qui cum ea usum & consuetudinem habent: q. d. certam perniciem illis adfert. γυνὴ ὑπανδρος primus accipio pro meretrice nupta, ut 9. 12. μέλι ὑπανδρος γυναικὸς μὴ καὶ τὸ σύνολον, i. *cum nupta muliere* (intellige quæ impudica sit) *ne sedero omnino*. Hanc Salomo vocat ἡ Νῦν, *mulierem viri*, Prov. 6. 27. inquit, *Mulier viri animam pretiosam venatur*: ubi Græci interpretes referunt, γυνὴ ἀνδρῶν, i. *mulier*, sive *uxor vinorum*. Paulò ante occurrit in eodem capite, videlicet 25. ἀπὸ γυναικὸς ὑπανδρος, ubi nos legimus, à *muliere mala*. Quæ verba aliter accipi non possunt quàm de adultera, quæ cum maritum habeat, tamen eo non contenta insuper aliis miscetur. Sic ὁ εἰσελθὼν πρὸς γυναῖκα ὑπανδρῶν οὐκ ἀθωωθήσεται, *Qui rem habet cum alterius viri uxore*

uxore, non evadet impunè. Coeterùm interpretes, quos vidi, aliter explanant Siracidem, & fortasse rectius, ut ἵπανδρ & sic casta & pudica in conjugio, & πύργ & θανάτς, propugnaculum contra mortem: h. e. contra impendentia mortis pericula. Docti expendent.

XLIX.

Pro sputo haberi.

Pro sputo haberi dixit Siracides ut significaret, vili haberi. Quid enim sputo vilius? Quare etiam sputo dignum, live conspuendum esse dicimus, quem vehementer contemnimus. Quam vim nonnulli existimant esse in voce raca: certè enim rac apud Syros spuere significat. Eccles. 26. 22. γυνή μοιδια ἴση σιάλω λογιθήσειαι, Mulier meretrix habetur pro sputo: ita Camerarius. Alii maluerunt, scrofa similis astimabitur, quod est σιάλος, porcus pinguis five altilis. Non damno.

L.

Abstine ab aqua aliena.

Ἀποῦδατ & ἀλλοτρίῃ ἀπέχεσθαι, Ab aqua aliena abstineo. Aqua hinc sumitur ut in illo, Aqua furtiva dulcis est. Hoc vult. Abstine te ab uxore alterius, vel à meretrice. Nam meretrix etiam aliena aqua, dici potest. Socrates dicebat, referente Srobæo (quanquam hoc alienum videri possit) adulteros perinde facere ac si qui nolint ex aqua supernè profluente bibere, sed ex illa, quæ in fundo subsedit, ac deterior est.

L I.

Ne bibito ex alieno fonte.

Ἀπὸ πηγῆς ἀλλοτρίῃς μὴ πίης, Ex alieno fonte ne biberis. Idem cum superiore. Utrumque etiam simul legitur, Prov. 9. in Græca veteri, Ab aqua aliena abstine, néve ex alieno fonte biberis: Verat igitur ne quis rem habeat, aut corpus commisceat cum aliena conjuge. Quod qui faciunt dicuntur ἀφραίνειν εἰς ὕδωρ ἀλλοτρίον, transire in alienam aquam, καὶ ὑπερβαίνειν ποταμὸν ἀλλοτρίον, alienum fluvium trajicere, v. 20. ejusdem capituli.

L II.

Felle amari.

De blanditiis meretricum, quæ exitus semper habent amarissimos, est memorato in loco apud interpretes Græcos, πιρροτέρων χολῆς, felle amari: quod usurpari poterit de re quavis insigniter amara. Nam fel insignem amaritudinem continet: unde מרה Ebræis vocatur. Amarum autem intelliges, & quod ex adverso habet lætum & jucundum. Sic Noomi, cui à jucunditate vel amenitate nomen inditum, cum ab initio libris ac marito orbata domum postliminiò rediisset, Nolite, inquit, me vocare Noomi, sed vocate me Mara, i. amarum; quoniam amaritudine affecit me Dominus. Verba hæc habentur in historia Ruth c. 1. v. 20.

L III.

Somnia alatos faciunt amentes.

Ἐνύπνια ἀναπέρεσθαι ἄφρονας, Insomnia pennas addunt dementibus. Proverbi formâ dictum pro, efferunt eos, ac in vanam spem erigunt. Natum videtur ex eo quod homines interdum somniant se volare. Reperitur Eccles. 34. 1. Vanas ac fallaces spes habet homo im-

peritus, & somnia pennas erigunt amentibus. Verbum est ἀναπέρεσθαι, quod à pennis live alis deductum. Etiam scribit ἀναπέρεσθαι, ac inter adagia recensuit.

L IV.

Frusto panis indigens.

Ἐνδεὴς ψωμῶν, Indigus frusti panis, de vehementer paupere, qui nihil omninò habeat, unde viam sustentet. Exstat Prov. 9. in Græca versione, γυνή ἄφρων καὶ θρασεῖα, ἐνδεὴς ψωμῶν γινέσθαι, Mulier insipiens & temeraria, indiga fit frusti panis: q. d. eò inopiæ redigitur, ut ne frustulum quidem, aut buccellam panis habeat ad arcendam famem. Affine est, quod in codicibus Ebræis תנח רסן, i. indigens pane, pro extremè inope.

L V.

Pretium unius panis.

Τιμὴ ἑνὸς ἄρτου, Pretium unius panis; proverbi formâ dicitur pro parvo ac vili. Prov. 6. τιμὴ πόρνῃς, ὅση καὶ ἑνὸς ἄρτου, i. pretium meretricis, quantum & unius panis, q. d. vilissima est; ita est sanè. Quid enim vilius meretrice? quæ pudicitiam, quâ nihil pretiosius in sæmina, & simul pudorem omnem amisit.

L VI.

Os sine tecto.

Ἄσειγον στόμα, Os absque tecto, ut ἀθύρωτον στόμα, os absque janua, de loquacibus; iisque qui ori suo moderari non possunt: unde & ἄσειγον χεῖλεσιν, qui est labiis futilibus. Exstat Prov. 26. in extremo, στόμα δὲ ἄσειγον ποιεῖ ἀκατάστασις: at in Ebræo, Os blandum facit impulsionem.

L VII.

Labia sine tecto.

Ἄσειγον χεῖλεσιν propriè, qui labia habet sine tecto, h. e. tecto carentia. Reperitur Prov. 10. 10. Ὁ δὲ ἄσειγον χεῖλεσιν σκολιάζων ὑποσκελισθήσειαι. Quod ex Ebræo alii reddunt, Stultus labiis vapulabit.

L VIII.

Lumbos conterere.

Ὅσφον τρίβειν, Lumbos conterere, quod aliquis interpretans dixit, elumbare, est vires infringere. Nam in lumbis virium sedes. Eccles. 25. 23. Donec contriveris lumbos immittum, & de gentibus pœnas sumperis.

L IX.

Quæ pax hyænæ cum cane.

Proverbi naturam respicit, quod apud Siracidem Eccles. 13. 17. τίς εἰρήνη ὑαῖνη πρὸς κύνα; Quæ pax hyænæ ad canem, vel potius cum cane? Hyænæ cum cane nullam pacem colit: est enim naturale odium inter hæc animalia, sicut inter lupos & oves. Porò hyænæ, ut fertur, vomitus humanos mentita canem ad se accurrentem primùm comprehendit, dein de vorat. Ergò hyænæ & canis societas, quando inter se societatem coeunt, ex. gr. dives & pauper: inter quos nulla societas esse potest, nisi quæ conjuncta cum exitio pauperis. Quod in dicto loco declarat Siracides in hunc modum scribens, Quæ pax hyænæ cum cane? & quæ pax diviti cum paupere? Ut venationes leonum onagri in deserto; sic divitum pabula pauperes.

L II

LX.

## LX.

*Dormituri narrant.*

Διηγείται νυσάζοντι, *Narrat dormitanti: vel, ut quidam, oscitanti: h. e. ei, qui non attendit ad id quod dicitur. Cognationem habet cum illo surdo narrat fabulam.* Sirach. 22. 9. *Dormienti narrat, qui aliquid narrat stulto; qui finito sermone dicet, Quidnam est? Editiones aliquæ, dormitantem alloquitur, qui alloquitur stultum.*

## LXI.

*Bona offusa ori clauso.*

Ἄγαθα κεχυμένα ἐπὶ στόματι κεκλεισμένα, *Bona, i. cibi boni, offusa ori clauso.* Conveniet dici, ubi quis beneficium confert in eum, qui eo uti non potest. Proprie de eo intelligitur, qui dapes apponit ægrotanti, aut mortuo. Hoc sensu legitur Eccles. 30. 19. *Bona offusa ori clauso sunt epularum fercula in sepulcro apposita.* Pro κεχυμένα lectio varians κεκλεισμένα, quam secutus vulg. interpres ita vertit, *Bona abscondita in ore clauso: & alius, qui habet, Res bona inclusa ad os clausum.* Camerarius quoque eandem secutus est lectionem referens, *Bona clausa in ore clauso.*

## LXII.

*Fulgetra tonitru præcurrunt.*

Πρὸ ἑροῦ ἡς καὶ ἀσπένδει ἀστραπή, ἢ πρὸ αἰγυλῆς ἡρῆ προσελευσέλαι χάρις, *Fulgur tonitru præcurrit, & pudentem anteit gratia.* Admonet proverbium, nihil magis gratiam conciliare apud homines, quam si pudens ac verecundus fueris. Nam scilicet gratiam esse comitem, & quasi anteambulonem pudoris. Reperitur Eccles. 32. 14.

## LXIII.

*Mihi heri, & tibi hodie.*

Ἐμοὶ χθὲς, καὶ σοὶ σήμερον, *Mihi heri, & tibi hodie.* Vicitur nautum ex inscriptione sepulcri alicujus. Admonet autem omnibus constitutum esse finem moriendi. Vide Eccles. 38. 23. Licebit aliò transferre, ut si quis dicat calamitoso, *Mihi heri, tibi hodie,* significans se eadem mala quondam perpeffum esse. Franciscus Galliarum Rex Christianissimus, cum in Hispaniis captivus detineretur, scripserat in pariete cubiculi sui, *Hodie mihi, cras tibi.* Id videns Carolus Imp. subscripsit, *Homo sum, humani à me nihil alienum puto.* Admonemur ergò hâc parœmiâ de varietate fortunæ (si fas ita loqui) & inconstantia rerum humanarum.

## LXIV.

*Favum mellis superat.*

Aut, *dulcior est favo mellis.* Eccles. 24. 27. ἡ κληρονομία μὲν ὑπὲρ μέλιτος κηρίον, (*Libri Antuerpiæ cusi κηρίον, Hæreditas mea supra mellis favum: sub, dulcis est.* Cœterum suspicor veram lectionem esse, quæ refert κηρίον, quam etiam secutus sum. Nam quod in libris aliis ὑπὲρ μέλιτος κηρίον, (Hanc lectionem secutus est Camerarius, vertit enim *superat mel Domini*) minùs placet, nec ita commodum sensum habet, nisi *mel Domini* accipiamus pro optimo, ut *Flamma Domini, Ar-*

*bores Dei; aut mel Domini, quod sponte in sylvis provenit, & sine cura humana.*

## LXV.

*Nudior pistillo.*

Γυμνότερος ὑπὲρ, *Nudior pistillo: de insigniter nudo ac tenui.* Exstat Prov. 23. in Græcis codicibus, ἐάν γὰρ εἰς τὰς φιάλας καὶ τὰ ποτήρια δῶς τῆς ὀφθαλμοῦ σου, ὑπερον περὶ παλήσεις γυμνότερος ὑπὲρ, *Si in phialas & calices conjeceris oculos tuos, tandem incedes nudior pistillo.* Hoc significat, si poculis addictior eris, ad summam paupertatem devenies: vel, non habebis unde te vestias, atque ita planè nudus incedes præ inopia. Recensetur etiam ab Erasmo, & in collectaneis Apostolii. Eadem sententia in illo, *Qui amat vinum & latitiam non ditescet.*

## LXVI.

*Colligit lapides ad tumulum sepulcri sui.*

Αἰδὺς συναγει εἰς χῶμα τὰ φῆς αὐτοῦ, *Lapides congerit ad tumulum sepulturae suæ.* De eo, qui domum construit ære alieno: h. e. aliunde mutuato, cui non sit solvendo. Nam hujusmodi domus ei futura est tanquam sepulcrum, quam egredi non audebit propter creditores. Quidam exponunt, *ære alieno,* h. e. fraude acquisito, & erepto aliis cum injuria. Reperitur Eccles. 21. 9.

## LXVII.

*Dolium perforatum.*

Apud Græcos Interpretes Proverbiorum cap. 23. hæc leguntur, πῆθ' ἔσται τὸ τετραμμήλιον ἐν αἰδοῦντι δολίῳ, *dolium enim fractum est aliena domus: quæ vereor ut ab operis sincera sint.* Certè sententia emerget haud paulò elegantior, si unâ literâ mutatâ legas τετραμμήλιον, *pertusum, sive perforatum.* Siquidem per domum alienam intelligit meretriciam: hanc dicit esse dolium perforatum: quapropter? quia meretrices avarissimæ sunt, nec unquam expleri possunt: tum etiam quia quò plura accipiunt ab amatoribus, hoc magis inanes esse videntur. Nihil enim ipsarum cupiditatibus satis est. Adhæc, perit omne quod in illam domum infertur (quis enim fructus amoris meretricii.) ut vel hoc solo nomine possit dici *dolium pertusum.* Atque hæc quidem verissima sunt. Si quis tamen receptam lectionem tueri velit, non repugnabo. Sanè meretrix etiam vulgari dictorio *vas fractum* appellatur.

## LXVIII.

*Racemare post vindemiatores.*

Post vindemiatores racemârunt, ex. gr. qui proverbialia Latina aut Græca collegerunt post Erasmus: item qui sapientiæ præcepta tradiderunt post Salomonem, in veis Siracides, qui propterea sic scribit Eccles. 33. 17. καὶ γὰρ ἐρχαί' ἐγρυσθησαίως καλαμῶν' ὁπίσω τρυγητῶν, i. interprete Camerario, *& egoultimus evigilavi, ut stipulam legens post vindemiatores.* Est cur malim, ut *racemos legens.* Nam καλαμῶναι non modò *stipulas* aut *spicas legere* significat, sed etiam *racemos*; quod uno verbo dicunt, ἐπιφουλίξεν. Porro ita vertendum esse perspicuum ex illo, ὁπίσω τρυγητῶν. Nam τρυγήσαι, *vindemia-*

demiatores; alioqui dixisset, ὀπίσω δεξιζόντων, post messores. Quod eodem quidem recidit, sed verba non idem denotant; velut si dicas, *spicas legere post messores*, & *racemos legere post vindemiatores*, eandem rem iisdem verbis proverbialiter enuntians.

LXIX

*Aurum igne, homo dejectione.*

Sub. probatur integrum est Ecclesiast. 2. 5. ἐν πυρὶ δοκιμάζεται χρυσός, καὶ ἄνθρωποι δεκτοὶ ἐν καμίνῳ ταπεινώσεως, *Aurum probatur igne, & homines accepti de fornace dejectionis, sive afflictionis*, i. 7. Admonet parabola piorum afflictiones non tam pœnas esse, quàm probamenta virtutis ac constantiæ ipsorum. Nam sicut aurum igne probatur, sic eos scilicet probari rebus adversis. *Homines accepti*; h. e. pii, sive probi, & Deo chari.

LXX.

*Duas vias ingredi.*

Ἐπιβαίνειν δύο τῆσδε, *Ingradi duas semitas, vel duas semitis*. Quidam exponunt, *duabus sellis sedere*, ut significet lubricum fidei. Aliis est proverbium simulationis, & animi duplicis. Nonnulli ejus sensum petunt ex illo, *Quousque in duabus istis sententiis claudicabitis?* Nam qui modò harum, modò illarum est partium, nec ullam certam habet in religione sententiam, hunc designari putant à Siracide Eccles. 2. 13. ubi sic ait, ὄναϊ ἀμαρτωλῶ ἐπιβαίνοντι δύο ἰσθμῶν, *veh peccatori duabus viis gradienti*. Atque hinc lucem facies interpreti Latino Ecclesiast. 3. 28. *Cor ingrediens duas vias non habebit successus*. Quæ defumpta videntur ex illo Salomonis Prov. 28. 18. *Perversus gradient duabus viis cadet in unam*. Vide Quæstiones meas.

LXXI.

*Fontis in morem.*

Valer copiosè. Proverbiale ut *torrentis in morem*. Prov. 6. in libris Græcis, ἐὰν δὲ ἀρνῆσθῃς, ἢ ζῆς ὡσπερ πηγὴ ὁ ἀμνηὸς σα, *Si verò impiger fueris, veniet fontis in morem messis tuae*: q. d. copiosissima & uberrima erit.

LXXII.

*Ros aestum mitigat.*

Καὶ ῥοῦν ἄναπαύσει δρόσῳ, *aestum sedat ros, h. e. pluvia*. Porro notum ut pluvia benignitatem denoret. Significat ergò donis animum iratum placari. Paulò aliter Siracides Eccles. 18. 17. *Nonne ardorem mitigat ros?* Sic ipso dono potior est oratio. Venustius erit h. e. feras hoc modo, *Ardorem sedat ros, animum iratum munera, sive donatio*: vel isto, *Aestum mitigat ros, & dono gratiam addit oratio*. Cœterùm δρόσῳ pro pluvia sumitur, & Prov. 26. 1. δρόσῳ ἐν ἀμνηῷ, i. *pluvia in messe*. Nam in Ebræo scilicet esse ܪܘܫܐ

LXXIII.

*Qui oculum pungit, lacrymas elicit.*

Ὁ νόσων ὀφθαλμῶν, καὶ ἄξει δάκρυα, *qui pungit oculum, educet lacrymas*. Videtur eandem vim habere cum

illo, *qui nasum premit, sanguinem elicit*. Id si est, quod drabit in eos, qui contumeliis & injuriis aliquem ad iram provocant: Nam ira inprimis animi affectiones patefacit: itaque lectum Eccles. 22. 22. *Qui pungit oculum, elicit lacrymas*; & *qui stimulat cor (i. animum) hominis, provocat affectum*.

LXXIV.

*Puer castigatus sapiens fiet.*

ἦδὲ πεπαιδευμένῳ σοφὸς ἔσται, *Puer castigatus sapiens erit*. Nam virga & castigatio sapientiam imperiunt. Reperitur in Codicibus Græcis, Prov. 9. & 8. 32. Fortè sumptum ex illo, *Audite castigationem, & sapite*. Sensus enim est, *& sapietis, vel, ut sapiatis*. Simile, *hoc fac & vive, pro vives, vel, ut vivas*; Sic, *Ascende in montem, & morere*.

LXXV.

*Vasa fictilia fornax, hominem oratio.*

Sub. explorat. Eccles. 27. 5. *Vasa figuli explorat fornax, & probatio hominis in oratione ipsius*. Græcè sic, καὶ πειρασμὸς ἀνθρώπου ἐν διαλογισμῷ αὐτοῦ, *ad veritatem tentatio hominis: dialogismus verò potius in hoc loco est Sermo sive oratio, quàm cogitatio*. Nam quis novit cogitationem alterius, ut de ea ipsum exploret? An accipiemus unumquemque seipsum probare de cogitatione sua? potest ita esse; tamen ut dixi, melius ut intelligatur de oratione. Sic ait, πρὸ λογισμῶν ἐπαίνεσις ἀνδράσδε, ἔτι γὰρ πειρασμὸς ἀνθρώπων, *ante orationem ne laudes quenquam: hac enim est hominis exploratio*.

LXXVI.

*Lotus denuò tangit mortuum.*

Βασιζόμενος ἀπὸ νεκρῶ, πάλιν ἀπέλειαι αὐτῷ, *lotus à mortuo, (tacto mortuo) rursus tangit eum*. Congruit in eos, qui loci à fordibus vitiatorum, rursus iisdem inquinantur, sive qui post peractam pœnitentiam ad pristina peccata relabuntur, & est idem planè cum illo, *Sus lota ad volutabrum cœni*. Sumptum à ceremoniis legalibus. Nam qui mortuum contigerat, tantisper pro impuro habebatur dum se aquâ abluisset. Qui si iterum contigisset cadaver, novâ lotionem opus erat: prior nil ei proderat. Eccles. 34. 30. *Qui tacto cadavere lavatur, & rursus illud tangit, quid profecit lotionem suam?* Similiter homo qui propter peccata sua jejunit, deinde rursus eadem commissum ir, ejus preces quis exaudiet? aut quid is se affigendo proficit?

LXXVII.

*Ubi non est sepes, diripitur possessio.*

Ὁὶ οὐκ ἔστι φραγμὸς, διαρπαγήσει αἰ κτήμα, *Ubi non est sepes, diripitur possessio*. Conveniet uti ubi quis cælebs, nec uxorem habens, rei suæ jacturam facit, aut damnatum paritur in fortunis: nam uxor quasi sepes est rei familiaris, Eccles. 36. 27. *Ubi non est sepes, diripitur possessio*; & *ubi non est uxor, ibi homo gemit vagabundus*.

## LXXVIII.

*Ab impuro quid purgetur?*

<sup>Ἀπὸ ἀναδ' ἀγ' ἢ καὶ ἀπὸ δ' ἢ σ' εἰαι;</sup> *Ab immundo quid mundetur?* A malo nihil potest boni esse, ut nec ab impuro aliquid puri. Mutuò sumptum è Legis ritu, quo is qui tacto cadavere pollutus erat, omnia suo contractu polluebat. Non ab simile est illud, *Ab improbis manat improbitas*: h. e. improba & scelerata facta. Refertur vel ad rem, vel ad personas. Ad rem, ut si dicas, Neque ab immundo munditia, nec à falso veritas proficiscitur. Sic usus est Siracides Eccles. 34. 4. ubi agit de vanitate somniorum, ac ostendit nihil veri ab illis existere, in-  
*quiens, Ab impuro quid purgetur? & à falso quid veri existat?* Ad personas relatum usurpari poterit, vel de rebus mediis, quo sensu Paulus dixit, Epist. ad Tit. cap. 1. 15. *puris quidem omnia esse pura: sed pollutis & infidelibus nihil purum, ut quorum polluta sit & mens & conscientia*: Vel de rebus non mediis, cujusmodi sunt rectè facta, oblationes, sacrificia eorum quos Deus per fidem nondum purgavit; quorum animus impurus ac vitiorum labe contaminatus, vel quæ sanctissima sunt polluit. Quod manifestissimè declarat Propheta Haggæus 2. 14. qui iussus interrogare Sacerdotes de Lege, eos sic alloquitur, *Ecce sumit quispiam carnem sacram in ala sua vestis, & tangit ea ala panem, ut pulmentum, aut vinum aut oleum, aut ullum cibum, num sanctificatur? Et respondentes Sacerdotes dixerunt, Non: Iterum dixit Haggæus, Quòd si attingat pollutus cadavere omnia ista, num polluentur? Et Sacerdotes respondentes dixerunt, Polluentur. Tum respondens Haggæus, ait, Sic populus iste, & sic gens ista coram me, dicit Dominus, & sic omne opus manuum ipsorum, & quod offerunt illic pollutum est. Huc pertinet quod est Job. 14. 47. *Quis det purum ex polluto? ne unus quidem* Nam ut omnes nascimur impuri ex parentibus impuris; sic omnia opera nostra impura sunt, nisi fuerint per fidem purgata & sanctificata.*

## LXXIX.

*Stultus ad vincula.*

Ubi quis imprudens se perditum ir, aut ad poenam aliquò trahitur. Idem cum illo, *Canis ad vincula*. Prov. 7. 22. in Latina vetere, *Ignorat quòd ad vincula stultus trahatur*. In Ebræo habetur *כל מוסר איש כעם אל* quod sic interpretor; *Sicut stultus ad castigationem compedis: sed de hoc aliàs.*

## LXXX.

*Corvus sagittâ percussus.*

<sup>Ἐλαφὸς ἰοξέυματι πεπληγὸς εἰς τὸ ἦπαρ,</sup> *Corvus jecur habens sagittâ percussus*; de adolescente meretricis

amoribus irretito & capto. Nam *jecur* sedes cupiditatis: & *corvus* inter amatoria, unde *corvus amorum*. Legitur in Græca edit. Prov. 7. 23.

## LXXXI.

*Cervus ad sagittam properat.*

Ex dicto loco sumptum videtur, quod in Polydoro, *Cervus ad sagittam properat*. Quod uti licebit de eo qui properat in suum exitium. Quod genus est, *Avi ad laqueum festinat*.

## LXXXII.

*Plumbo gravius.*

Adagii formam habet quod scripsit Siracides, 22. 17. <sup>Ἐπὲρ μόλυβδον ἢ βαρυνθῆσειαι; ἢ ἢ ἀπὸ ὄνομα ἀπ' ἢ μωρός;</sup> *Quid gravius plumbo? aut quòd illi nomen aliud quàm stultus?* Quo significat stultum hominem in vita ac moribus planè intolerabilem esse: ita est profectò. Homine imperito nihil iniquius, qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat, ac proinde nec ipse alios, nec alii ferre ipsum ullo modo possunt. Observatum est à Simplicio lib. 4. Physicorum, plumbum ferro gravius esse, licet in æquali mole fuerit, & rarius. Poterit aliò transferri, puta ad rem ipsam, cum significabimus aliquid quod admodum grave ac molestum sit, veluti Comicus dixit *plumbeas iras gerit*, pro gravissimas. Cæterùm gravitas in plumbo causa est, ut in aquam conjectum quàm citissimè demergatur. Ideò Moses ut notaret celerem Ægyptiorum submersionem, sumit hinc similitudinem, Exod. 15. 10. sic scribens, *Flante te Spiritu tuo, operuit eos mare, & plumbi ritu in aquas validas demersi sunt*.

## LXXXIII.

*Facilius ferri massam.*

Sub *Feras*. Exstat apud Siracidem, loco & sensu eodem. <sup>Ἄμμον ἢ ἀλαχὴ βῶλον σιδήρε σύγκοπον ἢ πενεγκέν, ἢ ἀνθρωπον ἀσύνηλον,</sup> *Arenam & salem & ferri massam ferre facilius est, quàm hominem imperitum.*

## LXXXIV.

<sup>Ὁ λόριζος ἢ ὁλόριζος.</sup>

Proverbii naturam respicit, quod Prov. 15. non procul à principio capit, *οἱ δὲ ἀσεβεῖς ὁλόριζοι ἐκ γῆς ἀλύνονται*. *Impii verò radicibus* (vel, cum tota radice) *è terra peribunt*: h. e. penitus, & sine ulla spe instaurationis, ut observat Erasmus. Tractatio ab arboribus quæ unà cum radice extrahuntur è terra. Nam tales amplius restaurari nequeunt: præsertim si radix arbor facta fuerit.



JOH. DRUSII  
**PROVERBIORUM**  
 CLASSIS PRIMÆ:  
 LIBER V.

## I.

*Lilium inter spinas.*

ליליון בין החוחים, *Lilium inter spinas*: ubi vir bonus versatur inter sui dissimiles, ut olim Nicodemus inter Phariseos. In Medrah usurpatur, teste Mercero, de Rebecca degente inter parentes & affines suos, qui erant homines nequam & impostores. Idem admonet proverbium esse, aut saltem usurpari proverbialiter, ex Cant. 2. 1. *Quale lilium inter spinas, talis est amica mea inter filias*, (i. puellas.)

## II.

*Misma & Duma & Massa.*

משמע ודומה ומשא, *Et Misma & Duma & Massa*. Nomina sunt filiorum Ismaël, Gen. 25. 13. quorum prius significationem habet *auditis*, alterum *silentii*, tertium *oneris*. Sed Judæi hodie usurpant proverbialiter eo sensu quo Græci ἀνέχεσθαι καὶ ἀπέχεσθαι, i. *Sustine & abstine*, quoties significare volunt multa hominibus audienda, silenda & ferenda esse. Citatur alicubi proverbii nomine à Paulo Fagio, apud quem fides esto. Ego adhuc non memini legere apud aliquem scriptorem Ebræum. Pro דומה, quod codex Hispaniensis scribit cum He in fine, notatur in plerisque exemplaribus reperiri דומא cum Aleph. Observatum insuper est à Massoretis, hunc versum esse unum ex illis quatuor supra decem, qui nec plures nec pauciores habent dictiones quàm tres.

## III.

*Phithom & Raamses.*

Vel, si placet, *Rameses*. Nomina sunt urbium Ægypti, quondam sub Pharaonibus exstructarum. Scribit autem Paulus Fagius referre Judæos, cum hæc urbes exstruerentur, adeò segniter laborasse Israëlitas, ut ea nomina in proverbium apud eos abierint, quo hodie adhuc utuntur, inquit, *de hominibus ignavis, pigre ac segniter laborantibus. Dicunt enim, Es ist Phithom Veramses (Ramses contractio verbi ex Raamses) quo volunt significare talem esse laborem, qualis olim fuerit Judæorum Phithom & Ramses in Ægypto edificantium.* Scribit hoc in Commentariis iis, quos edidit ad Pentateuchum Mosi, unà cum Chaldaicæ Onkeli paraphrasæ inter-pretatione.

## IV.

*Corvus nuncius.*

De eo qui missus non celeriter redit, aut non redit omnino. Proverbium est vulgare, quod sumptum ex historia quæ refertur Genes. 8. 7. *Emisit corvum, qui egressus non revertebatur, donec siccata fuissent aquæ super terram.* Scire autem licet abesse negationem ab Ebræo: sed legitur in Græcis codicibus, tum etiam in plerisque libris edit. Latinæ, nec non apud Josephum Antiq. cap. 5. Proverbii mentio in adagijs Polydori.

## V.

*Qui laborat die sexto comedit postridie.*

Præceptum fuit Israëlitis, Exod. 16: ut singulis diebus tantum colligerent manna, quantum satis esset ad victum unius diei: Sexto autem die colligerent victum bidui: Nam postridie scilicet diem fore quietis, quo exeuntes ad colligendum ne quicquam essent inventuri. Hinc dixerunt Veteres Ebræi, *Qui laborat in vespera Sabbathi, vescetur in Sabbatho*, h. e. qui rectè vivit in hac vita, is fruetur commodis vitæ æternæ: vel qui colligit cibum cœlestem in præsentis seculo, eo quoque vescetur in futuro. Manna, sive panis ille, qui de cœlo descendit, Christi Servatoris nostri vivifica ac salutaris doctrina est: Sabbathum verò futuri seculi quies, & qui eum præcedit dies sextus, tempus est humanæ vitæ: in quo is, qui recipit Christum, vivet in sempiternum; qui non recipit, morietur, & si recipere velit postea, non inveniet, quia juxta proverbium, *Si præterit tempus, præterit oblatio.* Theologi Ebræorum seculum faciunt duplex, עולם הזה, *seculum præsens*, & עולם הבא, *seculum futurum*. Atque hoc quidem appellant עולם הגמול, h. e. *seculum retributionis*, in quo unicuique prout meritis est retribuitur: item שבת, i. *Sabbatum*, quod tunc ab omnibus operibus sit feriandum. Illud verò vocant עולם המעשה, i. *seculum operis*, & ערב השבת, i. *vesperam Sabbathi*, Rabbi Jehuda libri Musar cap. 16. *Ferunt, inquit, Doctores nostri hoc seculum diebus profestis, & quod venturum est, Sabbatho simile esse: unde illud, qui parat diebus profestis, comedit Sabbatho: quod in Gemara tractatu de Idololatria existat his verbis מי שטרה בערב שבת יאכל בשבת אביר, מי שלא טרה בערב שבת לא יאכל בשבת* *Qui laborat pridie Sabbathi, is habebit quo vescatur in Sabbatho: at*

qui non laborat pridie Sabbathi, is non habebit quo vescatur in Sabbatho; In libro τῆς τῶν παλῶν γνομολογίας, qui Ebraicè אבות פרקי, legitur hæc sententia isto modo, מי שמכין בערב שבת יאכל בשבת מי שלא מכין בערב שבת לא יאכל בשבת, *Qui pridie parat comedet Sabbatho: qui pridie non parat non comedet Sabbatho.* Quo in loco Fagius interpres scribit allusum esse ad illud quo Judæi jubentur tantum cibi parare sexto die quantum opus est ad victum septimi diei. Indèque dictum esse diem illum παρασκευῆς, i. preparationem, qui aliàs προσάββατον, i. profabbathum, sive antesabbathum, Marc. 15.

## VI.

*Non internoscit dexteram à sinistra.*

Jon. 4. 11. dicuntur in Urbe Ninive fuisse plusquam centum viginti hominum millia, qui nesciebant quod esset dexteræ lævæque discrimen, vel, ut in Ebræo est ad verbum, אשר לא ידע בין ימינו לשמאלו, i. quorum nemo noverat inter dexteram suam & sinistram suam. Id plerique Interpretes ad ætatem referunt, ac intelligunt de infantibus, quibus ea facultas & vis iudicii nondum contigit ut dextram manu à sinistra rectè internoscant, sed hodie apud Christianos proverbii loco usurpatur de hominibus imperitis, nulliusque rei gnaris. Sic usurpant etiam recutiti, quoties significare volunt aliquem aded rudem esse adeoque inscientem, ut nequeat verum à falso fecernere. Alas car de Semto in libro Hassagoth האיש הלוה אינו מבין בדבריו בין שמאלו לשמאלו *Homo iste in verbis suis non intelligit quid sit discriminis inter dexteram suam & sinistram.* Idem alibi de vulgo rerum imperitissimo, נעלמו מעיני האיש עמי הארץ הסומן האומרים על שמאל שהוא ימין *ista latent homines plebejos, qui cæci sunt, dicentes de dextera quod sinistra sit.* Polydorus Virgilius scribit consimile esse illud Juvenalis,

*Quid enim Venus ebria curat?*

*Inguinis & capitis qua sunt discrimina nescit.*

Sed meo iudicio est aliqua dissimilitudo. Nam Poëtæ versus magis quadrat in hominem inhonestum atque inverecundum, qui pudenda non distinguat à capite, h. e. res turpes ab iis, quæ honestæ sunt.

## VII.

*De Nahaliel Bamoth.*

מנהליאל במורת, *Ex Nahaliel Bamoth:* perinde valet ac si dicas, ex virtute gloria, aut pietas gloriam parit. נחליאל nomen est loci Jud. 21. 10. id. si interpretaris, sonat, possessio Dei. In Bamoth verò est significatio altitudinis. Ergò proverbialiter admonet verum decus parari non ex generis splendore sed ex virtute Legisque meditatione, quæ nobis Dei cognitionem patefacit, ac optimam vitæ rationem præscribit, quàm si infistemus, licet genere obscuri & ignobiles, solidam laudem apud Deum & homines consequemur. Josua filius Levi in Libro Avoth. cap. 6. *Qui se exercet in studio Legis, is inde exrollitur atque honestatur, quemadmodum dicitur, de Matthana Nahaliel, & de Nahaliel Bamoth.*

## VIII.

*Repudiatur parvus, non magnus.*

מסרבין לקטון ואין מסרבין לגדול, *non renuunt magno, scilicet, qua petit, Facile repulsam ferunt homines vulgares: ac magnaribus & iis qui sunt in aliqua dignitate nihil denegatur.* Citat alibi Johannes Isaacus, dicens esse הדיושט, i. vulgare proverbium. Ebræus Salomo existimat natum ex historia, quæ exstat Gen. 19. 2. ubi Angeli hospites Lotho ut ad se divertant petenti, recusant: Abrahamo idem postulanti, quoniam major erat, sine difficultate concedunt, Gen. 18.

## IX.

*Sodomitani mores.*

Proverbii formâ dicitur de profligatissimis. Potest etiam usurpari in molles & effematos, eosque qui a versæ Veneris notâ insignes sunt, quod vitium vulgò Sodomia nomine innouit. Sic mores Massilienses proverbio ab hac mollicie innouere. Judæi dicunt יש לו מדה סדום, i. *habet ingenium Sodomitarum,* de fordido & inhumano, sui que adeo tenaci ut cum possit sine detrimento, nolit tamen aliis commodare. Siquidem perhibent eo ingenio fuisse Sodomitas, ut nemini omninò prodesse voluerint, ne quidem iis quibus sine incommodo suo prodesse poterant. Meminit adagi Paulus Fagius in libro Avoth ad hanc sententiam, ארבע מדות באדם האמר שלי שלך ושלי עמי הארץ: שלי שלי ושלי שלך, או מדה סדום: שלי שלך ושלי שלך חסיד: שלי רשע: שלי שלי ושלי שלי. *ut ipse vertit, Quatuor sunt conditiones, seu proprietates, hominum. Qui dicit quod meum est, tuum est, & quod tuum est, meum est, hic idiota est. Qui verò dicit quod meum est, meum est, & quod tuum est, tuum est, hac est conditio mediocris: & sunt qui dicant hujus conditionis fuisse sodomitas. Qui dicit quod meum est, tuum est, & quod tuum est, tuum sit, hic pius est. Qui verò dicit quod tuum est, meum est, & quod meum est, meum sit, talis impius est.* Igitur qui non dignatur erranti monstrare viam, aut lumen de suo lumine petenti accendere, aut pati ut ex Flumine, quod per Fundum suum labitur, alius aquam hauriat, de eo dici potest quod referat מדה סדום h. e. Conditionem sive mores Sodomitarum.

## X.

*Vade ad Satanam.*

Quæ de satana in Sacris literis referuntur, locum fecere proverbio אל השטן לך *abi ad satanam,* quo utuntur ut dicant, *Abi in malam rem:* sicut dicimus *Abi ad corvos:* estque malè precandi formula, qua eum qui nos offendit ad diabolium relegamus, malorum omnium auctorem & parentem cujus consortio neque miserius quicquam, neque infelicius. Utitur Elias Levita in secunda præfatione sui Thilbi, ubi futorem temere nimis de genuum pictura judicantem sic alloquitur ira tus pictor, *Abi ad satanam, quandoquidem ultra calcei corrigiam non est tibi in hac arte pars aut hæreditas.*

Sententia est gemino adagio exornata: quorum posterius sic potest esse Ebraicè מְשֻׁרָר וְלִמְעֵלָה אִין לוֹ לְרַצֵּן חֶלֶק וְנַחְלָה Latinè ad verb. à corrigia calc ei & ultra, non est Sutori pars aut hereditas: h. est. Ne sut or ultra crepidam.

XI.

*Qui non operatur, non comedit.*

Vel, *Qui non laborat, non manducat*, Hodie proverbii vicem obtinet in homines ignavos, & segne otium conterentes: qui, quoniam operari nolunt, indigni sunt, quibus victus præbeatur. Quod in Græcorum adagiis dicitur, Ἀν μὴ καθάρῃς, ἔ ἀλέσῃς ἔ μὴ φάγῃς, nisi purges & molas, non comedes. Sumptum ex Ep. 2. ad Thes. c. 3. v. 10. ubi Apostol. denunciat, si quis operari nolit, eum ne comedere quidem debere. Græcè ita sonat, εἰς ἡμεῖς ἔ φέλει ἐργάζεσθαι, μὴ δὲ ἐδοῦναι, i. Si quis nolit operari, ne comedat, vel, ne edito. Expressit autem, ut apparet, proverbium suæ gentis, quod exstat in Brelith, sive Genesi magna, sect. 14. his verbis, וְאִין לֹא לְעֵי לֹא לְעֵי לֹא לְעֵי, i. qui non laborat, non edit. Citatur ex Brelith Rabba in Lexico Thalmudico: inde ego prompsi. Non omitendum hic quod de Gymnolophitis Indorum sapientibus memoriæ prodium est. Scribunt eos ab adolescentibus cum ad mensam venirent, solitos exigere rationem negotii, ac è coenaculo exigere, quos per ignaviam nihil egisse comperissent, iis tantummodo ad mensam admissis, quorum industriam & diligentiam comprobassent.

XII.

*Ubi est vox Jacobi, ibi non est manus Esau.*

Ubi est vox Jacobi, ibi non est manus Esau; & contra, ubi non est vox Jacobi, ibi est manus Esau. Vis tyrannica parùm aut nihil potest, si crebræ sint in Ecclesia fidelium preces: eadem plurimum potest, si precandi ritus aut cesset omnino, aut frigidè obeatur. Vox Jacobi preces sunt justorum, & manus Esau iniustorum potentia; quam sæpe, ut minima validissimæque sit, ardens pii hominis precatio labefactat. Id quod de Mose prodicitur Exod. 17. 11. quo manum elevante vincebant Israëlita; remittente Amalechios. In lib. Musar cap. 4. hæc leguntur וְעַבְדֵי יְהוָה כָּל זְמַן שְׁקוּלוֹ שֶׁל יַעֲקֹב בְּבֵית כְּנַסוֹת וּבְבֵית מִדְּרָשׁוֹת אֵין הַיָּדִים יָדֵי עֵשׂוֹ רַל אֵין רְשׁוּת לְהַדְרֵךְ לְיִשְׂרָאֵל וְכֹל זְמַן שֶׁאֵין קוֹלוֹ שֶׁל יַעֲקֹב מְצַפֵּץ בְּבֵית כְּנַסוֹת וּבְבֵית מִדְּרָשׁוֹת: Quæ verba hunc sensum continent, Dicunt doctores nostri pia memoria, omni tempore, quo Jacobi vox est in Synagogis & gymnasiis, non sunt ibi manus Esau, h. e. facultas ad affligendum Israëlitas: sed omni tempore, quo vox Jacobi non sonat in Synagogis & gymnasiis, ibi sunt manus Esau.

XIII.

*Puris omnia pura.*

Πάντα καθαρά τοῖς καθάρσις Omnia pura puris. Quorum est pura & mens & conscientia rebus adiphoris minimè polluantur. Hoc sensu usurpat Apostolus Tit. 1. 15. Lex Moisi ponit discrimen ciborum, ut alii quidem sint puri & liciti, alii verò impuri & illiciti. Sed hoc discrimen sustulit lex Christi, qui omnia sine delectu

piis concessit, ut verè dictum sit 1. Tim. 4. 4. Omnia à Deo creata esse bona, nihilque rejiciendum, si cum gratiarum actione sumatur. Non desunt, qui hanc Paulinam sententiam hodie in Proverbii usum trahant, quoties ostendere volunt nihil à viris bonis proficisci, quod non sit bonum & honestum, juxta versiculum Græcum,

Ἐνώμης γὰρ ἐστὶν ἕργα χρηστὰ γίνεσθαι.

XIV.

*Inquiramus in nos ipsos, priusquam inquiramus in alios.*

Debemus prius nos ipsos corrigere quàm alios corrigamus: nam turpe est in eo ipso deprehendi, in quo alios reprehendimus. Est proprium stultitiæ, inquit Cicero, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. Et alibi, Carere debet omni culpa, qui velit alium reprehendere. Ambrosius pist. 76. Quid tam divinum quàm ista sententia ut peccata puniat, qui exors ipse peccati sui? Quomodo enim feras alieni ultorem, & proprii criminis defensorem? Nonne se magis ipse condemnat, qui in alio damnat, quod ipse committit? De eo exstat sententia Magistrorum hujusmodi נְקַשׁ גֵּרִימִים עַד לֹא נְקַשׁ אֶתְּרַנִּים inquiramus in nos ipsos, antequam inquiramus in alios; quam citat R. David in Comm. Soph. 2. 1. existimans desumptam esse ex verbis Prophetæ וְהִקְשׁוּ וְקַשְׁוּ, quorum prius significat, inquirite in vosmet ipsos; alterum, inquirite in alios. Sumpta metaphora ab iis, qui stipulas in agris colligunt post messorum.

XV.

*Zamriana flagitia committunt, & ut Phinees premium querunt.*

עוֹשִׂים מַעֲשֵׂה זַמְרִי וּמִבְּקָשִׁים שֶׁכָּר כַּפ נָחַס, Faciunt opera Zamri, & quarunt mercedem sicut Phinees. Dicitur in eos, qui cum impiè vivant tamen pii debitam mercedem efflagitant: aut qui pro admisso flagitio non minorem mercedem expectant quàm si honestum aliquod facinus designassent. Natum ex historia, quæ refertur Num. 25, Zamri, qui & Zambri (nunc Zimri Ebraeis) Israëlita fuit natus patre Salu. Is Cozbin filiam Surtis in conspectu totius Israelitici cœtus stupravit. Phinees Eleazaris filius, cum hæc vidisset, correpto jaculo ambos transfodit. Quo facto non cohibita solum est clades Israëlitarum, Deiq; exco descendentia averfa, verùm etiam Phinees, qui utrumque percussit, sui facti præmium consecutus est amplissimum. Proverbium reperitur in eo libro, qui ex Arabico Sermone in Ebræum conversus, Ebraicè Chovoth Levavoth inscribitur: ubi ejus usus est de hominibus vitiosis, qui præmia poscebant tanquam virtutis, ac probitatis, cum vitam ducebant improbam & flagitiosam.

XVI.

*Si præterit tempus, præterit sacrificium.*

Non litat, qui suo tempore non sacrificat: imò sacrificium non est sacrificium, si in eo faciendo tempus à Deo

Deo constitutum negligatur. Hoc Ebraei dicunt, זמן ערב קרבן *præterit tempus, præterit oblatio*. Licet alid transferre, ut si quis dicat, seram esse poenitentiam, aut vitæ emendationem, post mortem. Quia omisso tempore perit, siue irrita est oblatio. Est enim hoc seculum, ut Ebraeorum scribunt Theologi seculum operis: alterum verò, quod futurum est post hanc vitam, seculum mercedis. Idèd qui bonam mercedem velit recipere in seculo futuro, ei bene vivendum esse in seculo præsentis. Nam cum abiit tempus, abiit sacrificium. Ortum videtur à sacrificiis legalibus, quæ certo tempore fiebant, ut V. c. vesperè; unde sacrificium vespertinum. Sic matutinum, quod manè peragebatur.

## XVII.

*Lapides cavat aqua.*

אבנים שחוקו מים, *Lapides cavant, siue comminunt, aqua*. Polydorus & Rolandus inter proverbialia recensent, Græci dicunt, ῥανίς ἐνδελεχῶσα κοιλαίνει πέτραν, *gutta assidua cavat saxum*. Promptus ex Apostolico: alioquin Chæcili Poëtæ versus est,

πέτραν κοιλαίνει ῥανίς ὕδαλ' ἐνδελεχῆι.

Huc refer illud Ovidii,

*Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo.*

Admonet omnia effici diligentiam & assiduitate. Hoc adèd verum, ut quod contra naturam labor effecit sæpe ipsa naturali facultate sit validius. Sic ferrum & æs manuum contrectatione atteruntur. Sic rotas curruum labore magno curvatas nullo possis conatu in pristinam restituere reſtitutionem, ut ait Plutarchus in libello de liberorum educatione. Cæterùm Ebræa sumpta sunt ex Job. 14. 19. ubi aliter atque aliter exponuntur.

## XVIII.

*Vir redit ad id quod amisit.*

איש חוזר אחר אבדתו, *Vir redit ad id quod perdidit*. Dicitur ubi quis alicujus virginis aut mulieris nuptias ambit. In more positum est, atque ita naturam comparatum, ut vir quærat uxorem, non contrà. Quærit enim id quod amisit, h. e. costam in formatione feminæ sibi ademptam. Hujus proverbii meminit Kabhvenaki Prov. 7. 13.

## XIX.

*Secundum viam seminat.*

Παρά τὴν ὁδὸν σπείρειν, *Secus viam serere*. De labore vano ac inutili. Nam semen, quod inter serendum secus viam cadit, vel pedibus hominum conculcatur, vel ab avibus devoratur. Sumptum ex Evangelica parabola, quæ habetur Matth. 13. 4.

## XX.

*In petris seminat.*

*In petrosis seminat, sicut dicimus, in arena seminat: & in saxis seminat*, quod sic reddit Erasmus ex Græco, κατὰ πέτρων σπείρεις. Ejus usus erit, teste Polydoro, cum beneficium conferimus in hominem ingratum. Nam

utrumque æquè perit, & quod ingrato datur, & quod in petrosis feritur. Matth. 13. 20. ἐπὶ τὰ πέτρων σπείρεις, *in petrosa semen excipiens: alium sensum habet*. Vide

## XXI.

*Seminat in terra bona.*

Hoc est, fertili. Explicatur in parabola seminantis Matth. 13. 8. & 23. Apud Virgilium est, *semen in terram bonam cadens*, cum dociles docemus, aut gratos & bonos juvamus, nempe, ut sit contrarium ejus quod præcessit. Græcè ἐπὶ τὴν γῆν καλὴν σπείρεις, *in terram bonam semen excipiens*.

## XXII.

*Alter Nimrod.*

Ut, alter Hercules, de insigni tyranno, & imperii terminos producendi cupido. Dicitur origo ex Historia Genesius, Gen. 10. Vide, *Sicut Nimrod potens veneratione coram Domino*. Glossa Nicolai, *Quando postea videbatur aliquis oppressor hominum, dicebatur, alter Nimrod*.

## XXIII.

*Mephiboseth.*

Proverbialiter usurpatur pro claudo. Nam Mephiboseth claudus erat utroque pede, ut scriptum 2. Sam. 9. 13. In principio Gemaræ (pars est operis Thalmudici) capite chesad maabarim תלמיד כל מפיבשת וקרם מפיבשת כל תלמיד מפיבשת פני רבו בהלכה חכמים. *Vocantur Mephiboseth omnes discipuli sapientum, qui in incessu pudeſcunt præceptores suos*. (Hauti ex Lexico Thalmudico Nathani) הלכה incessus, an aliud quippiam? Nam eodem nomine afficitur tractatus, quem barbari *discursum* dicunt, Gallicè *discours*: & potest sensus esse, *Vocatur Mephiboseth, qui Præceptorem scripto aut oratione pudeſcit*. Expende.

## XXIV.

*Qui non arat, non metet.*

Germanum illi, *Qui non operatur, non edet*. Prov. 20. 4. *Propter hyemem piger non arat, petet in messe, sed nihil erit*. Ebraicè לא יקצר לא יאכל, *Qui non arabit, non metet*. Proverbium admonet comitem pigritiæ paupertatem esse.

## XXV.

*Decimare mentam, & cuminum.*

לעשר כמון ומנטה *Decimare cuminum & mentam*. Genus loquendi proverbiale, quo significatur diligentia in rebus minutis. Nam inter aliarum rerum decimas quas Judæi ex Dei lege sacerdotibus dabant, minimæ erant decimæ olerum. Gerardus Veltuyckus in libello de vanitate Judæorum, quem inscripsit, *Sebile Thobu, i. Itinera deserti* ומנטה לראות נפלאות ביצה, *Num cupit decimare cuminum & mentam, ut videat miranda (portenta) ovi?* Hieronymus

in us oceano, Verè Scribarum & Pharisæorum similes culicem liquantes, & camelum deglutientes, decimamus mentam & anethum, & Dei iudicium prætermittimus. Hoc proverbium prætermittum fuit libro tertio. Nam reperitur Marth. 23. 24. item Luc. 11. 42. Sed tum dubitabam, & adhuc dubito, an ibi proverbium esset, h. e. an usurparetur à Christo proverbialiter. Quod ut non assevero, ita planè negare non ausim.

XXVI.

Rupes arat.

יָרַשׁ בְּסֶלֶץ *Arat in rupibus, sive, rupes arat.* Ex Propheta Amos desumptum jactari poterit in eum, qui aliquid agit sine fructu, & inutiliter, atque aded frustra omninò laborat. Nam rupes propter soli duritiem arari nullo modo possunt. Vicinum est, *seminat in petris*, Nam semen in petras vel saxa coniectum, quia humo destituitur, statim exarescit. Memini suprà. Locus Prophetæ est, *Num in rupibus aut equis curritur, aut bobus aratur.* Amos 6. 12.

XXVII.

Quæ non rapui, reddo.

Hoc aptè usurpabit, qui pœnas dat immeritò, & Iuic non partata facinora, ex Pl. 69. 5. וְשָׂרָה לֹא גִזְלֹתַי אֲנִי אֲשִׁיב. *tunc reddidi, quæ non rapueram.*

XXVIII.

Malus peribit malè.

Latet proverbii figura, ut apparet, in illo Nazianzeni, ἀπολείται κακὸς κακῶς, *Peribit malus malè.* Quod originem habet ex eo quod suprà ex Evangelio adduximus, *Malos malè perdet.* Significat autem improbum nunquam sine pœna abire. Hunc sensum continet, *peccatores insequitur malum.* Utitur Nazianzenus in oratione, *An de Dei natura vel ratiocinandum sit, vel perfecta possit haberi cognitio.*

XXIX.

תְּהוֹם אֵל תְּהוֹם קוֹרָא, *Abyssus ad abyssum clamar.*

Proverbium hoc haustum ex Plat. 41. 8. Usurpatur quoties mala malis succedunt, & calamitas calamitatem sequitur. In hanc sententiam vulgò dici solet, *Mala nunquam sola, sive incomitata, venire.* Aliquantò aliter usurpat Hier. prologo in secundum Commentariorum Zachariæ, nempe pro eo quod est, *obscuritas obscuritatem parit.* Sic enim ibi scribit, *Ab obscuris ad obscuriora transimus, & cum Moysè ingredimur in nubem & caliginem. Abyssus abyssum invocat.* Polydorus addit usurpari etiam posse, ubi aliquis sceleratus, tanquam vitiorum vorago, alterius scelerati auxilium implorat.

XXX.

Lux orta est.

Proverbium Latinum, *Lux affulsit*, est vertere in linguam Ebraicam ex Psal. 112. 4. וְרוֹר כְּחֹשׁ עֹרְרָא *Exorta est in tenebris lux.* Quod Chaldaice efferes כְּחֹשׁ עֹרְרָא & Græcè, ἐξανάτειλεν ἐν σκοτίαι φῶς.

XXXI.

Fordebor.

Esset *fordebor* in versis literis, quomodo sanè scribendum existimo. Usurpant Proverbii loco, sicut dicimus, *in malam crucem*, cum alicui exitium & perniciem imprecantur: estque corruptum ex וּרְדִי בַר, *descendentes in foveam*: quod aliquoties occurrit in Psalmis, Proverbium hoc è fæce vulgi haustum, ut reperi, ita pono.

XXXII.

Mosis tabula.

Gregorius Nazianzenus de Arhanasio, ὅτι πλάκες Μωσέως τὰ ἐκείνη δόγματα, quoniam *Mosis tabula erant ipsius decreta.* Vult dicere, tam augusta & sacrosancta. Adducitur & explicatur in collectaneis Junii. πλάκες μωσαίως, i. מִשְׁחָה, לחות.

XXXIII.

Judeo sculum.

Proverbium est vulgare, quod natum ex historia Servatoris, quem Judas unus è discipulis ipsius osculo prodidit hostibus. Utemur ergò de iis, qui dum amicitiam simulant nobis exitium & malum machinantur.

XXXIV.

Asino gramen & baculus.

Adrianus Junius in adagiorum album recensuit, ex Gregorio Palama Thessalonicensi: Ὀνοῦ χόρσι & ἡ ράβδος, δέλω ἀρσί & καὶ μάστιγες, *Asino fœnum & baculus, servo panis & scutica.* Quod promptum meo iudicio, ex Siracide. Ait enim Siracides, Eccles. 23. 25. *Pabula & baculus & onera asino: cibaria & castigatio & opus servo.* Servo utere, invenies requiem: eidem manus remitte, quare libertatem. Iugum & lorum cervicem subigunt, item malum servum nervus & tormenta. Affinitatem habet cum illo, *Flagellum equo, camus asino.*

XXXV.

Apostolica vita.

Est vita secundum virtutem, & Deo grata: unde, Ἀποστολικὴν διαίτην πολίτειαν, *vitam degis Apostolicam:* ἐπὶ ἐναρέτους καὶ θεαρῆσως βιβήτων, ita explicat Apostolus. Qualis autem fuerit ea vita fusè ostendit per hæc verba, ἐστὶ δὲ αὐτῆ ὀφθαλμῶν ἀκρίθεια, γλώσσης ἐγκράτεια, σώματος διαγωγή, φρόνημα ἰσχυρὸν, ἐννοίας καθαρότης, ὀργῆς ἀφανισμὸς, ἀγλαρόμυθος, προτίθει ἀποσερέμυθος, μὴ δικάζει, μισῶ μύθος, ἀγάπα, βιάζομυθος, ἀνέχεται βλασφημίας μύθος, παρακαλεῖ νεκρῶ θνήσκοντες, ἡ ἀμαρτία σου σαυρῶ θνήσκει τῷ χριστῷ ὅλην τὴν ἀγάπην μελάθεις ἐπὶ τὸν κύριον.

XXXVI.

Literas Uriæ perfert.

*Litera Uriæ*, τὰ τῆ Ὀυριῆς γράμματα, vulgi consuetudine vocantur literæ scriptæ contra eum qui eas defert. Natum ex historia quæ habetur 2. Sam. 11. Effertur & hoc modo. *Urias literas defert.* Sic Græci dicunt

cunt *βεβλεφεροφόντης τει γραμματα* nam subauditur fert. Plautus Bacchid. Scenâ, *Constringe tute, Bellerophonem jam tuus me fecit filius, Egomet tabellas detuli ut vincirer.*

## XXXVII.

*Durum flagellum pædagogus est mentis.*

Ad hanc classẽm pertinet Nazianzeni illud à Junio adductum,

*Σκληρὰ δὲ μάστιξ παιδαγωγεί καρδίας.*

Significat autem cautiore reddi homines rebus duris & adversis. Idem ergò cum illo, *Virga sapientiam impertit.* Ambrosius epist. 70. *Tunc Deo subditi sumus, cum adversis aliquibus urgemur. Secunda res mentem extollunt. Quod cum aliis usu probatum sit, maxime in ea rerum conversione, quæ à rursus ad Ebraos à Palestinis versa vice res mutata, Junius vertit;*

Duro flagello mens docetur rectius:

& Durum flagellum est pædagogus ingeni.

Promptus, ut videretur Nazianzenus ex illo Salomonis, Prov. 29. 25. *πληγαὶ καὶ ἐλεγχοὶ διδάσκει σοφίαν, Plaga & reprehensiones sapientiam conc. iat.*

## XXXVIII.

*Alter Job.*

Patientem in perferendis adversis Jobi nomine definiunt, quo nemo unquam aut inferior, aut in miseris tolerantior: Quocirca & eum, qui in profundum ultimarum miseriarum abjectus est, eodem nomine significamus.

## XXXIX.

*Jobo tolerantior.*

Ex iis quæ modò diximus natum Jobo tolerantior, de homine tolerantissimo: & est hyperbole. Nam Jobo tolerantior nemo unquam fuit, aut erit.

## XL.

*Alter Judas.*

Judæ perfidia effecit ut si quis perfidum proditorem significare velit, eum sub ejus nomine definiat. Propriè tamen Judas vocatur, qui per simulationem amicitia nefariè prodit herum, aut amicum bene de se meritum.

## XLI.

*Salomo.*

Vel, *Salomone sapientior*: de homine sapientissimo. Potest dici Ironice, *hic est noster Salomo*, vel, *alter Salomo*, de eo qui sibi in sapientia nihil non arrogat. Quod genus est, *sapientum octavus*: nec alienum omnino.

*Tertius è Cælo cecidit Cato;*

Nam Catones à sapientia sic dicti.

## XLII.

*Dominus dedit, Dominus abstulit.*

*יהוה נתן יהוה לקח, Jehova dedit, Jehova abstulit.* Hoc dictum Jobi nunc in proverbium abiit, quo consolamur eos, qui ad pauperiem redacti sunt. Affine est,

quod apud Senecam lib. 8. epist. 7. *Fac ergò, mi Lucili, quod tuam aequitatem decet. Desine beneficium natura malè interpretari. Abstulit; sed dedit; Deus enim & dat opes, cuilibet & eisdem, si quando liber, adimit: nec de eo jure queri quisquam potest, cum beneficium sit quòd dederit; non injuria, quòd ademerit.*

## XLIII.

*Lampas sine oleo.*

Quando volumus significare aliquem virtute vacuum esse, dicimus, *Lampas sine oleo*. Id petitum videtur ex parabola fatuarum virginum, quæ sumptis lampadibus, non acceperant oleum secum: ut haberet Matth. 25. 3. Quidam exponunt, *Lampas sine oleo*, de eo qui immisericors sit. Nam *oleum* misericordiam significat.

## XLIV.

*Nemo suis stipendiis militat.*

Quadrat cum illo, *Dignus est operarius mercede sua.* 1. Cor. 9. 7. *τίς ἐργάζεται ἰδίῳ ὀφείλει;* *Quis militat propriis stipendiis? q. d. rari sunt qui sic militant simile, Malierem for tem quis inveniat?* Nam inveniri potest. Sic reperias qui propriis stipendiis militent, sed tales paucissimi sunt. Est ergò dictum. *Nemo militat propriis stipendiis: ut, Nemo Propheta acceptus in patria sua.* Nam communiter hoc tantum verum est, *καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον*, ut loquuntur. Admonet Proverbii Polydorus.

## XLV.

*Qui vineam plantat de fructu ejus edit.*

In Proverbii usum trahi posset ex eodem loco, ὅς Φυτεῖν ἀμπέλωνα, ἐν τῷ καρπῷ αὐτῆ ἔσθιαι, *Qui plantat vineam, de fructu ejus edit*: hoc vult, Quemadmodum agricolæ suis fructibus vivunt, ita par est, ut Pastores & Ministri suis laboribus sustententur. Eodem pertinet, ὅς ποιμαίνει ποιμνὴν, ἐν τῷ γάλακτι τῆς ποιμνῆς ἔσθιαι, *qui pascit gregem, de lacte gregis edit.*

## XLVI.

*Esto reverentia principis tui, ut reverentia Dei.*

Verbum verus, יהו כמורא שבמי, *Sit timor principis tui, ut timor Dei.* Ita revereri debemus Regem, ac ipsum Deum. Originem habere videtur ex illo Salomonis, *Time Dominum, mi fili, & Regem.* רב Princeps, unde geminatis literis רברב, in plur. רברבין *Principes*: frequens apud interpretes Chaldæos. Cæterum hoc sensu laudat autor libri, qui vocatur *masal cadmoni* cap. 5. lib. 1. Legitur & in libro Avoth sub nomine Eleazari Sammuæ filii: sed interpret Paulus Fagius ibi reddit, *sit timor Præceptoris tui, sicut timor Dei.*

*ἴσον Θεῷ σε διδάσκαλος ἱμαῶν θέλε,*

*שמיי ad verbum cæli.* Ebraïsmus qualis in illo, *Peccavi in Cælum*: Nam sensus est, in Deum.

## XLVI.

*Qui multum loquitur, admittit peccatum.*

*מרבח דברים מביא חטא, Qui multiplicat verba, adducit peccatum.* Multiloquio juncta semper vanitas &

& mendacium. Porro autem mendacium omne peccatum est. Nam qui mentitur, peccat. Dictum est Simeonis Gamalielis F. quod hausit ex illo Salomonis, *In multitudine verborum non est peccatum.* Nam eadem utrobique sententia.

XLVIII.

*Per publicam viam ne ambula.*

Exstat apud Erasmum inter symbola Pythagoræ. Ambrosius assumptum censet ex sacris literis. Sic enim scribit, lib. 1. epist. 6. *Pythagorium mandatum in aliquorum scriptis predicari audivimus, quo ille discipulos suos communem atque usitatam populo prohibuerit ingredi viam. Sed hoc unde assumpsit non est incognitum. Nam cum ex populo Judæorum (ut plerique arbitrantur) genus duxerit, ex ejus disciplina derivavit etiam magisteri precepta, meritoque magnus apud Philosophos habitus, æqualem, ut ajunt vix reperit. Legebat itaque in Exodo Moyse divino preceptum esse oraculo, solve calceamentum pedum tuorum. Id etiam preceptum Jesu Nave, videlicet, ut detrita & popularis via deponerent pulverem, qui viam Domini ambulare desiderarent. Vide sequentia.*

XLIX.

*Beatus judex qui fermentat judicium.*

אשרי הדין שמחמץ את דינו, *Beatus judex, qui fermentat judicium.* Sententia Magistrorum, quæ sumpta (videtur certò) ex Jes. 1. 17. אשרו חמוץ, quod exponunt, *Beatum predicate fermentum, aut fermentatum, h. e. judicem qui non judicat nisi post diligentem inquisitionem.* Vide Davidem Camium in Comment. ad illum locum. Porro fermentum aciditatem habet moderatam, cujus mixtione pani saporis gratiam facit, velut idoneo quodam condimento. Par est ratio judicii. Nihil ei majorem gratiam conciliat, quàm clementiæ mixta salutaris atque moderata severitas.

I.

*Homo ad laborem natus.*

Job. 5. 7. אדם לב עמל יולד, *Homo ad laborem nascitur.* Hemistichium proverbiale indicans miseriam vitæ humanæ. לעמל reddi potest, *ad molestiam.* Versus integer exstat in Latina ver. *Homo ad laborem nascitur, & avis ad volatum:* quem ex Ebræo nunc interpretantur, *Homo ad laborem nascitur, & filii prunarum (i. scincillæ) volant in sublime.* Huc facit Menandri illud,

Ἄρ' ἐστὶ συγγενὲς τὴ λυπηρὰ καὶ βίω;  
 Τρυφερῶ βίω σύνεστιν, ἐν δόξῳ βίω  
 πάρεστιν, ἀπόρῳ συγκαταληγῆσθαι βίω.

i. interpretare Stephano,

*Congenitus æne mærorum est mort alibus?*

*Vita ille mollis, vita honorata comes,*

*Vitaq; gaudet inopi consenscere.*

LI.

*Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum.*

ידו בכל ויד כל בו, *Manus ejus in omnes, & manus omnium in eum.* De Ismaële hoc dicitur Gen. 16. 12.

*& ipse erit homo ferus, manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum.* Mens verborum, ipse omnes bello peret, & omnes ipsum: quod ad posteros ipsius extendendum. Hodie proverbii loco utitur. Convenit dici in eum, qui adversus omnes stat, & omnes adversum se habet, h. e. in hominem adversantem aliis omnibus, & cui nemo non adversatur, Refertur à Virgilio, & Rulando.

LII.

*Zizania in tritico.*

Ζιζάνια ἐν τῷ σίτῳ. Quando mali bonis immixti sunt in Ecclesia: nam boni per triticum significantur, ut Matth. 13. 29. συνέλεγον τὰ ζιζάνια ἐκρίθει τὸν σίτον, *Colligens zizania, triticum eradicat, Vult dicere, Cum malis etiam bonos tollit.* Notum est.

LIII.

*Nemo novit quid cras futurum sit.*

In Proverbii usum trahendum, quod legitur Jacobi 4. 14. οὐκ ἐπίστασθε τὸ τῶν αἰνίων, i. *Nescitis quid futurum sit postero die. Salomo extulit, Nescis quid paritura sit dies.* Anacreon,

τὸ δ' αἰνίον τίς οἶδεν;

LIV.

*Filii canes, & canes filii.*

Proverbii similitudinem habet in Comment. Theodoretus ad Psal. 9. *Filii canes, & canes filii, quod idem explicat Psal. 21. his verbis, Post crucem qui olim canes erant, per fidem in filiorum ordinem transiverunt, & qui olim tanquam filii tractabantur, Canum appellationem acceperunt, tanquam canes contra Dominum rabie perciti.* Et manifestius Psalm. 58. *Rerum vicissitudo fuit, & Judæi qui olim filii erant, ob eorum scelera canum ordinem sortiti sunt. Gentes vero, quæ quondam canibus similes erant, filiorum honorem consecuta sunt.* Sumptum ex verbis Christi Matth. 15. 26. *Non est bonum accipere panem filiorum, & projicere catellis.* Quæ verba, meo judicio, accipienda proverbialiter. Erasmus censet Christum ista dixisse ex publico Judæorum affectu, qui se solos Deo charos & sanctos judicabant, cæteros omnes canum habebant loco.

LV.

*Malus inter sylvestres arbores.*

תפוח בעצי היער, *Malus inter arbores sylvæ.* Ubi quis inter sui generis homines excellit. *Malus hoc loco est notissimum pomi genus; non picea arbor, ut quidam volunt.* Adagii origo ex Cant. 2. 3. ubi sic legitur, *Quod malus inter sylvestres arbores, id est dilectus meus inter filios (h. e. adolescentes,)*

LVI.

*Asina Balaamum.*

Sub. admonet. Ubi plebejus homo & idiota faceret admonet officii sui. Sic Polydorus enarrat ex Beda, nisi fallor. Utemur appositè pro Græco proverbio, *Sus Minervam* quando videlicet indoctus doctum docet.

## LVII.

*Aegyptiæ tenebræ.*

חֹשֶׁךְ מִצְרַיִם, *Tenebra Aegypti*, h. e. Aegyptiæ, sicut dicimus, *Commenia tenebræ*, de magnis & crassissimis tenebris, quales in Aegypto erant ætate Moſis. Meminit vir quidam eruditus ad hunc modum ſcribens, *Erat verò quoddam lutum in tota terra aquaque commiſtis; quod circumſtabat moles magna nebuloſi & omniſ luce carentis aëris, denſiſſimis tenebris ſimillimi*. Vide Exod. 10. 22.

## LVIII.

*Cervus ad fontes.*

Ubi quis cum magno deſiderio ad aliquam rem accedit. Cervi enim cum ſitiunt, avidiſſimè petunt fontes & flumina, quo ſitim reſtinguant, eſu ſerpentum interioribus caſeſactis. Sumptum ex illo, *Quemadmodum cervus deſiderat fontes aquarum*.

## LIX.

*Quatriduanus eſt, jam fietet.*

Verba ſunt Marthæ ad Dominum de Lazaro, qui quatriduum ſepultus fuerat, cum ad eum veniret Jeſus. Soler autem vulgus id dictitare in hoſpites nimium moleſtos & impudentes, ut ſignificent eos incipere odioſos fieri, quando in amici hoſpitiū ultra triduum divertuntur. Meminit proverbii Carolus Bovillus.

## LX.

*Aegyptiæ olla.*

Uſus eſt proverbialiter Hieron. epiſt. ad Fabiolam, manſione 13. *Ex quibus omnibus nos omnes docemur, qui ſapientiam dimiſimus ſecularem, & Aegyptias ollas contempſimus, non debere murmurare contra cæleſtem Scripturarum panem, nec hic virulentias Aegyptiorum, quæ ſunt Poëtarum carmina, ſed ſimplicem manna cibum querere*.

## LXI.

*Balaam de Settim in Galgal venit.*

Hujus uſus, ſi quando viderimus conſurgere aliquos adverſum nos, & avidis faucibus noſtrum ſicire ſanguinem, & ex improvifa diſpenſatione Dei pro nobis fieri, qui contra nos venerant. Vide Comment. Hieronymi Mich. 6.

## LXII.

*Puer centum annorum.*

In ſenem delirum, & qui ad puerilem ſtultitiam rediit, deſipitque moribus.

## LXIII.

*Senex duodecim annorum.*

In puerum ſenili prudentiâ præditum. Proverbia ſunt vulgi petita ex ſacris literis. Prius habetur neſcio ubi, [Gen. 11. 10. in Bib. Græcis, Sem erat filius centum annorum, quando genuit Arphaxad.] Alterum

ſumptum ex hiſtoria Jeſu, qui annos duodecim natus docebat in Synagoga cum omnium admiratione. Utrumque memorat Bovillus.

## LXIV.

*Cæco duci inniteris.*

Ortum ex illo, *Cæcus cæcum ducit*. Utitur Tertullianus, De Reſurrectione carnis, cap. 3. Vide quæ ſcripſimus Claſ. I. libr. 3. adag. 12.

## LXV.

*Serpentina aſtutia.*

In Proverbio eſt ſicut dicimus, *Columbina ſimplicitas*. Natum ex hiſtoria ſerpentis ejus, qui Hevam decepit. Auguſtinus de Civit. Dei, lib. 14. cap. 9. *Non eſt ejus generis timor, cujus ille, quo timebat Apoſtolus Paulus, ne Corinthii ſerpentinâ ſeducerentur aſtutiâ: hunc enim timorem habet charitas, imò non habet niſi charitas: & lib. 15. cap. 23. Apoſtatantes à Deo cum Diabolo principe ſuo ceciderunt, qui primum hominem per invidiam ſerpentinâ fraude decepit*.

## LXVI.

*Columbinus.*

Epitheton proverbiale, ſignificans caſtum ac ſimplex, unde *Oculus columbinus*, & *Columbina locutio*. Videtur originem habere ex iis, quæ de columbarum ſimplicitate in ſacris literis referuntur. Sic,

## LXVII.

*Caninus, ovinus, lupinus.*

Ambroſius de dignitate Sacerdotali cap. 3. *Ne locutionem ſimulemus columbinam, & mentem habeamus caninam, ibidem, Ne profeſſionem monſtrems ovinam, & ferocitatem habeamus lupinam. Caninam, h. e. maledicam, niſi fallor*.

## LXVIII.

*Samſone robuſtior.*

שׁוֹמֵן יָדָיו, De eo, qui robore ac firmitate corporis longè cæteris hominibus excellit. Licebit efferre, *Alter Samſon*, ut Græcè, ἄλλος ἔτερος Ἡρακλῆς, iſte eſt alter Hercules. Ad conſimilem modum dices, *alter Abſalom*, de egregio formoſo; *alter Achitophel*, de proditore Conſiliario. Cæterum hiſtoriciæ, unde hæc prompta, notiores ſunt, quàm ut indicari debeant.

## LXIX.

*Ab Herode ad Pilatum.*

Hoc dicimus, quando ire debemus ab uno ad alium, & ſic ludificamur. Refertur à Polydoro.

## LXX.

*Tues Magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?*

Hoc dicimus, ubi quis aliquid ignorat in ea arte quam profitetur. Sed non eſt propoſitum ſcribere hujusmodi adagia. Nam quæ neque in Divinis literis adagia ſunt, neque apud probatum aliquem ſcriptorem inveniuntur, ea malo te ex aliis, quàm ex me cognoſcere. Pœnitet quod tam multa retulerim. Qui avidus eſt talium, adeat Polydorum & Rulandum. Nam Bovillus Gallica tantum recenſuit.

JOH. DRUSII

# PROVERBIORUM

## CLASSIS SECUNDÆ:

LIBER I.

I.

*Ne esto nimium sapiens.*

**I**N omnibus rebus tenenda mediocritas, quæ inter nimium & parum, etiam in studio sapientiæ. Eade re præceptum est, Salomonis Kohel. 7. 17. תתחכם יותר, *Ne sapiens esto nimium.* Non quod in sapientia nimium sit; sed ut nimis justum vocamus superstitiosum, & τὸ πῆλον urgentem; sic nimium sapientem intelligimus eum, qui stultus est, dum nimium sibi sapere videtur. Sapit etiam plus nimio, qui tractat res divinas curiosius, quàm par est, inquirens in ea, quæ sunt supra captum humanum. Item, qui prudentiæ suæ innititur, & qui putat se scire quod nescit: quæ opinio sui multos alioqui bonos adolescentes pessumdedit. *Nimium sapere* paulò aliter accepit Tertullianus in carmine ad Senatorem, cum ita scriberet

Prandia longa nocent, jejunia longa fatigant:  
Sic nimium sapere stultum facit improba secta.

II.

*Improbiorum anni breves.*

Prov. 10. 27. שנות רשעים תקצנה, *Anni improborum decurtantur*, h. e. breves sunt. Significat improbos non esse longævus. Nam vitia dies minuunt, & ante tempus adducunt senectam, adeoque mortem. Quod maximè videre est in iis, qui voluptatibus dediti sunt, qui rarò attingunt metam vitæ humanæ. Cibus enim ac potus, itemque venus, nisi quis rectè utatur, sunt causæ morborum, atque ita mortem accelerant. Huic contrarium in collectaneis Apostolii, κακὸν ἀγὼν & κλάου, *malum vas non frangitur*: cui simile esse dicit, κακὸς ἀνὴρ μακρόβιος, *vir malus etiam longævus est.* Vulgò dicimus in hanc sententiam, *Mala herba difficulter perit.*

III.

*Non respondendum, nisi re auditâ & intellectâ.*

In eum, qui responder priusquam audiverit aut intellexerit quod dictum est, quadrabit illud Sirach. 11. 8. πρὶν ἢ ἀκούσαι μὴ ἀποκρίνη, *priusquam audiveris, ne responde.* Item illud Proverb. 18. 13. משיב דבר בטרם, *Qui respondet, antequam audiverit, id ei est stultitia & dedecori.* Inter notas, quæ sapientem discernunt à stulto, ponunt Ebræi veteres quòd stultus respondeat priusquam audiverit: sapiens vero, de eo quod non audivit, dicit, *Non audivi*; & fateatur quod verum est; item dicunt, *Assuefac te, ut de eo,*

*quod non novisti, semper dicas, Non novi.* Quibus contentanea scribit Plutarchus in Comment. περὶ ἀδολεσχίας, admonens ut qui velit accuratè respondere, mentem loquentis diligenter perdiscat, ne illud fiat quod proverbio dici solet, *Falces postulabam, &c.*

IV.

*Amici plagæ fideles.*

Vel, *Fidelia sunt vulnera diligentis.* Fidelis amicus fidelia vulnera infligit. Quænam sunt illa vulnera? Viri boni aut amanti, aut non adulantur. Quos autem amant, eos cupiunt sui similes, atque adeò quàm optimos esse. Itaque si peccantes viderint, liberè reprehendunt. Sæpe etiam asperius cum iis agunt. Nihil dant auribus, omnia veritati. Hæ plagæ, h. e. objurgationes, licet acerbæ fuerint, tamen fideles sunt & animæ salutares. Contrà,

V.

*Perniciosa sunt oscula inimici.*

Hoc est, blanda obsequia inimici. Nam inimicus est quisquis nobis adulatur: nam tales, qui amicos esse putat, nã ille vehementer errat. Dignus profectò est cujus aures nunquam vera vox intret. Legitur Prov. 27. 6. נאמניו פצעו אוהב ונעתרות נשיקות שונא, *Fidelia vulnera amici, & deprecanda oscula inimici.* Vult dicere, mala sunt oscula inimici. Nam quæ mala sunt ea deprecamur; & contrà. In Græca versione habetur, Ἀξιοπιστότερα ἐστὶ τραύματα φίλων, ἢ ἐκείσια Φιλημάτων ἐχθρῶν. Quæ verba Augustinus sic in Latinum convertit, *Fideliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici.* Idem admonet proverbium esse Ecclesiasticum, cui opponit vulgare illud,

Obsequium amicos,

*Nescio*, inquit, in quadam Epistola ad Hieronymum, *utrum amicitia Christiana putanda, in quibus magis valet vulgare proverbium,*

*Obsequium amicos, veritas odium parit;*  
*quàm Ecclesiasticum, Fideliora sunt vulnera amici,*  
*quàm voluntaria oscula inimici.*

VI.

*Improbitas evertit peccatorem.*

רשעה תכלה השוא, *Improbitas evertit peccatum, i. peccatorem.* Figura loquendi, ut cum scelus pro scelersto usurpatur. Sic Virgilius, *Crimine ab uno disce omnes.* Crimen pro criminoso posuit. Legitur Prov. 13. 6. ac dici convenit, ubi quis nequitiam suam sibi malum aut

M m m 3

exitium

exitium accersit. Affine est quod vulgò dicitur, *Neminem laedi nisi à se ipso*, significantes unumquemque mali sui causam & authorem esse. *Nemo*, inquit Ambrosius, *gravius alieno potest condemnari iudicio quam inspiens suo, qui sibi autor est malorum*. Huc refer ex Prov. 5. 22. *Ipsè suis iniquitatibus capitur improbus, & funibus peccati sui comprehenditur*.

## VII.

*Peccatores insequitur malum.*

Cognatum superiori, תרדף תרדף פושע, *Peccatores insequitur malum*: (i. pœna mali; aut, ultio Divina) quo significabant improbè factum autorem comitari, nec abire sine pœna: quod etiam Horatius declarat illo versu;

*Rarò antecedentem scelestum  
Deseruit pede pœna claudo.*

Et M. Cato, inquit, *Nequiter factum semper durat, & reum comitatur*. Exstat Prov. 13. 21. Hoc sensu laudatur à nonnullis, *Noxa caput sequitur*. Siracides, λέων θήραν ἐνδρῆνεις, ἔτιως ἀμαρτία τοῖς ἐργασμοῦν τοῖς κακίαν; i. *ut leo feris, ita maleficis insidiatur peccatum*. Quæris quomodo insidietur? vide mihi conscientiam sceleratorum; non ullà re magis divexantur; neque scelera, ut aliquando tuta sint, secuta unquam esse possunt. Nam etiam si lateant, nec deprehensa fuerint, tamen manet sollicitudo, quæ ipsos autores mirandum in modum cruciat: testem enim circumferunt scelerum suorum. Unde Ambrosius, *Injustus, inquit, amplius suis punitur opinionibus quam judiciariis severitatibus*. I nunc, & mirare Socratem, cur dixerit, *Improbos semper miseros esse*.

## VIII.

*Bona uxor.*

Si quando aliquis bonam uxorem nactus fuerit, aut cum significabimus bonam uxorem demùm esse favoris Divini, sive Dei benevolentis, [Est & mala uxor à Deo, sed irato, ut dicebat Menander] usarpabimus hunc versum, מיהוה מצא אשה מצא טוב ויפק רצון *Qui invenit uxorem, invenit bonum, & clicuit favorem à Domino*. Exstat Prov. 18. 22. Huc pertinet quod apud Siracidem Eccles. 26. 18. δόσις Κυρίως γυνή σιγνήσῃ καὶ εὐνῆς, *Domini donum est uxor taciturna & benevola* (alii prudens, cordata) & mox, χάρις ἐστὶ χάρις γυνή ἀγαπῆν καὶ πιστή, *Gratia ad Gratiam*, (i. multiplex, aut suprema gratia) *est uxor pudica & fidelis*. Porro membrum illud, *Qui invenit uxorem, invenit bonum*, docet bonum esse uxorem. Quomodo bonum est? Bona quædam simpliciter bona sunt, quædam ἐξ ἀποθέσεως. Bonum simpliciter est favor Divinus, fons & causa omnis boni: bonum ἐξ ἀποθέσεως est uxor. Nam si bona fuerit, hoc posito, bonum est: si mala, malum; & tamen dicit, *Qui invenit uxorem simpliciter, quasi mala, quæ sit, uxor dici non mereatur*.

## IX.

*Timor Domini adjicit dies.*

Prov. 10. 27. יראת יהוה יוסיף ימים, *Reverentia Domini addit dies*. Qui Deum reveretur, virtutem colit. Virtus & vitium contraria sunt. Cum igitur fateamur satis magnam vim esse in vitiis ad minuendam vitam,

fandum est eandem vim in virtute esse ad producendam vitam. Contrariorum enim contraria sunt consequentia. Igitur ut diu vivas, colenda pietas, h. e. vita cum virtute & timore Numinis conjuncta. Nam qui viciose vivunt, ferè immaturi & ante tempus à vita avelluntur. Huic simile in Latinorum adagiis, *Maturè fias senex, si diu velis esse senex*. Uremur appositè cum videbimus senem, qui piè vivendo superavit meram vitæ humanæ, h. e. annum ætatis septuagesimum, aut octogesimum. Seneca epist. 1. lib. 8. *Potestne aliquatenus nostra quoque providentia longiorem propagare huic corpusculo moram? Si voluptates, quibus pars major perit, potuerimus regere ac coercere*. Vide sequentia.

## X.

*Letus animo est convivium jube.*

Licebit ita efferre *Bonus animus est jube symposium*, vide infra. *Convivium jube* proverbiali schemate vocatur continuata & perennis voluptas, quam homo percipiens incredibili jucunditate perfunditur, non aliter quam si lauro opiparòque convivio continenter exciperetur. Ait igitur Prov. 15. 15. *Omnes dies pauperis (aliàs, afflicti: nam id vox Ebræa propriè significat) mali sunt: sed lætus corde est convivium jube aut continuum*, q. d. versatur quasi in continuo convivio. Nam molestias, quas gignit inopia, non minuit solum mitigatque constans animi læticia; verùm etiam discutiè planèque dissipat, ut nihil sit beatius quàm pauper suâ sorte contentus, qui vacuus ab omni curâ, animo fruitur hilari ac quieto. Huc etiam referri debet, qui in Deo conscientiam habet serenam & tranquillam. Scitum illud, *Bonus animus in re mala dimidium est mali: & Nihil est miserius, quàm animus malè sibi conscius*. Id si verum est, sequitur nihil esse felicius animo sibi bene conscio. Quo nescio an sit aliud hoc exulceratissimo & sævissimo persecutionis tempore miseris Christianis ma us aut certius solatium. Nam cum sexcentis quotidie incommodis afficiantur, & pro deterrimis sceleratissimisque hominibus à mundo habeantur, unica illis adest conscientia, quæ culpæ omnis expers, mirâ & inenarrabili voluptate mentem animùmque afficit. Veteres Ebræi multa de futuro post hanc vitam convivio locuti sunt. Id pro fabula ab omnibus propemodum habetur. Mihi verò non simpliciter hoc dixisse videntur. Usi enim similitudine rerum, quæ subjectæ sensibus sunt, res divinas, quæ sub sensum non cadunt, nec à nobis comprehendendi possunt, expresserunt, captivique nostro in eo sese accommodarunt. Itaque *convivium* appellarunt æternam felicitatem, futuramque gloriam, quâ Deus mentiri nescius suos, h. e. pios & fideles omnes, in altera vita beabit. Cœterùm in Ebræo habetur טוב לב משתה תמיד: quod interpretari posses *lætum cor* (vel *bonum cor*, i. animus æquus & contentus sorte suâ) *nuptia continua*. Secundùm hanc interpretationem verba transponenda erunt, ut לב טוב השתה, i. *cor lætum*. Hoc primam. Deinde משתה sunt *nuptia* (ita usus est interpres Syrus Matth. 21. 20. quanquam aliâ formâ) sive *epula illa, que vocatis ad nuptias adornari solent*. Hoc significatu sumitur id nomen Jud. 14. 20. *Hodie nuptiarum dies præter epulum, quod amicis*

Et invitatis exhibetur, etiam cantionibus & musicis instrumentis, item choreis & tripudiis perstrepat. Olim verò apud priscos Ebræos ejus diei lætitiã honesto convivio terminatam fuisse verisimile est: atque hinc nuptias *convivii* nomine significatas, quas recentiores à thoro sive thalamo nuptiali כַּתֵּב, aut בית החפה, vel etiam בית הלול appellârunt.

XI.

*Qui se extollit, deprimetur.*

Ὁς τις ὑψώσει ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται, *Qui quis extollet seipsum, humiliabitur, sive deprimetur.* Proverbia-  
lis sententia à Christo usurpata Matth. 23. 12. & Luc. 14. 11. nisi quòd in Luca πᾶς ὑψῶν ἑαυτὸν, *quicumque se extollit*, perinde est, Convenit dici, ubi quis se nimium effert, & alios præ se omnes contemnit. Cœterum proverbium esse vel ex Solomone patet, qui eandem sententiam aliquoties commemorat, sed aliis verbis, ut Prov. 11. 2. *Ubi adest superbia, adest ignominia:* & 16. 18. *Calamitatem fastus præcedit.* Legitur & Luc. 14. 11. *Omnis qui se extollit, deprimetur.*

XII.

*Qui se demiserit, extolletur.*

Superiori adversum, ὁ ταπεινὸν ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται, *Qui se deprimat, extolletur.* Quod alibi effertur, ὁ τις ταπεινώσει ἑαυτὸν, *qui se deprimet.* Cognatum ei quod apud Salomonem, Prov. 18. 12. *gloriam anteit humilitas.* Huc etiam pertinet quod Luc. 1. 52. in Cantico Mariæ, *destraxit potentes de solis, & extulit humiles.* Nec omittendum quod de Æsopo literis proditum, qui sci-  
ficanti quidnam Deus ageret, respondisse fertur, τὰ ὑψηλὰ ταπεινοῖ, καὶ τὰ ταπεινὰ ὑψηλοῖ, *depressa extollit & excelsa deprimat.*

XIII.

*Qui colit humum suum, saturabitur pane.*

Proverb. 12. 11. עוֹבֵר אֶדְמוֹתוֹ יִשְׁבַּע לֶחֶם *Qui colit tellurem suam, satiabitur pane:* h. e. rebus necessariis ad vitum. Hoc vult, Qui agrum suum diligenter colit, ei abundè suppetet quicquid necessarium ad vitam sustentandam. Rursus qui se gnaviter exercet in ea arte quam didicit, ei nihil deerit earum rerum, sine quibus ægrè vivitur: attem enim quævis terra alit.

XIV.

*Ex quolibet labore residuum.*

בְּכָל עֲצָב יִהְיֶה מוֹתָר *In omni labore est residuum.* Prov. 14. 23. Nullus labor est, si modò honestus fuerit, quin fructum & emolumentum adferat. Labore, h. e. opere laborioso, qualis est agricultura: item studium literarum. Nam licet otii vocabulo afficiatur, tamen non paratur nisi summo labore: unde est, *Radix literarum amara, fructus dulces.*

XV.

*Sermo laborum duntaxat ad egestatem.*

Labore non verbis parantur opes. Non satis est dicere, *Negotiorum, colam agrum, studebo, redibo in viam.* Faciendum est. Procacitas linguæ vitæ sordes non e-  
luit. Sapientia in actione consistit. Ager in opere colitur. In negotiis gerendis res non verba profunt. Miser

est qui se oratione tantum sustentat. Si ergò ditescere cupis, si paupertatem effugere, esto sedulus re, non verbis. Si sapientiæ studiosus es, eris, si non oratione tantum, sed factò id declares. Sunt quidem facta verbis difficiliora, sed & utiliora. Multos ad paupertatem redegit, quòd linguâ duntaxat industrii essent, nec eorum facta verbis consonarent. Hoc significat sapiens noster ibid. cum ait למְחַסְרֵי אֵךְ לְמַחְסֹרֵיךְ *Verbum laborum tantummodo ad egestatem.* Jam verò, votis nihil proficitur apud Deum. Qui à Nemine aliquid imperare volunt, laborare debent. Vigilando, agendò, bene consulendo prosperè omnia cedunt. Nemo unquam ignavià felix factus est. Eruditus sermo non ostendit verum animi robur. Est enim oratio etiam timidissimi audax.

XVI.

*Amicus semper amat.*

Prov. 17. 27. כָּל-עַת אֹהֶבְהָרַע *Omni tempore amat amicus.* Qui verè est amicus, semper amat. Vulgares amici fortunam sequuntur: h. e. rebus secundis amant, adversis deserunt amicum.

XVII.

*Frater in adversis nascitur.*

אֵךְ לְצָרָה יוֹלֵד *Frater in adversis nascitur,* ibid. Est fratris, fratrem in calamitate non destituere. Qui secus facit, frater verè non est. Ut ergò amicus, sic etiam frater rebus adversis probatur. aliter, *Frater,* h. e. fidus amicus, tanquam frater. *Amicus certus in re incerta cernitur.* Ut aurum igne, sic amicitia fidelis in periculo aliquo perspici solet.

XVIII.

*Simplex credit omni sermone.*

פְּתִי יֵאֱמָר לְכָל דְּבָר *Simplex credit omni verbo,* Prov. 14. 15. Græcè est ἀνακρίσει παντὶ λόγῳ πιστεύει. *Vir minime malus omni sermone credit:* ex se enim alios æstimat. Citatur alibi proverbii nomine à Basilio. Admonet viros bonos ac simplices etiam credulos esse, ac proinde facile decipi. Cicero, *credulitas error est magis, quam culpa, & quidem in optimi cuiusque mentem facillimè irrepit:* alia interpretatio. *Fatuus credit omni verbo.* Nam temerè quidvis credere signum est imprudentiæ & levitatis. Sirach. 19. 4. ὁ ταχὺ ἐμπιστεύων, καὶ φὸς καρδίᾳ, *qui citò credit, levis animi est.* Notum ἐπιχάρμειον illud, *nervos atque artus esse sapientiæ non temerè credere.* Quod Græcè sic effertur, Νῆφε καὶ μύμνασο ἀπισεῖν ἀρδρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

XIX.

*Qui virgæ parcit, filium odit.*

הוֹשֵׁךְ שִׁבְשׁוּ שׁוֹנֵא בְנוֹ *Qui parcit virgæ suæ, odit filium suum.* Prov. 13. 24. Alibi legitur. *Stultitia alligata est animo pueri: eam virgæ castigatrix ab eo dispellet.* Qui ergò virgæ parcit, videtur delectari stultitiã & perulantiam filii sui, quod est signum odii. Nam qui amat, cupit eum quàm sapientissimum evadere. Huc accommoda quæ habentur Prov. 33. 13. *Ne subtrahes à puero castigationem: quòd si cades eum virgæ, non morietur. Tu virgæ cades eum, & animam ejus ab inferis liberabis.*

XX.

## XX.

*Qui amat filium, maturè adhibet castigationem.*

אוהב בנו שחרו מוכר, *Qui amat filium suum, maturat castigationem*, Ibid. Planum est. Ex hoc loco sumptum est quod in ore vulgi, *Qui amat filium non parcat virga*. שחרו מוכר ad verb. manè adhibet castigationem. Vult dicere, maturè aut diligenter eum castigat. *Maturè*, h. e. dum spes est. Sic ait

## XXI.

*Castiga filium tuum dum spes est.*

Castiga filium tuum dum spes est. Prov. 19. 18. Spes est dum animus flecti potest, ut in pueritia: Nam tenera facillimè finguntur: unde Plato adolescentes *νεγίως* appellat, vocabulo à cera formato; quod ut cera in eam partem quâ ducis facillè sequantur. Rursus spes est in ipsius mali principio, priusquam robor acceperit. Nam, ut ait Seneca, *facilius est excludere perniciofa quàm regere; & non admittere quàm admissa moderari. Nam cum se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt, nec recidi se minuire patiuntur.*

## XXII.

*Copia cibi novalis pauperum.*

רב אכל ניר ראשיים, *Copia cibi novalis pauperum*, Prov. 13. 23. In novali pauperum est copia rerum ad victum pertinentium. Natura modico contenta præter panem & aquam nihil desiderat. Ex his aquam ipsa suppeditat: panem agricultura subministrat. Qui hæc duo habet, secundùm sapientes dives, atque aded beatus esse potest.

## XXIII.

*Sperat in morte sua justus.*

חסה כמותו צדיק, *Sperat in morte sua justus*, Prov. 14. 32. Vir bonus, quia sibi conscius, sperat etiam cum animam agit. Rursus vir bonus, cum res adversæ sunt maximè, tum maximè spem & fiduciam in Deo habet.

## Admonitio.

*Mortem* appellant Ebræi non modò quæ vitæ opponitur, sed etiam insignes calamitates & graviora pericula.

## XXIV.

*In semita justitiæ vita.*

בארה צדקה חיים, *In semita justitiæ vita*. Prov. 12. 28. Qui secundùm virtutem vivit, jucundè vivit; etiam diu, sicut ait, *Cor ona decora senectus, in via virtutis invenietur*. Aut *vita*, h. e. vita æterna.

## XXV.

*Ne esto sapiens in oculis tuis.*

אל תהי חכם בעיניך, *Ne esto sapiens in oculis tuis*, Prov. 3. 7. h. e. iudicio tuo, vel apud te ipsum. Proprium stultitiæ, putare se sapientem esse, aut doctum, aut virum probum. Ita dico, extendi debet hoc præceptum, *Ne tibi videaris aliquid scire, etiamsi multum scias.*

Tunc est spes aliqua profectus cum adolescens incipit intelligere imperitiam suam. Qui se omnia scire putant, nullam magistri operam admittunt, quo nihil pestilentius: & ferè fit, ut quod quisque indoctor, eò plus sibi arroget. Nam inscitia habet comitem, ut plurimum, *αὐθάδεια*, & existimationem sui: quæ una pestis multos alioqui egregios adolescentes pessunderit. Huc refer ex Prov. 26. 12. *Vidisti virum sapientem in oculis tuis; spes est de stulto major quam de illo.*

## XXVI.

*Timor Domini principium scientiæ.*

יראת יהוה ראשית דעת, *Timor Domini principium scientiæ*. Proverb. 1. 7. Duobus modis exponi potest. Uno modo sic, *Qui Deum timet, incipit eum nôsse*. Est autem Dei notitia fons & radix omnis Virtutis. Sap. 15. *Novisse te, ô Deus, absoluta justitia est: & tuam scire potestatem, radix immortalitatis*. Hic scientiam accipio ut in illo, *Excisus est populus meus absque scientia*, i. notitia Dei. Alio modo expones, si scientiam sumes pro sapientia. Tum enim idem erit cum eo quod sequitur.

## XXVII.

*Initium sapientiæ timor Dei.*

תחלת חכמה יראת יהוה, *Initium sapientiæ timor Domini*, Prov. 9. 10. E Scrinio Davidis sumptum. David autem ex illo Jobi sumperat, Jobi 28. 28. *Ecce Domini reverentia, ipsa est sapientia*. Egregiè verò hoc mihi dixisse videtur David. Nam qui Deum non reveretur, nec peccare verebitur. Tolle metum numinis, quis in tenebris, & ubi latere se posse sperat, à flagitiis abstinere? Quis ea crimina quæ legibus non puniuntur, vitabit? Ubi conjugii fœdus sanctum erit? ubi totus immaculatus? Tu existimas eum perjurii pœnam metuere, qui Deum non meruit?

## XXVIII.

*In timore Domini est recedere à malo.*

ביראת יהוה סור מרע, *In timore Domini est recedere à malo*, Prov. 16. 6. Domini timor, vel, si mavis, reverentia aliud nihil est, quàm religio & pietas erga Deum. Quod ergò ille de Virtute dixit, *Virtus est vitium fugere*, justius tu dixeris de Religione, *Religio est vitium fugere*, & sapientia prima stultitiæ caruisse.

## XIX.

*Dei metuens rectè vivit.*

הולך בישרו ירא יהוה, *Ambulat rectè* (ad verb. in rectitudine sua,) *timens Domini*, Prov. 14. 2. Qui religiosus est & Dei metuens, etiam rectè vivit. Hæc pariter incedunt. Ut una catena & custodiam & militem vincit, ita simul sunt virtus & Dei timor, probitas & religio. Ita dico, *Religio vita est, non oratio: res, non verba*. Quid tu mihi religionem jactas, qui vitam vivis turpem & flagiciosam? qui animum à vitiis nunquam abducis?

## XXX.

XXX.

*Extremum voluptatis mæror.*

אחריתה שמחה תוגר, *Extremum voluptatis mæror.* Qui voluptatibus dediti sunt, nisi emergant citò & se ad frugem bonam, ut dicitur, recipiant, incurrunt tum in graves morbos, tum in damna, tum in dedecora, sæpe etiam legum judiciorumque pœnis obligantur. Seneca, *Ipsa voluptates in tormenta vertuntur. Epula crudelitatem adferunt; ebrietates nervorum torporem tremorémque; libidines, pedum, manuum, articulorum omnium depravationes.* Sed vetus ed. nec malè, *Extremum gaudii luctus occupat: Nimirum ita naturâ est comparatum, ita Deo placitum ut lætis tristitia succedant, & voluptati ut mæror comes consequatur.* Quin incommodi plus malique illicò ossit, boni si quid obtigit. Reperies Prov. 14. 13.

XXXI.

*Etiâ in risu dolet cor.*

Ibidem est, לב כשחוק יכאב, *Etiâ in risu dolet cor.* Sæpe gaudent vultu qui animo mœrent. Mihi crede, non est hoc verum gaudium. Quare inquis? quia non ex animo proficiscitur, quia semper luctuoso exitu terminatur, quia ex mala conscientia nascitur. An tu existimas illum gaudere qui ridet? animus debet hilaris ac fidens, nec ullius mali conscius esse.

XXXII.

*Qui gaudet calamitate, non feret impunè.*

שמח לאיד לא ינקר, *Gaudens calamitate, non evadet impunè.* Prov. 17. 5. Gaudent magni Viti aliquando rebus adversis, non aliter quàm fortes milites bello. Sed hoccine damnat sapiens? nihil minùs. Sed calamitatem hic posuit pro calamitate alterius. Qui ergò gaudet alterius exitio non evadet sine pœna: nam ipse in similem calamitatem, aut fortasse majorem incidet, alio evadente. Sic ait, 24. 17. *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne lateris, & cùm impegerit ne exsultet cor tuum. Ne videat Dominus & displiceat in oculis ipsius, & avertat ab eo iram suam.*

XXXIII.

*Vita corporis cor sanum.*

חיי בשרים לב מרפא, *Vita carniùm, cor sanum.* Prov. 14. 30. Videtur hoc mihi dicere, si mens sana fuerit, etiam corpus sanum erit. Nam in malis bonus animus dimidium est mali, juxta illud, Prov. 18. 14. *Animus hominis perfert morbum ejus. Vita carniùm sive corporis est bona valetudo, sanitas. Nam vivere valere significat, ut, vivat Rex. Cor sanum, animus æquus & perturbationum vacuus.*

XXXIV.

*Teredo ossium invidia.*

Ibid. קרב עצמות קנאה, *Putredo ossium invidia.* Ita vulgatæ editiones: sed erant scio qui magis probabunt, *teredo ossium.* Nam קרב *teredo*, sive *coffus*, aut *tarmes*, h. e. vermis ossa corrodens. Sic Bernardus, *Invidia, inquit, est animi tinea, sensus comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quasi quadam pestis depascit, & cuncta bona ardore pestifero devorat.*

XXXV.

*Spiritus fractus exsiccat ossa.*

רוח נכאה תיבש גרם, *Spiritus fractus exsiccat ossa,* Prov. 17. 22. Animus fractus mœrore paulatim vitalem calorem absumit, & nutritionem partium minuit, atque ita exsiccat ossa, & ad tabem deducit. Ei remedio sunt primùm Oratio, 12. 25. deinde Musica 25. 20. postremò Vinum; unde est 31. 6. *Date siceram peregrinti, & vinum amarum animo.*

XXXVI.

*Spiritus fractum quis ferat?*

רוח נכאה מי ישאנה, *Spiritus fractum quis ferat?* Pauci admodum ferre possunt animi tristitiam, præsertim si vehemens fuerit & diuturna. Sed ita natura homini amica fuit ut dolorem aut tolerabilem aut brevem fecerit: rarò qui vehemens est, diuturnus est.

XXXVII.

*Qui integrè ambulat, securè ambulat.*

הלך בתום ילך בטח, *Qui ambulat integrè, ambulat securè.* Prov. 10. 9. vitam securam præstat integritas, nedum tutam. Proinde peccant, qui hic reponunt *tutò*, pro *securè*: nam tuta esse possunt etiam scelera. Securi sunt tantùm illi, qui sincerè & integrè, atque adedò secundùm virtutem vivunt. Hanc securitatem illis conciliat conscientia rectè factorum, cùm animus sibi conscius malè nullo unquam tempore metu vacet. Prov. 28. 1. *Fugiunt nemine persequente improbi: justus verò ut leuculus confidit.*

XXXVIII.

*Servus non emendatur Verbis.*

בדברים לא יוסר עבד כי יבין ואין מענה, *Verbis non erudietur servus: cùm intelligit, non respondet,* Prov. 29. 19. Docet servitia non emendari verbis, ideoque necessariò adhibenda esse verbera. Nam tamen percipiant docentem, tamen non respondent votis & expectationi ipsius: sed contemnunt sæpe eum, omnemque institutionem vili pendunt. Respondere in sacris est præstare quod alter à te expectat. Sic Deus respondere dicitur iis, quos exaudit, ac voti compotes reddit. Porro *servi* nomine intelligi debet etiam improbus, nempe qui suis servit cupiditatibus. Sic omnis improbus est stultus, idemque servus. Non enim, ut ait M. Tullius, ita dicimus eos esse servos, ut *mancipia*, quæ sunt domitorum facta nexu, aut aliquo jure civili: sed si servitus sit, sicut est, obedientia fracti animi & abjecti, & arbitrio carentis suo, quis neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos? Abenezra ad h. l. *Servus nequaquam emendabitur solis verbis: sed virga & castigationes conveniunt ad emendandum eum. Nam quamvis percipiat institutionem, tamen nunquam respondebit instituenti, dicendo, sic faciam.*

XXXIX.

*Qui intelligit, absque responso, (i. verbo.)*

Simile, *Responsum molle frangit iram.* Enim verò præterire nequeo q. R. Levi Gerlonis F. in Comment. suis scripta reliquit, dum explicat locum à nobis modò citatum. Siquidem verba illa אין מענה ואין יבין כי longè

aliter exponit atque cœteri Interpretes. Quippe יבין refert ad virum intelligentem, & כענה responsum, sive responsionem accipit in significatione sermonis, seu verbi (quemadmodum ענה hujus thema non semel in Daniele, & in aliis Scripturæ locis ponitur pro dicere, loqui, continuare sermonem, species scilicet pro genere per Synecdochem. Sic in N. T. ἀποκρίνεσθαι aliquando denotat λέγειν nullâ factâ interrogatione, ut Matth. 11. 25. & alibi) hoc modo, *Qui intelligit, etiam absque verbo, scilicet emendatur: vel ita, Qui intelligens est, ne verbo quidem opus habet.* Sensus est, Vir prudens atque intelligens, sive sit servus, sive liber, sponte facit officium suum: neque opus est virgis, quibus emenderetur, imò ne verbis quidem. Sufficit namque vocula una, vel nuntus aliquis, qui eum sui muneris admonet. Hanc sententiam confirmat dictum vulgare, *Qui bene intelligit non opus habet nisi verbo dimidiato: aut, sapiens intelligit ex dimidiato vocabulo.* Huc etiam facit Græcorum adagium, quod est apud Demetrium Phalereum, πᾶς δεσπότης δὲ λῶ μονοσύλλαβον, *omnis herus servo monosyllabum.* Quo innuitur, hero apud servum intelligentem unicâ duntaxat opus esse syllabâ. Sed nihil propius accedit ad hanc explicationem quàm dictum illud Ben-Syræ, *sapiens nuntius stultus fuste; quod enarramus in class. 3. l. 2.*

## XL.

*In multiloquio non abest peccatum.*

ברב דברים לא יחדל פשע *In multitudine verborum non deerit peccatum.* Prov. 10. 19. Multiloquio comes juncta semper vanitas. Rarò à loquacitate mendacium abest. Simillimum huic Gamalielis F. dictum exstat in sententiis veterum sapientum, *Qui multum loquitur admittit peccatum.*

## XLI.

*Qui custodit os suum, servat animam suam.*

נצר פיו שומר נפשו *Qui custodit os suum, servat animam suam.* Prov. 13. 3. Qui non loquitur nisi cum loquendum est, silendo vitat multa incommoda, quæ linguæ incontinentiâ hominibus importat. Rursus caver mendacium, quod occidit animam. Huc refer ex 21. 23. *Qui custodit os suum & linguam suam, custodit ab adversis animam suam.*

## XLII.

*Semper avarus avet.*

בכל יום התאוה תאוה *Toto die avet aviditas, h. e. avarus* Prov. 21. 26. Genus loquendi, ut *dolus* pro *doloso*, *scelus* pro *scelesto*. Avarus semper avet, nullâ copiâ satiari potest: idè fit quia divitias ut finem appetit. Est enim, ut ait Aristoteles, *finis ipsius appetitio infinita.*

## XLIII.

*Justitia liberat à morte.*

צדקה תציל ממורת *Justitia liberat à morte,* Prov. 10. 2. Quanti est facienda Justitia, quæ liberat à morte & vitam conciliat, quâ præditi qui sunt immunes sunt ab iis malis, in quæ cœteri incurrunt, maximè ii, qui per fas ac nefas opes accumulunt? Aliter, *Justitia*, h. e. *eleemosyna, liberat à morte*, i. à variis calamitatibus.

## XLIV.

*Qui cum sapientibus ambulat, sapiens fiet.*

הולך את חכמים יחכם *Qui ambulat cum sapientibus, fiet sapiens.* Ut sapiens evadas conversandum cum sapientibus. Bonorum societas te meliorem efficiet. Doctus evades, si in doctorum familiaritatem te te dederis. Ad probitatem plus valet convictus sapientum quàm doctrina. Primum, quia firmitus hærent visa, quàm audita: deinde, quia, ut ait Seneca, *longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla.* Reperitur Prov. 13. 20.

## XLV.

*Socius stultorum malus fiet.*

רעה כסילים ירוע *Qui se sociat stultis, malus fiet.* Qui se socium præbet stultis, h. e. qui cum malis conversatur, fiet eorum similis. Quemadmodum enim vel firmissimam valetudinem lædit aer gravis ac pestilens, sic menti etiam optimæ nocet conversatio cum malis. His consonat verliculus Græcus,

Κακοῖς ὁμιλῶν καὶ ἄλλος ἐμβήσῃ κακός

& Seneca Philosophus Epist. 7. scribens in hanc sententiam, *Inimica est bonis moribus malorum conversatio. Nemo non aliquid nobis vitium vel nescientibus allinit. Convictor delicatus paulatim enervat & emolliat: vicinus dives cupiditatem irritat. Malignus comes, quamvis candido ac simplici, rubiginem suam affricuit.* Huc referri poterit fabella Ætopica de Carbonario & Fullone, monens videlicet ut cum probis ambulemus, & perditorum hominum consortia, ceu pestem quandam, devitemus.

*Admonitio.*

ירוע potest exponi, *malo afficietur, ut hoc dicat, incider in graves calamitates, qui se ad improborum societatem adjunxerit.* Pulcrè Ben-Sira, *Ve malo, & ve iis, qui ei adherent.*

## XLVI.

*Qui se meretricibus sociat, opes perdet.*

רעה זונות יאבד הון *Socians se meretricibus, disperdet opes.* Prov. 29. 3. Nam meretrices mirâ dexteritate crumenas exhauriunt: ex quo illud Comici, *intimum esse mulieribus*

*Amantis multò pessimum est pecunia.*

Hinc etiam vulgare proverbium apud Belgas, *Gheluck van Trouwen is ramp in de Wofse.* Sirach 9. 6. *Scortis ne te addicito, ne perdas & te & hereditatem tuam.* Vetus edit. legit, *Qui nutrit scorta: & LXX. ὅς ποιμαίνει, & recentior ætas, Qui alit meretrices: Non displicet*

## XLVII.

*Septies cadit justus, & surgit.*

שבע יפול צדיק וקם *Septies cadit justus, & surgit.* Prov. 24. 16. Hoc alius aliter accepit: dicunt enim, *cadere pro peccare, quod verissimum est.* Nam quotidie peccant Viri boni. Sunt enim innata homini vitia, quæ si corrigi sapientiâ possunt, expelli tamen penitus non possunt. Alioqui sapientiâ sub imperio haberet naturam, quod non est ita: & frustra recitaretur in oratione legitima, *Condone nobis debita nostra.* Alius ait sapius

sapientius in calamitates incidere iustum, & emergere ex iis: quod etiam verissimum est: idque Salomo idem alibi confirmat, ita scribens, *Multa calamitates iusto: sed liberat eum ex omnibus Dominus.*

XLVIII.

*Stultus, dum silet, sapiens habetur.*

אויל מוהריש חכם יחשב, *Stultus silens sapiens reputatur*, Prov. 17. 28. Quod Græcè dicas, *μωρός σιωπῶν σοφός λογίζεσθαι*. Stultus, si loquitur, indicat qualis sit: Pars aliqua prudentiæ silentio regere stultitiam suam. *Μωρός γὰρ ὁ μωρός λαλεῖ*. Cum silet, ægrè à sapiente discernitur, quod sapientiæ sit posse tacere, nihilque temerè eloqui. Huc respexit R. Jehuda in libro Musar, cum ait שפאש הונא מפילו חכם אדם יראה בשתוקה יראה חכם, *in silentio videtur homo esse sapiens, tamen si insipiens & stultus*. Citatur quoque versus Græcus ex lib. 1. Epigram. qui eandem sententiam continet,

Πῶς τις ἀπαίδευτ' & φρονιμῶν ἀλὸς ἐστὶ σιωπῶν.

Hujus loci est illud Jobi ad socios, Job. 13. 5. *Utinam tacendo taceretis; id vobis sapientiæ esset*. Nec alienum à proposito quod Theophrastum dixisse perhibent ei, qui in convivio tacitus sedebat, *siquidem imperitus es, prudenter facis, sin verò peritus, imprudenter*. Quamvis Solon sciscitanti Perandro, utrum propter stultitiam taceret, an propter infantiam, negaverit stultum inter pocula posse silentium præstare. Finiam in Siracide: Eccles. 20. 5. *ἐστὶ σιωπῶν ἐν εὐρισκόμῳ & σοφός*. Latine, *Est qui tacendo sapiens declaratur*.

XLIX.

*Qui sponsores odit, securus est.*

שנא תוקעים בנשה, *Qui Sponsors odit, securus est*. Securè vivit, qui omninò à spondendo abstinet; è contrà multis malis multisque molestiis seipsum involvit qui temerè pro altero fide juber, præsertim si fuerit ignotus, nec ejus fidem perspectam habeat. Hoc significat cum ait, רע ירוע כי ערב זר, *Gravi malo afficietur, qui spondet pro extraneo*. Nam pro quo quis spondet, dependendum est, si videlicet foro cedat, nec sit solvendo. Quamobrem Græco Proverbio dicitur, *ἐγγύα, παρὰ τὸ ἀτν. Sponde noxa præstò est*. Quam sententiam Plinius refert Delphis olim consecratam fuisse aureis literis, quò mortales à temeraria sponcione deterreret. Ad hunc locum pertinent, quæ habentur Prov. 17. 18. *Homo carens corde manum præbet, spondens sponcionem pro extraneo*: & quæ leguntur Prov. 22. 26. *Ne esto ex illis qui fidejubent: ex illis, inquam, qui pro debitis spondent*. Vide quoque Prov. 6. 1. & 2.

L.

*Puer sibi relictus pudefacit Matrem.*

נער משלה מביש אתו, *Puer remissus pudefacit Matrem suam*. Prov. 29. 15. משלה, h. e. *ἀνεμῶν*, sibi relictus, *καὶ ἀπαίδευτ'*, nec castigatus à Parentibus. Vide quæ scriptissimus in proverbio, *Equus indomitus evadit savus; Pueri seipso regere non possunt*. Quapropter? quia eum, qui eos gubernat, animum stultum gerunt. *Est enim stultitia, ut ait sapiens noster, alligata animo puerorum*. Qui ergò puer relictus est sibi, h. e. suo animo, subve ingenio, quem peccantem nemo corripit, aut castigat, pudore afficit Parentes. Ficit enim Puer nequam & inutilis.

L I.

*Instituè puerum secundum viam suam.*

Quæ in teneris discuntur firmissimè hærent, juxta illud,

*Quo semel est imbuta recens servabit odorem, Testa diu*

Hoc significat Prov. 22. 6. per hæc verba, הנוך לנוער על פי דרכו גם יקני לא יסור ממנה. *Instituè puerum juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea*. Mens Salomonis, in qua quisque vivendi ratione instituitur, ab ea, cum senuerit, non recedet. Nihil enim, teste Fabio, *tenacius hæret quam quod rudibus annis perceperimus*. Cui rei firmandæ est Hieronymus ad Lætam scribens, *Difficulter, inquit, eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchyliæ quis in pristinum candorem revocet? Recens testa diu & saporem obrinet & odorem, quo primum imbuta est*. Græca narrat historia Alexandrum potentissimum Regem, orbisque domitorem, & in moribus, & in incessu Leonidis paedagogi sui non potuisse cavere vitiis, quibus adhuc parvulus fuit infectus: Et Aristoteles in 2. De moribus, cap. 1. ita scribens, atque, ut uno verbo dicam, ex similibus actionibus similes habitus oriuntur. Itaque danda opera ut actiones nostras certo quodam modo conformemus. Harum enim differentias habitus differentes ac dispareres consequuntur. Non igitur parum refert, sed per multum, utrum sic vel sic a pueris assuescamus. Imò verò totum in eo positum est. Nec dissentiant Ebræorum sapientes. Elisa filius Abuiæ in libro Avothi, הלומד יוד למה הנה דומה לדין כתובה על גיר הדש וחלומד זקן למה הנה הוא דומה לדין כתובה על גיר מחוק *Qui puer discit, cui similis est? atramento scripto super charta pura: & qui senex discit, cui rei similis est? atramento scripto super charta bibula*. R. Moses Maimonis filius, הלמוד בימי הילדותיתקיים ולא יקל לשכחו והענוו, *Quod in pueritia discitur manet firmum, nec facile è memoria excidit; secus verò quod in senectâ discitur*. Quocirca cum naturâ homo ab ineunte ætate, quemadmodum ipse Deus in Genesi testatur, proclivis ad vitia sit, curandum etiam atque etiam dum ætas adhuc tenera est & flexibilis, ut mores depravati emendentur, ad normamque divinæ legis dirigantur, sicut ait Psal. 119. 9. *In quo purget adolescentem tuos. Cæterum juxta viam suam, id accipio, juxta vitam genus, quod ipsum sequi velis: aut juxta vitæ institutam ad quod naturâ propensus est, quòque ipsius indoles inclinat & eum ducit, ut innuat quemque instituendum esse juxta naturam & indolem suam*. Siquidem alii ad liberales artes, alii ad Mercaturam aptiores sunt. Hi artificio magis delectantur, illi nullis omnino disciplinis idonei sunt.

L II.

*Mors & Vita in manu lingue.*

מות וחיים ביד לשון, *Mors & vita in manu lingue*. Admonet linguam humano generi perniciem adferre, & rursus salutem præstare, si quis ei rectè moderetur. Exstat Prov. 18. 21. *Mors & vita in manu lingue; qui eam amat, ejus fructu vescetur*. Hoc dicit, prout quis linguâ utitur, ita ei bona & mala contingunt.

gunt Nam, qui ea uti scit, ei vitam conciliat: illi qui non utitur rectè, mortem. Sic Prov. 15. 4. *Lingua sana est arbor vitæ; at in qua perversitas inest, ea est in animo calamitas.* Testatur idem Græcorum haud incelebre Proverbum, Γλῶσσα ποῖ πορεύη; πόλιν ὀρθώσασα, ἢ πάλιν ἀνατρέψασα, *Lingua quò vadis? erectum civitatem, eandem denuò subversura, vel, si mavis, urbem ut condam, & urbem ut destruam.* Nam lectio varians, καὶ πόλιν ἀνατρέψασα: *Memoriæ proditum, fuisse quondam Harpocratem Deum apud Ægyptios, qui digito labra comprimens silentio colendum admonuerit summum Deorum.* Huic Ægyptii, teste Plutarcho in libro quem de Iside & Osiride fecit, mense eo, quem Mesorem vocant, primitias leguminum offerebant, ita dicitantes, *Lingua fortuna lingua demon.* Quo significasse mihi videntur, bona pariter & mala ex lingua proficisci: quem admodum Apostol. ait, *ex eodem ore prodit benedictio & maledictio.* Per linguam benedicimus Deo Patri, per eandem maledicimus hominibus ad Dei similitudinem factis. Idem linguam comparat fræno, quo equi reguntur; & gubernaculo navis, quo, licet exiguum sit, maximæ tamen naves in tam vasto tamque barbaro elemento aguntur: ita quidem ut si bene tractetur, naves fervet, sin minus, easdem evertat. R. Juda in Libro Musar cap. 12. narrat fabellam hujusmodi: *Medicus quidam circumforaneus oppidatim clamabat se habere* כַּיִן הַחַיִּים, i. Pharmacum vitæ. *Quod cum audivisset filius R. Jadaï, venit ad Patrem, eique indicavit. Is iussit hominem accerseri. Cum venit, sciscitatus est R. Jadaï, ubinam esset calix ille vitalis pharmaci. Cui ille, Calicem, inquit, quem ego vendo, & tu quoque vendis. Nam scriptum est Psal. 34. 13. Quis es, qui cupis vitam? diligis dies, ut fruare bono? Contine linguam tuam à malo, & labia tua à loquendo fraudulentè. En calix iste vitalis est in ore ipsius hominis. Præterea sapiens dicit. Prov. 21. 22. Qui custodit os suum & linguam suam, custodit à malo animam suam. Hucusque R. Jehuda.*

## LIII.

*Ruinam fastus præcedit.*

לפני שכר גאון, *Ante cladem superbia.* Nihil verius hæc sententiâ. Consuevit enim Deus immortalis, qui supra modum animos extollunt, de gradu deturbare, in eorumque locum humiles ac mansuetos evahere. Refertur Prov. 16. 18. *Ante cladem fastus, & ante ruinam elatio animi; & 18. 12. Ante cladem se offert cor hominis.* In Græcis Bibliis, πρὸ συντριβῆς ἡγείται ὕβρις, & apud Nazianzenum Stelicitur. 1. ὕβρις ἔπειται συντριβῆς, *Fastus sequitur calamitas.* Eadem sententiâ in illo, *Qui se ipsum extollet, deprimetur.*

## LIV.

*Gloriam dejectio præcedit.*

Superiori contrarium, לפני כבוד ענוה, i. *Ante gloriam dejectio, live humilitas, vel si placet, mansuetudo.* Græcè, πρὸ τῆς δόξης ἀπεινώσις: quod manifestius legitur in Nazianzeno, ἰαπεινώσει δὲ ἐπειτα εὐδοξία, i. *Humilitatem verò gloria sequitur.* Quadrat cum illo, *Quisquis seipsum deprimet, extolletur.* In libro Musar, *Humilitas parit gloriam & decus: fastus verò cladem &*

*dejectionem, quemadmodum dicitur, Ante cladem extollit se cor hominis, & ante gloriam humilitas.*

## LV.

*Per semitam improborum ne ito.*

בארה רשעים אל תבא, *Per semitam improborum ne eas.* Vitæ genus quod improbi sectantur devita: vel sic, noli te in viam & consortium dare hominum improborum. Ratio hujus Præcepti later partim in illo, *Qui cum stultis societatem coit, malus fiet; partim in dicto Ben-Siræ, Va malo, & va iis qui ei adherent.* Nam qui inter malos versantur, tum eorum mores ad discunt, tum easdem poenas cum illis sufferunt. Hoc posterius innunt & verba Salomonis, si legas, *Qui cum stultis societatem coit, conteretur.* Neque veritas Ebraica eam interpretationem omninò respuit. Prov. 4. 14. *Per semitam improborum ne eas, neve gressum dirigas in via malorum.* Rursus Prov. 1. 15. *Ne habeto cum essiter: arce pedem tuum ab eorum semita.* Huic simillimum est illud, apud Græcos proverbio celebratum,

Καὶὸν σὺν ἀνδρὶ μηδ' ὄλωσ ὀδοιπέγεις, i. *viro improbo ne via fueris comes.* Huc referendum quod habetur Prov. 1. 10. *Fili mi, si te allucient peccatores, ne velis.* Multum profecit, qui noluit in societatem coire cum improbis hominibus. Si ergo peccatores, h. e. improbæ vitæ homines, blanditiis pertrahere te voluerint ad suum consortium, noli acquiescere, aut obsequi eis.

## LVI.

*Anima sedulorum pinguis fiet.*

נפש הרוצים תדשן, *Anima sedulorum pinguis evadet.* Prov. 13. 4. h. e. dives. Si cupis dives fieri, esto navus ac diligens. Frustrà cupit, qui ignavus est. Agendo, & laborando, & vigilando divitiæ parantur, non optando. In hanc sententiâ citare poteris ex cap. 10. vers. 4. *Manus sedulorum ditat.* Sed extendi debet; si studium adhibueris, comparabis tibi virtutem: evades doctior aut sapientior.

## LVII.

*Manus sedulorum dominabitur.*

יד הרוצים תמשור, *Manus sedulorum dominabitur.* Idem declarat Antiphanes apud Stobæum, his verbis,

τῆς ἐπιμελείας δ' ἄλλα πάντα γίνεσθαι,  
*Famulatur omne, quicquid est, industria.*

Legitur Prov. 12. 24. *Manus sedulorum dominabitur: ignava erit sub tributo, h. e. tributaria.* Sensus est, Homines gnavi & industrii ditescunt, ignavi verò & dolosi fiunt pauperes: inde porrò consequetur, ut his parentibus, illi imperent. Nam dives in pauperes dominatur, ut ait 22. 7. sed extendatur; Nihil tam arduum aut tam difficile quod laboris & exercitationis assiduitas non vincat. Testatur hoc Ebraeus ille qui dixit, *Ufus omnium rerum dominus:* & Græci, cum ajunt *exercitationem omnia posse;* dicunt enim, μελέτη πάντα δύναται. & Virgilius ita canens, *labor omnia vincit improbus.* Sed & Euripides in Erechtheo, inquitens,

Τὸ συνεχὲς ἔργον παντὸς εὐρίσκει τέλθ.

Ovidius idem hæc allegoriâ declarat.

*Quid*

*Quid magis est durum saxo, quid mollius undâ?*

*Dura tamen molli saxa cavantur aquâ.*

Sanè Demosthenem perhibent impedimenta naturæ industriâ diligentiaque superasse.

L VIII.

*Nomen divitiis præstat.*

נבחר סם מעשר רב, *Eligendum nomen, quàm divitiâ multa.* Potius eligendum nomen bonum, quàm amplæ divitiæ. Sententia est proverbialis admonens honestam famam divitiis præferendam esse. Legitur Prov. 22. 1. & observa nomen simpliciter dici pro eo quod est, nomen bonum, aut, nomen ex rectè factis. Sic Kohel. 7. 1. *Melius est nomen quàm oleum bonum.* Sic alibi uxorem dixit pro, uxorem bonam. Causæ huius proverbii multæ sunt: Siracides Eccles. 4. 15 *Habe curam nominis: id enim tibi magis manebit quàm auri mille ingentes thesauri. Bona vita dies finita sunt: ac bonum nomen durat in perpetuum.* En una causa, quam reperies & ab Isocrate notatam oratione ad Nicoclem: cui subjungit alias duas præterea. Scribit enim, famâ pecunias comparari posse, non contrâ. Rursus opes etiam improbis contingere, gloriam verò parare non posse, nisi qui virtute excellent. Græca sunt, περιπλεονοποιῶ δόξαν καλήν, ἢ πλεον μέγαν τοῖς πασι καλαπείν· ὁ μὲν γὰρ θνητὸς, ἡ δὲ ἀθάνατος· καὶ δόξην μὲν χερήματα κλητὰ, δόξαν δὲ χρημάτων ὄρεσιν ὠνήσει· καὶ τὰ μὲν καὶ τοῖς φάουλους παραγίγνεται τῶν δὲ ἄκ' ὀνόματι, ἀλλ' ἢ τῶν διενεργούντων κλησάσθαι. His adde quòd divitiæ rarò sine curis sunt. Nam non solùm acquirendæ torquent, sed etiam acquisitæ. Jam verò, pecunia, ut scriptum in 2. De inventione, non propter vim suam & naturam, sed propter fructum & utilitatem tantum expetitur: bona existimatio & suâ vi & dignitate nos inductos ducit, & præ se gerit quandam utilitatem quò magis expetatur.

L IX.

*Vanitas pulchritudo.*

הבל הוויפי, *Vanitas pulchritudo,* Prov. 21. 30. Non solum vana, sed ipsa vanitas. Seneca Hyppolyto,

*Res est forma fugax, quis sapiens bono Confidat fragili?*

Et Oâavia,

*Florem dec oris singuli carpant dies.*

Sic & Ovidius, nisi fallor

*Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos*

*Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.*

Vana ergò & fallax gloria formæ, tum quia citò perit, tum quia tegit quandoque maxima vicia. Quòd si animus semper responderet corporis pulchritudini, esset absque dubio res magnopere expetenda. Forma non solum fluxa est, sed etiam noxia Viris.

Rursus Seneca,

*Raris forma viris, secula prospice,*

*Impunita fuit.*

L X.

*Remissior es tempore angustia? angusta est virtus tua.*

Est viri fortis quicquid evenerit sapienter ac moderatè ferre: contrâ est parvi & angusti animi non posse ferre casus humanos, ita ut oportet. Hoc declarabis isto

versu, Prov. 24. 10. התרפית כיוון צרה צר כחך, *Remissior fuisti in die angustia? angusta est virtus tua.* Opus est ad notitiam cuiusque experimento. Calamitas Virtutis occasio est. Vis scire qualis iste sit? exspecta dum res ipsius, quæ nunc secundæ sunt, mutantur. Si succumbit, animi mollitudinem prodit, nec fortis dici potest. Durat enim & ad extremum perseverat, qui fortis est. Ipse ignis aurum probat, miseria fortes Viros.

L XI.

*Somnum ne ama, ne pauper fias.*

אל תאהב שנה פן תורשפק עיניך שבע לחם, *Ne ama somnum, ne pauper fias; aperi oculos tuos, satiare pane.* Prov. 20. 13. *Somnum amat non qui eo utitur moderatè, sed qui nimium ei indulget. Aperit oculos, qui vigilans ac sedulus est in opere suo. Porro autem inopia pedissequa est eorum, qui stertunt ubi vigilandum & laborandum est. Satiare pane, valet, satiaberis; vel, ut satiare: at si diceret, ut habeas unde vitam sustentès. Ne ama somnum, & aperi oculos, Græci brevius enuntiant, ἵπν & ἀπίσω ὀμμάτων, Somnus absit ab oculis; quod Erasmo teste, usurpari solet, ubi quis rem aggreditur, quæ summam diligentiam requirit.*

L XII.

*In morte improbi perit spes.*

כמות אדם רשע תאבד תקוהו, *Cum moritur homo improbus, perit spes.* Prov. 11. 7. vel, in morte hominis improbi: eodem redit. Asta vita improbè ac turpiter facit hominem desperantem in morte, i. dum animam agit. Quid enim speret, qui impiè semper vixit? aut quam fiduciam habeat in Deo, qui per omnem vitam ipsum despexit? Potest sensus esse, in morte, h. e. in calamitatibus. Nam improbi rebus adversis ferè desperant: *Viri probi ac fortes insistant spei etiam contra fortunam,* ut Tacitus ait.

L XIII.

*Optata cum adsunt, animo dulce est.*

תאוה ההיה תעדב לנפש, *Desiderium quod adest suave est anima.* Prov. 13. 19. Hoc commodè usurpabis quando videbis aliquem lætum propterea quòd factus sit compos voti sui: est autem sententia, quicquid obligit cupido optantique, hoc est animo jucundum & gratum. Licet vertere, *cupiditas fracta anima suavis est;* aliâ, sed egregiâ, sententiâ. *Fracta enim, h. e. repressa, cupiditas, si mala fuerit, animæ salutaris est.*

L XIV.

*Qui dona odit, vivet.*

מתנות יהיה שונא, *Qui odit dona, vivet.* Prov. 15. 27. Alibi est, *Qui odit lucrum, producet dies.* Viderur hoc dicere, Qui munera ad pervertendum iudicium data averfatur: rursus qui nec omnia, nec ab omnibus accipit (nam nihil accipere inhumanum) quorum alterum hominis vilissimi, alterum avarissimi fordidissimi que est, cum eo bene ac feliciter agetur.

L XV.

*Donum in occulto restinguit iram.*

מתן בסתור יכבה אף, *Ad significandam munerum vim in sedanda bile accommodabis illud,* Prov. 21. 14. ושחר בחיק חמה עוק, *Donum in occulto restinguit iram, & munus in sinu excandescitiam vehementem.* Mu-

*mus in sinu, sive clam datum (nam palàm nemo libenter accipit munera) h. e. clandestinum, sedat animum irâ commotum, placat eos, qui vehementer in nos excanderunt. Ovidius 3. de arte.*

*Quid faciat sapiens? stultus quoque munere gaudet. Ipse quoque accipio munere mitis erit.*

Et alibi,

*Munera crede mihi placant hominésque Deosque,  
Placatur donis Jupiter ipse datis.*

LXVI.

*Devolve ad Dominum actiones tuas.*

Cùm admonebimus quempiam, ut curas & actiones suas in Deum rejiciat, laudabimus illud יהוה אלהיך, מעשיך ויכוננו מחשבותיך, *Devolve ad Dominum opera tua, & firmabuntur cogitationes tuae. Committe, inquit, Deo res tuas, & bene tibi erit: dabit exitum succéssumque meliorem quàm ipse optares. Juvenalis.*

*Permittes ipsis expendere numinibus quid,  
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.  
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Di,  
Charior est illis homo, quàm sibi; nos animorum  
Impulsi, & cacâ pravâque cupidine ducti,  
Conjugium petimus, partumque uxoris; at illis  
Nozum qui pueri, qualis que futura sit uxor.*

LXVII.

*Deum omnia videre.*

Ut hoc dicas, aptè citabis illud, ככל מקום עיני יהוה צופות רעים וטובים, *Ubi sunt oculi Domini, speculantes malos & bonos. Prov. 15. 3. Sic Heliodus,*

*Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμοὺς καὶ πάντα νοήσας.*

Sit hoc persuasum hominibus, Deum qualis quisque sit, quid agat, quidque cogitet intueri. Quis enim eo teste ac inspectore peccare aufit? nemo sanè; ac proinde, qui ita licenter sine ullo metu quotidie peccant, nihil minus credunt quàm quod hîc dicitur. Alioqui non facerent coram Deo, quod ipsos puderet facere coram hominibus.

LXVII.

*Deum quæ videt cunque, etiam expendere.*

Ad hoc significandum χεῖρσι μου illud, נכה עיני יהוה, *Coram oculis Domini sunt vita hominis, & omnes semitas ejus librat. Prov. 5. 21. Deus quid quisque agat aut cogitet, non solum intuetur, sed etiam librat, h. e. quasi ad libram appendit & expendit, sine rectum an pravum, mundum an immundum.*

LXIX.

*Deo cuncta patere.*

Ut dicas Deo patere humanas mentes, aut nihil esse tam abstrusum quod ipsum fugiat, en tibi oraculum, שאול ואבדו נגד יהיה אפכי לבות בני אדם, *Sepulcrum & inferi coram Domino, ne dum corda hominum. Quæ Græcè versa leguntur apud præcos interpretes hoc modo, ἀδης καὶ ἀπώλεια φανερά παρὰ Κυρίῳ, πῶς ἔχει καὶ αἰ καρδία τῶν ἀνθρώπων; Inferi & perditio. [Job. 26. 6. Nudum est sepulcrum coram eo, & sine tegmine inferi. An eò respexit sapiens?] (Sic vocantur Inferi, teste Abenezra, q. perditio ab humani generis noticia & conspectu,) coram Domino, qui non & corda hominum? Ea-*

dem sententia Siracidi expressa, Eccles. 23. 27. ubi sic ait, *Homo temerans lectum suum ita secum cogitat, Quis me videt? tenebris circumsepis sum, & parietibus tectus, nec quisquam me videt. Quid metuum? peccata mea non meminit Excelsus. Humanos metuit oculos, nec intelligit oculos Domini millies sole splendidiores intueri mores hominum omnes, & ima abyssi, & hominum corda, & abstrusas contemplari partes. Nec dissimilia his de Deo scribit Stæsius Poëta Latinus;*

*Videt ille ortusque, obitusque, quid Arctos,  
Quid boreas hybernus agat, ferrique togæq;  
Consilia, atque ipsam mentem probat.*

Exstat Prov. 15. 11.

LXX.

*Deus corda probat.*

Sed mentem probare docet noster egregio simili. Ait enim Prov. 17. 3. מצרף לכסף וכור לזהב וכוון לבנת יהוה, *Fornax argentum, & catinus aurum, & probat corda Dominus. Sensus est, ut fornax argentum, & catinus aurum, sic Deus corda & mentes hominum probat.*

LXXI.

*Appendit animos Dominus.*

תוכן רוחות יהוה, *Appendit Spiritus Domini. Prov. 16. 2. Ut aurificis statera nummum justi ponderis explorat, sic Deus examinat animos hominum. Ex quo & illud sequitur Deum scire quæ quisque mente sit, sicut ait 24. 12. An non qui appendit corda, ipse intelligat. Thales igitur, qui sapientissimus inter septem fuit, interrogatus an facta hominum fallerent Deum, Ne cogitata quidem, respondit.*

LXXII.

גבר חכם בעז ואיש דעת מאמץ כח, *Vir sapiens in robore est, & vir sciens fortificat vites, Prov. 24. 5. Intelligentiam habet ex illo, c. 21. 22. Urbem fortium conscendit sapiens, & dejicit robur fiducia ipsius. Sed extendamus. Sapiens etiam fortis est: valet non ram corporis, quàm animi viribus: adversa patienter tolerat, cupiditates terminat, iram compescit. Noster. c. 16. 32. Qui imperat animo suo potior est eo qui expugnat urbes: & Zomæ F. Quis fortis? qui domat affectus suos. At sapiens timeret semper: timeret, sed circumspiciendo & cavendo pericula, quæ stultus propter rerum imperitiam contemnit. Timeret quoque Deum, ut est religiosus. Hæc non adversantur fortitudini, à qua si metum honestum & εὐλαβειαν separes, non jam virtus est fortitudo, sed ejus vitium audacia & temeritas.*

LXXIII.

פה חלק יעשה מדהרו, *Os blandum facit impulsione* Prov. 26. 28. Blanditiæ sermonum impellunt animos hominum & trahunt quod velis, juxta illud, *Blanditis verborum suorum impulit eum.* Aliter, Assentatio vitiorum illex & adjutrix cum sit, & ipsum assentatorem & eum, qui aures patefacit, in perniciem impellit.

LXXIV.

*Beatus qui metuit semper.*

אשרי אדם מפחד תמיד, *Beatus homo, qui timet semper, Prov. 28. 14. Qui semper timet, & fugit malum, h. e. impendentia pericula, vel qui timet (intellige religiose*

gioſe) & abſtiner à peccando, beatam vitam degit. Simile in Mimis Publii, *Animus vereri qui ſcit, ſcit tui ingredi.* Vulgò etiam dicitur, *Qui ambulat timidè, ambulat cautè.* Aliter, Qui Deum ſemper metuit, ſemper rectè facit. Rectè facere ſatis eſt ad bene beatèque vivendum. Nam vita beata in virtute poſita. Rurſus, qui Deum metuit legem cuſtodit. Porro, quicumque legem ducem in vita ſequitur, ei ad felicitatem ampla, maximèque certa pater via. Ita dico, cum eo feliciter admodum ac beatiffimè agitur, ſecundùm illud, *Qui cuſtodit legem, beatus eſt.* Prov. 29. 18.

LXXV.

*Gloria Dei celare Verbum.*

כבוד אלהים הסתר דבר, *Gloria Dei occultare verbum*, Prov. 25. 1. Rectè accipe pro, *verbum ſuum*, Synellius, ἀγνωσία σεμνότης ἐστὶ τῶν τελετῶν, i. *Sacrorum dignitatem tuctur ignorantio.*

LXXVI.

*Gloria Regum ſcrutari Verbum.*

כבוד מלכים חקור דבר, *Gloria Regum ſcrutari verbum*, ibid. Regibus glorioſum eſt ſcrutari verbum Dei. Vos Principes, qui arcetis à leſione literarum ſacrarum, quid dicitis ad hæc?

LXXVII.

*Deriſorem ſi ferias, ſimplex cautior evadet.*

לך תכה ופתי יערים, *Irriſorem ferias, & ſimplex cautus fiet*, Prov. 19. 25. Simplex & imperitus rerum ex alieno periculo colligit quid ſibi cavendum. Vel idèd puniendi ſclerati, ut eorum poenâ cæteri meliores evadant. In Scholiis Oecumenii Act. 5. λοιμὸν γὰρ μασιγῆς, πανεργότερον ἀφρον γίνεσθαι, καὶ τὴν ἱεράν παρομίαν, ubi de Anania & Saphira, quos ait punitos fuiſſe, quòd alii eorum poenâ cautiores redderentur. Reperitur hæc ſententia & Prov. 21. 11. ſed aliis verbis בענשׁ לך פתי, cum multatur deriſor, ſapientior fit imperitus. Græca edit, hic legit ζημιςμηδὺς ἀκολάστου, πανεργότερον γίνεσθαι ὁ ἀνακ, i. *multato acolaſto, ſimplex verſuzior. (i. cautior) fit.*

LXXVIII.

*Venit ſaſtus, venit & infamia.*

בא זרון ויבא קלון, *Venit ſuperbia, & venit ignominia*. Prov. 11. 2. Ignominia ingenuos maximè à peccando deterret. Debet ergò & à ſaſtu detertere. Nam ſaſtum comitarur aſſiduè ignominia. Hic mihi venit in mentem proverbium quoddam Ludovici Regis Galliarum, qui dicere ſolebat, *Dedecus & detrimentum eſſe comites ac veluti pediffequas ſuperbiæ.* Gallicè venultiùs, *Quand orgueil marche au devant, honte & dommage le ſuyvent.*

LXXIX.

*Ne innitaris prudentiæ tuæ.*

בטח אל יהוה בכל לבך ואל בנתך אל תשען, *Fide Domino toto corde tuo, & intelligentia tua ne innitaris*. Prov. 3. 5. Seneca de beato, *Ne ulli quidem, inquit, niſi ſibi innixus.* Ferri hæc poterant niſi ultra progreſſus ſapientem ſuum Deo non ſolùm parem faceret, ſed etiam anteferrer, *Ferte, inquit, fortiter: hoc eſt quo*

*Deum antecedaris.* Idem ex ſententia Epicuri ait ſapientem, ſi panem & aquam habeat, cum ipſo Deo de felicitate poſſe contendere. Sed & ſuis quemque viribus parare ait bonam mentem: *ſtultum eſt, inquit, optare eum poſſis à te impetrare.* Non ſunt ad cælum elevanda manus, & quæ ſequuntur. Hæc portentia opinionum nos commonefacere debent, ut Deo confiſi, ab eo ſolo pendeamus, eique res noſtras committamus, nève unquam ingenio noſtro aut prudentiæ innitiamur.

*Admonitio.*

*Toto corde, h. e. ex animo, revera, bona fide, Dico bonâ fide.* Nam id valet, ex animo, non fictè, nec ſimulatè. Papinius Statius in præfat. lib. 5. *Qui bonâ fide Deos colit, amat & ſacerdotes.*

LXXX.

*Dei verbo nihil addendum.*

אל תוסף על דבריו פן יוכיח בך, *Ne addas verbis ejus, ne te redarguat, & mendax inveniariſ.*

*Admonitio.*

*Verbis Dei addit, qui ſententiam pervertit, ei adji- ciendo quod in mente verborum non continetur.* Hunc Deus ſuo tempore mendacii convincet, patefactâ veritate.

LXXXI.

*Contemptum verbi divini poena comitatur.*

Qui dicit contemptorem Verbi Divini non abire ſine poena, uſurpabit illud ex c. 13. 13. בז לדבר יחבל לו, *Qui contemnit verbum, noxam ſibi accerſit: vel, id eſt damno erit, & intellige Verbum Dei.* Hominem contemnere impunè poſſumus: Deum ejusque juffa non poſſumus. Nam ſui contemptum ſeverè ulciſcitur. Huic contrarium in eodem verſu, ירא מצוה הוא ישלם, *Qui reveretur præceptum, præmio afficietur:* vult dicere, qui vitam inſtituit ſecundùm præcepta divina, eum præmio afficit. Sunt hæc duo quaſi elementa quædam, ut Plutarchus ſcribit, virtutum. Nam & præmiù ſpes ad optima quæque ſtudia promptiores, & poenæ metus ad actiones pravas tardiores facit. Vide Aulum Gellium lib. 6. c. 14.

LXXXII.

*Ama, ut ametur.*

איש רעים להתרועע, *Prov. 18. 24. ut ego quidem capio, vir amicorum ſtudioſus debet ſe amabilem præſtare.* Qui amari vult, eum viciffim amare oportet. Sic Ovid, *ut ameris amabilis eſto:*

& Martialis in Epig.

*Ut præſtem Pyladen, aliquis mihi præſtet Oreſtem; Hoc non fit verbis, Marce; ut ameris, ama.*

Nec alienus hinc eſt Theocrii verſiculus,

Στέργετε τὸς φίλους, ἢ ἂν φίλητε, φίλοιθε, *Quisquis amatur, amet, ut & ipſe, ubi amârit, ametur.*

Seneca in epistolis, *Hecato ait, Ego tibi monſtrabo amatorium, ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius venetiæ & carmine, ſi vis amari, ama.*

LXXXIII

## LXXIII.

*Amicus Patris non deserendus.*

Si quem monere vales, ut amorem retineat in amicum patrem, laudabis ex cap. 27. 10.

רעד ורע אביך אל תעזוב *Amicum tuum, & amicum patris ne deserat.* Præclare Isocrates ad Demonicum, *πρόπει γὰρ τῆς παιδᾶς, ὡς περ τῆς ἑσίας, ἔτω καὶ τῆς Φιλίας πατρικῆς κληρονομήν, decet enim liberos ut opum, ita amicitia paternæ heredes succedere.*

## LXXXIV.

*Amicus raro invisendus.*

Hoc significabis per hunc versum, Prov. 25. 17. דקר רגלך מבית רעד פן ישכעד ושנאך *Contine pedem tuum à domo, amici tui, ne tui satur te oderit.* Una ista fit cautio in amicitia, ut ne nimis sæpe amicos invisamus, neve eis ulla in re molesti simus. Dignus enim est odio importunus amicus.

## LXXXV.

*Amicus verus fratre conjunctior.*

יש אהבדבך מאד, *Est amicus conjunctior fratre,* (ad verb. *adharens magis quam frater,*) nempe is qui verè ac propriè amicus est, qui est quasi alter idem, & pro amico mori non dubitat. Quis autem ita fratrem amat, ut pro eo mori velit? His adde quod habetur 19. 7. *omnes fratres pauperis oderunt ipsum;* & 17. 17. *omni tempore diligit amicus,* Legitur Prov. 18. 24.

## LXXXVI.

*Frater non visendus à calamitoso.*

בית אחיך אל תבא ביום אידך *Domum fratris tui ne edito tempore calamitatis tuæ.* Nam si verè frater est audità calamitate tuâ statim ad te advolabit. Sin, tum non expedit adire te ad eum, ne odio ei ac senio sis, neve putet te venire petendi gratiâ duntaxat. Sed dilatemus: si pauper aut calamitosus es, noli visere amicum, aut accersere ad te. Nam si amicus est, ultrò veniet consolandi causâ. Sin est è plebe vulgari, frustra vocabis aut adibis eum qui non te sed tua amavit. Exstat Prov. 27. 10. Quidam referunt, *Domus fratris tui non veniet tempore calamitatis tuæ.* (Frater pro amico, ut ibi, frater in adversitate nascitur. Sic ait

## LXXXVII.

*Omnes fratres pauperis ipsum oderunt.*

כל אחיך שנאך, *Omnes fratres pauperis oderunt ipsum.* Prov. 19. 7. Eleganter ad hanc sententiam Menander,

--εργον ευρειν συγενῆ

Πένιός εστιν, ἔδὲ εἰς γὰρ ὁμολογῆ

Ἄυτῷ προσήκειν τῆς βοηθείας τινὸς

Δεόμενον, αἰτεῖσθαι γὰρ ἀμαλὶ προσδοκᾷ.

Quæ sic verba reperi apud H. Stephanum,

*Propinquus pauperis*

*Vix invenitur ullus, haud enim lubens*

*Qui squam propinquum se fateatur indigi,*

*Quod proxtinus aliquid petiturum putet.*

(Simile in parœmiis Apostolii, πτωχῶ φίλοι ἔδ' οἱ γεννήτορες, *Pauper ne quidem ipsos parentes habet amicos*) Porro fratres Ebraicâ consuetudine loquendi vocantur & cognati & affines. Hujus ergò concipiunt, quod idem Menander alibi affixmat,

τῶν εὐτυχάντων εἰσι πάντες συγενεῖς,

Quo significat omnes esse propinquos eorum, qui fortunâ facili ac benignâ utuntur.

## LXXXVIII.

*Fratrum contentiones acerbiſſimæ.*

יא נפשע מקרית עז ומדינים ככריח ארמון *Frater scelere offensus superat urbem munitam, & contentiones instar vectis palatii* [Quadrat cum proverbio Græco, *χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν; acerba bella fratrum.* Adi Erasmus] Mens horum verborum, Frater lacessitus à fratre superat urbem munitam, h. e. acrius se tueretur ac pertinacius resistit quàm urbs potens ac munita: insuperque contentiones fratrum tam validæ sunt, quàm est vectis palatii: q. diceret, validissimæ sunt, h. e. maximæ, gravissimæ, acerbiſſimæ. Exemplum cape ex Sabellico; *Nullam magis domum affluxit discordia quàm Aristobuli Judæorum Regis, qui dum inter se de Regno hostiliter disceptant; regnum & urbem, in qua nati erant, perdidit, & quod malorum cumulo accessit, augustissimum templum, quod in urbe fuit bello profanatum est, magnæque ex parte dirutum.* Aliud ex eodem *Pelopidarum domus omnium atrocissimè his malis convulsa est, Atreo & Thyeste dissidentibus: nihil verus aut recens scena habuit detestabilius quàm monstrifica.* Exempla, quæ ex eadem domo profecta sunt, si Poëtica fides recipiatur. Exiit fraternus ille furor in nepotes, ut regia Conjunx incesto amore saucia non viro pepercit, non filius Marri.

*Admonitio.*

*Scelere offensus*) vel potiùs, *deficiens* sive *desciscens* à fratre, ut sit regni causâ. Ergo & Tuncarum Regnum, & Ottomanica domus, & Argenii reguli ad exemplum adduci possunt huic sententiæ firmandæ.]

## LXXXIX.

*Antequam loquaris, disce.*

Præceptum est Siracidis Eccles. 18. 20. *πρὶν ἢ λαλῆσαι, μάνθανε* quod occini poterit ei qui responderet re non intellecta: aut qui docet prius quàm didicerit. Affine est, *Antequam respondeas, audi.*

## XC.

*Qui iram differt, est magnæ prudentiæ.*

Pars magnæ prudentiæ est cohibere impetum, & iram differre. Nam qui animum in potestate non habet, ab eo nihil rectè, nihil consideratè fieri potest. Malè cuncta ministrat impetus. Hoc declarat sapiens meus, cum ait Prov. 14. 29. *אריך אפים רב תבונה וקצר רוח* *Tardus ad iram est multa prudentiæ: ac iracundus exaltat stulticiam, h. e. magnam stulticiam designat.*

## XCI.

*Miserationes improborum crudeles.*

רחמי רשעים אכזרי *Miserationes improborum crudeles.* Prov. 12. 10. Miseratio crudelis est, v. g. ubi quis miseretur nocentis. Nam talis sævit in eos, quos illi injuriâ affecerunt. Contrà qui improbos & nocentes puniunt, quodammodo miseretur bonorum & innocentium, quos ab illorum violentia tutos præstat. Est autem dictum *miseratio crudelis*, ut apud Horatium,

Stre-

*Srenua nos exercet inertia.*

Sic & Virgilius,

*Nam capi potuere capi?*

Quod mutuatus creditur ab Ennio. Nam Ennius in decimo, cum de Pergamis loqueretur, ad hunc modum scribit,

*Qua nec Dandariis campis potuere perire,  
Nec cum capta capi, nec cum cremata cremari.*

Hujus generis est, sequiturque sequentem. Græci ὄξυ-  
μωγον vocant.

XCVI.

*Turbans carnem suam crudelis est.*

עוכר שארי אכזרי, *Qui turbat carnem suam, crudelis est.* Prov. 11. 17. *Turbat carnem, h. e. corpus suum, qui ei negat necessaria, sive in morbo, sive extra morbum: qui veneri nimium indulget: qui neque in cibis rationem, neque in potu modum tenet. Rursus qui illud curis ac laboribus conficit. Nec refert qua in re laborer. Quicquid nimium est, nocet. Si modum studiis non facit, nec sibi parcit, crudelis est. Lædit enim valetudinem dum corpus negligit.*

XCVII.

*Nemo sine crimine.*

מי יאמר זכיתי לבי טהרתי מהטאתי, *Quis dicat; Mundavi cor meum, purus sum à peccato meo?* Prov. 20. 9. *Nemo est qui jactare possit se habere cor purum à peccato, h. e. culpæ criminis que expers. Sic Job. 14. 4. Quis det mundum de immundo. Ne unus quidem.*

XCVIII.

*Res crudelis excandescencia.*

אכזריות חמרה, *Crudelitas est excandescencia.* Prov. 27. 4. *h. e. res crudelis. Iram dixere nonnulli matrem crudelitatis esse: rectè sanè. Nam animus irâ effieratus modum in puniendo, qui inter nimium & parum, servare non potest. Hinc crudelitas. Exemplorum pleni sunt libri. Vide Senecam lib. 3. De ira. cap. 16.*

XCV.

*Decus hominis præterire crimen.*

תפארת אדם עבור על פשע, *Decus hominis præterire crimen.* Prov. 19. 11. *Crimen præterit, qui ignoscit: item qui dissimulat, se illud non animadvertere quod interdum faciendum est. Est autem decora homini hæc dissimulatio si fiat loco & tempore quo oportet. Imprimis dissimulanda sunt multa principibus & rempubl. gubernantibus, unde proverbio dicitur. Qui nescit dissimulare, nescit regnare. Videndus Plutarch. in libello de liberorum educatione non longè ab extremo.*

XCVI.

*Benedictio Domini ditat, nec adfert secum molestiam.*

ברכת יהוה היא תעשיר ולא יוסף עצב עמה, *Benedictio Domini, ipsa ditat, nec adfert molestiam secum. Quem Dei benignitas divitem facit, animo est ab omni molestia vacuo. Nulla ipsum cura angit: neque querendo divitias, neque conservando torquetur. Sed nec doler amissas, nec timet amittendas. Simpliciter benedictio divina ditat sine molestia, h. e. sine magno labore, sine curis, sine sollicitudine. Alioqui divitiæ mul-*

*tis curis non parantur modò, sed etiam servantur ac possidentur. Quamobrem Eutrapietes, quibus maximè nocere volebat, eos divites faciebat, distans ipsos unà cum divitiis accepturos magnam sarcinam curarum. Mirabile ulciscendi genus, quod hodie nemo admodum reformidaret. Quin ultrò provocaret ac gratias ageret, si quis hoc modo ulcisceretur dolorem suum.*

XCVII.

*Improbè parta non profunt.*

לא יועילו אוצרות רשע, *Non profunt thesauri improbitatis.* Prov. 10. 2. *h. e. improbè parta. Non profunt? imò nocent. Nam*

Καυὰ κέρδεα ἴσα ἀγχιον

*Mala lucra equalia damnis, ait Hesiodus. Aut non profunt, quia malè parta malè dilabuntur. Ad hæc, qui improbè parta possidet, ut avarus, nec habendi orendive fructu felix est, & sollicitudine servandi miserimus.*

XCVIII.

*Ira Regis nuncii mortis.*

Quàm sit periculofum in potentiorum offensionem incurrere declarat Sophus noster Prov. 16. 14. cum ait חמת מלך מלאכי מות ואיש חכם יכפרנה, *Excandescencia Regis nuncii mortis: Vir autem sapiens expiabit illam. Expiabit, h. e. placabit. Cui Rex aut Princeps aliquis vehementer succenset, nisi eum maturè placet (placabit autem quisquis sapiens est) hic sciat sibi paratum certum exitium. Fulmen est ubi cum potestate habitat iracundia. Pereunt, inquit Seneca, funditus omnia, ubi quantum ira suadet, fortuna permittit. Quo circaur in navigando procellam vitamus. Sic Regum furor nobis declinandus est. Huc accommoda illud Homericum, χαλεπαὶ δὲ τῶν ἀνάκτων ὀμοκλαί Ὀδυσσ. ε.*

XCVI.

*Equus preparatur ad diem belli: sed à Domino salus.*

Ut dicas victoriam in bello non equorum aut hominum viribus, sed Dei benignitate obtingere, conveniet illud Prov. 21. 31. סוס מוכן ליום מלחמה וליהוה, *Equus instruitur ad diem belli: sed à Domino salus (h. e. victoria.) Equis in bello utimur, sæpèque illis victoriam adscribimus; sed frustra. Nam victoria ab uno Deo est, nec obtingere cuiquam nisi divino beneficio potest. Pro argumento sint exercitus illi qui, cum equitatu præstarent, ab hostibus tamen victi superati fuerunt.*

C.

*Qui Deo fidit, beatus est.*

בוטח ביהוה אשרו, *Qui confidit Domino, beatus est.* Prov. 16. 20. *Quod Romanus sapiens falsò, imò impiè dixit, Unum bonum est, quod vita beata causa & firmitamentum est, sibi fidere: tu verè ac piè dixeris, Deo fidere. Nam nisi stabili & fixo & permanente bono, qualis Deus est, beatus esse nemo potest.*

CI.

*Deus honorandus Decimis.*

כבוד את יהוה מהונך, *Honora Dominum de opibus tuis. Decimæ pars sunt sacrorum. Hæc ut persolvantur Deo interest rei familiaris. Nam Deus, ut est in Prover-*

bio, *adjuvat facientem*, h. e. ritè facris operantem. Alius quoque dixit, *Quod in divinis rebus sumas sumtus, sapienti lucro est.* Quin veterum semper opinio fuit omnia ei ex voto succedere qui ritè Deum coluisset. Idem significat sapiens meus, Prov. 3. 9. 10. per hæc verba; *Honora Dominum de opibus tuis, & de primitiis proventus tui: Et implebuntur horrea tua copiâ frugum, & musto torcularia tua redundabunt.* In sententiis sapientum Ebræorum, *Da ei de suo, quoniam tu, tuâque omnia illius sunt.* Locus Salomonis extendi poterit longius. Nam *Deum honorat, qui benignè facit egeno*, ut ait 14. 31. Licebit ergò uti & quoties hortabimur quem piâ ad beneficentiam erga pauperes.

## CII.

*Homo proponit, Deus disponit.*

Quod in ore vulgi, *Homo proponit, Deus disponit*, id apud Salomonem legitur Proverb. 16. 9. his verbis לב אדם יחשב ויהיה כיון צעדו אדם, *Cor hominis deliberabit de via sua: sed Dominus diriget gressum ejus.* Ideò moment sapientes Ebræi, quoties aliquid aggredimur, dicendum esse semper, *Si Deus voluerit.* Siquidem eventus in nostra manu non est, sed in Dei solius potestate; quo sine ne eloqui quidem possumus animi cogitata, juxta illud Prov. 16. 1. *אדם מערכי לב ומיהוה מענהו.* *Hominis est preparare cor: sed à Domino responsio lingua.* Quoties ergò in proposito susceptoque consilio fallimur, & res aliter succedit atque speraveramus, quin id divinitus fiat, sæpe etiam nostro magno bono, non est quòd ullo modo dubitemus.

## CIII.

*Stultorum institutio stulta.*

מוסר אוילים אולת, *Eruditio stultorum stultitia.* Prov. 16. 22. Stulti, quia mente & intelligentiâ carent, quos erudiendos susceperunt: est autem stultitia fons & vena mortis: itaque opposuit huic membro, *fons vita intellectus est iis, qui eo pradii sunt.* Quidam exponunt, ac si diceret, stultos non sapere nisi suo aut alieno periculo. Alii enarrant hoc modo; Argumentum stultitiæ est laborare ut stultus, qui verè stultus est, sapiens fiat. Sanè qui hoc facit, bis stultè facit. Nam laborem inanem ipsius capit, & odium provocat ejus quem erudit atque instituit.

## CIV.

*Eruditio mala deferenti semitam.*

מוסר רע לעוזב אורה, *Institutio mala deferenti semitam.* Sensus est, Institutio mala, h. e. gravis & molesta, est e, qui deserit semitam justitiæ, h. e. rectum iter Virtutis. Talis enim se institui aut castigari & in viam reduci asperrimè patitur.

## CV.

*Ne labora ut ditescas.*

אל תיגע להעשיר, *Ne labora ut ditescas.* Labora ut melior fias, non ut ditescas. Nam divitiæ non reddunt quenquam beatum. Sola Virtus hominem beat. Prov. 23. 4. *Ne labora ut ditescas: ab hac tua prudentia desiste. An conjicies oculos tuos in illa, qua non sunt? Nam omnino facient sibi alas tanquam aquila que volat in Cælum. Esse dicitur propriè quod æternum est.* Bene ergò negat divitias esse. Nihil enim citius ac facilius perit: Ut aquila, ita avolant. Est autem aquilæ vo-

latus perniciosissimus. *Conjicere oculos David dixit, apponere cor; divitiæ si affluant, ne appone cor, pro eo quod est, ne animum tuum illis addicito.*

## CVI.

*Redemptio anime hominis opes ipsius.*

כופר נפש איש עשור, *Redemptio anime hominis divitiæ ipsius.* Prov. 13. 8. h. e. vitæ hominis. Homo pecuniâ vitam redimit vel bello captus vel latrocinio. Potest etiam sensus esse, *Qui donat pauperi, redimit animam suam:* ita explicat Ambrosius epist. 82.

## CVII.

*Non profunt opes in die ira.*

לא יועיל הון ביום עברה, *Non profunt opes in die ira.* Prov. 11. 4. Deo irato, putâ famis, aut belli, aut pestis tempore, nihil profunt opes. Non enim valent quicquam adversus mala illa.

## CVIII.

*Opes divitis sunt ei urbs valida.*

הון עשיר קרית עוז, *Opes divitis urbs roboris ipsius.* Prov. 10. 15. Vult dicere, sunt ei tanquam urbs munita: Nam & potentiam conciliant, & tuentur eum adversus incommoda paupertatis. In Sent. Græc. *Δύναμις πένουα τοῖς βροτοῖς τὰ χερήματα, sita in opibus mortaliū potentia.* Rursus qui opibus valent, etiam Authoritate plus possunt. Sed 18. 11. *opes divitis sunt ei urbs valida, & instar muri celsi imaginatione suâ.* Quidam pessimam opinionem induerunt de opibus suis: putant in iis satis firmum præsidium esse adversus casus humanos: sed falluntur. Nihil enim minùs firmum, nihil quod fortunæ telis magis expositum sit. Quem murum celsum imaginantur, stramineus est, qui simulac vel levem tempestatem senserit, corruit.

## CIX.

*Corona sapientum divitiæ ipsorum.*

עטרת חכמים עשור, *Corona sapientum divitiæ ipsorum.* Prov. 14. 24. Sapientibus divitiæ ornamento sunt, quia rectè iis uti nõrunt. Certè decus & autoritatem conciliant apud vulgum, qui alioqui sapientiam sub fordido palliolo latitantem contemnere solet. Egregiè Menander Græcus Poëta,

Μακάριος ὁ δὲ δὲ σὺν ἡμεῖς ἐξέει

Χρηταὶ γὰρ εἶσι, εἰς ἃ δὲ, ταύτην ἀλώσ.

Quæ sic Latinè reddit H. Stephanus,

Cui mens opesque sunt simul beatus est:

Hic namque ritè solus illis utitur.

## CX.

*Omnes via viri pura in oculis ipsius.*

Ea est natura hominum ut suæ cuique actiones puræ videantur, & ut ille ait,

Omnes videmur nobis esse belluli,

Et festivi saperda, cum simus σαπγοῖ.

Hoc indicabis istâ sententiâ. כל דרכי איש אך בעיניו. *Omnes via viri pura sunt in oculis ipsius.* Quæ plenè legitur Prov. 16. 2. *Omnes via viri pura sunt in oculis ipsius: sed expendit animos Dominus.* Paulò post in eodem capite v. 25. *est via recta coram viro; cuius extremum via mortis:* h. e. quæ ad mortem tendant. Dicit autem *via mortis, & non via:* quia plures viæ ad mortem, cum una tantùm sit, quæ ad vitam ducat.

## CXI.

CXI.

*Omnis præceps duntaxat ad egestatem.*

כל ארץ למחור, *Omnis præceps duntaxat ad egestatem, Prov. 21. 5. Qui ad divitias accumulandas celebritate præcipiti tendit, ad pauperiem redigetur. Sic Græci.*

μη σπεῦδε πλετείν, μη ταχὺ πένης γένη.

*Ne propera ditescere, ne cito inops fias. Nam qui properè ditescunt, rarò justè ditescunt; itaque in alio loco ait, ארץ למחור, Qui properat ditescere, non feres impunè. Prov. 28. 20. vel, si mavis, præceps ad ditandum se, non evadet impunè: q. d. non effugiet poenam, quæ constituta in divites injustos: quales sunt fere νεόπλεστοι, qui etiam vulgò malè audiunt. De his Hier. Dives, inquit, aut injustus, aut injusti hæres.*

CXII.

*Sapiens in oculis suis Vir dives.*

חכם בעיניו איש עשיר, *Sapiens est in oculis suis Vir dives. Hæc sententia conferenda cum illa Euripidis,*

ἔστιν δ' ἐν ὀφθαλμοῖς καὶ τὸ δὲ σὲν ὁρῶν ἔχων  
εὐψυχίας δόκησις, οἰόμεθα γὰρ  
τὸν εὐτυχῆνα πάντ' ἐπίστασθαι καλῶς.

*Nam qui fortunæ bonis abundat, etiam vulgò sapere videtur. Locus Salomonis reperitur Prov. 28. 11. Sapiens est in oculis suis vir dives: sed pauper intelligens eum explorat. In oculis suis, h. e. iudicio suo. Videtur, inquit, sibi dives pulchrè sapere, eò quòd divitias possideat, cum divitiæ non faciant hominem sapientem, aut virum bonum. Ideò pauper intelligens explorat an etiam sapientiam possideat, quam solam æstimat, & in pretio habet, ac divitias præ illa vili pendit.*

CXIII.

*Improbi pleni sunt malo.*

*Improbis bene esse nunquam potest: nam cruciantur semper animi conscientia; tum etiam poenæ timore, quæ aut afficiuntur, aut in metu sunt, ne afficiantur aliquando. Huc refer,*

Ἄνθρωπος πονηρὸς δυσουχὴς, καὶ ἐν εὐτυχίᾳ

*Miser est Vir improbus, felix licet. Verè igitur Socrates dixit improbus semper miseros esse, & Sophus noster Prov. 12. 21. רשעים מלאו רע, Improbi pleni sunt malo. Cicero pro Rosc. Amer. sua quemque fraus, & suus error maximè vexat: suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit, sive mala cogitationes, conscientiaque animi tenent. Hæ sunt impiis assidua, domesticaque furia, qua dies noctesque poenas à sceleratissimis repetunt.*

CXIV.

*Non accidet justo ullum malum.*

לא יאנה לצדיק, *Superiori adversum in eodem versu, כל און, Non accidet justo ulla iniquitas: hoc est, poena iniquitatis. Nunquam Viro bono quicquam mali evenire potest, nec vivo, nec mortuo. Ab hac mente est illud Siracidis Eccl. 3. 3. 1. φοβησάμεθα τὸν κύριον σὲν ἀπαλήσει κακόν, Dominum reverenti non accidet malum: & Græcum adagium, μηδ' ἀνανθα ἀμύζει τὸς ἀγαθὸς, i. e. ne spina quidem vulnerabit bonos.*

CXV.

*Iustus novit animam jumentisui.*

יודע צדיק נפש בהמתו, *Novit justus animam jumen-*

*ti sui. Vir bonus curam demittit etiam ad jumenta sua: quæ aliis ita committit, ut tamen ipse frequenter ea invisat, atque inspiciat, memor dicti equisonis illius qui ajebat; Nihil perinde saginare equum, atque oculum Domini.*

CXVI.

*Lux justorum læta est.*

אור צדיקים ישמח, *Lux justorum læta est. Prov. 13. 9. Felicitas justorum læta est, vel quia in lætum finem exit, secùs quàm felicitas improborum quæ semper exitum tristem habet; vel quia quotidie incrementum capit, juxta id quod legitur Prov. 4. 16. Semita justorum sicut lux splendens, pergens lucere usque ad plenum diem. Lætum enim in Metaph. quod augefcit, ut læta segetes.*

CXVII.

*Justitia firmatur solium.*

בצדקה יכון כסא, *Justitia firmatur solium. Prov. 16. 12. h. e. Regnum. Nam Regnum sine Justitiâ tyrannis est, quæ nunquam diuturna Seneca Thyeste,*

*Ubi non est pudor*

*Nec curia juris, sanctitas, pietas, fides,*

*Instabile Regnum est.*

*Scitum illud, Jus est aquitas vincula Civitatum; addo & Regnorum.*

CXVIII.

*Dulcedo labiorum auget doctrinam.*

*Quò quisque disertior, hoc habetur doctior & eruditior. Certè minùs intelligere vulgò æstimatur, qui id quod scit commodè eloqui non potest. Eò pertinent verba illa, מתק שפתים יוסיף לקח, Suavitas labiorum addit doctrinam, Prov. 16. 23. Præclare in officiis Cicero, Magna est, inquit, admiratio copiosè sapienter que dicentis, quem qui audiunt, intelligere etiam & sapere plus quàm ceteros arbitrantur.*

CXIX.

*Non decet fatuo labium excellens.*

*Ubi videbis hominem nequam, in dicendo tamen excellentem disertumque, conveniet illud לא נאור לנגבל שפת יתר, Non decet stulto labium excellens. Prov. 17. 7. h. e. sermo facundus & eloquens. Eloquentia, inquit, non decet hominem improbum. Quapropter? quia eà rectè uti non potest. Plus dico, quòd eloquentior, hoc perniciosior civis patriæ vivit. Nam cœleste ac divinum illud donum, quod ad salutem & conservationem à Deo datum, ad bonorum pestem, perniciemque vertit.*

CXX.

*Spes prorogata agrum facit cor.*

*Animo ægrè est, cum id, quod sperat, tardè consequitur. Nam quamdiu sperat, sollicitus est expectatione futuri. Hecato apud Senecam, Desines timere, si sperare desieris. Verissimè igitur Salomo. Prov. 13. 12. תוחלת לב, Spes dilata agrum reddit cor. Ut hoc intelligas, sciendum est spem & metum pariter juncta esse. Nam qui sperat, etiam metuit ne non sperata consequatur. Metus sollicitudinem habet, quæ animum cruciat curâ futuri. Spes ergò quòd diutius differtur, eò magis torquet: torquet autem non per se, sed propter adjunctum metum, ut diximus. Nam & qui sperat, & qui metuit, futuri expectatione sollicitus est. E contra,*

## CXXI.

*Arbor vita cum adsunt optata.*

עץ חיים תארת באר, *Arbor vita desiderium quod venit.* Ibid. Hoc est, cum adsunt cupita. Quod delideranti obtigit, oprantique, hoc ei jucundissimum est. Quadrat cum illo, *Cum adsunt optata, id animo suave est.*

## CXXII.

*Qui sectatur otiosos, amens est.*

מרדף ריקים חסר לב, *Sectatur otiosos deficiens corde.* Prov. 12. 11. vel magis, *qui sectatur otiosos, corde deficiat.* Planum est. Qui propter delidiam, inquit, in otio vivit, despirat. Nam radix omnium malorum, sive ut nostri dicunt, pulvinar Diaboli, est desidia: cujus blanditiis virtus paulatim evicta segnescit.

## CXXIII.

*Pigri cupiditas ipsum occidit.*

תארת עצל תמיתנו, *Cupiditas pigri occidit ipsum.* Piger enecat se apperendo mercedem laboris, cum tamen laborare pigretur: vel sic, piger concupiscit, v. g. divitias. Non fit voricompos: ea res ipsum enecat. Prov. 21. 25. *Desiderium pigri occidit eum, quia renuunt manus ipsius operari.* Hinc capies quod ait 13. 4. *Concupiscit, & nihil est, anima pigri.* Vult dicere, frustra ac ne quicquam concupiscit, ita est sanè: vigilando, agendo, laborando, quæ utilia sunt parantur, non optando.

## CXXIV.

*Bona auditio ossa saginat.*

מאור עינים שמח לב שמיעה טובה תדשו, *Lumen oculorum cor exhilarat: bona auditio ossa saginat;* Prov. 15. 30. Licet etiam vertere, *bona fama ossa saginat.* Symmachus lib. 3. epist. 45. *Verax res est famam esse velocem: sed dissensio à Mantuano; qui eam putat in malis debere numerari. Nam quid hæc præclarior, cum letis nunciis rigat aures, & mentem bonorum.*

## CXXV.

*Nosce Deum.*

בכל דרכיך דעהו והוא ישר ארחתיך, *In omnibus viis tuis nosce eum, & ipse diriget semitas tuas.* Prov. 3. 6. Ad vitam sapienter instituendam caput est nosse Deum. Ut ergo rectum iter teneas, committe te Deo: eo comire atque Duce pertende: nunquam aberrabis. Coeterum ut Deum noscas, prius te ipsum nosce. Non potest Deum cognoscere nisi qui in sui cognitione diu exercitatus & eruditus est. Frustrà ait Bernardus, *cordis oculos erigit ad Deum, qui nondum idoneus est ad videndum seipsum.* Prius enim necesse est, ut cognoscas invisibilia Spiritus tui, quam possis esse idoneus ad cognoscendum invisibilia Dei: & si non potest cognoscere te, ne præsumas apprehendere ea quæ sunt supra te.

## CXXVI.

*Qui pauperibus largitur non egebit.*

נותן ל-ש אין מחסור, *Qui pauperi dat, ei non erit egestas.* Prov. 28. 27. Qui in pauperes beneficus est, nihilo minus egebit. Imò in horum usus qui sunt sumptus, danti lucro sunt magis quam detrimento. Nam in paupere atque egeno quæstus est omne quod impen-

ditur. Alphonfus Siciliae Rex interrogatus quid servaret sibi, qui tam multis tam multa donaret, *Ea,* inquit, *qua dono: cætera in meorum numero non habeo.* Hoc verissimè dixerit qui sua pauperibus tribuit: nec tam bene collocatur pecunia, secundum Cyri dictum, apud amicos, quam deponitur apud inopes, ubi nec fur eam auferre potest, nec arugo corrumpere.

*Extra fortunam est quicquid donatur agris.*

Id enim verius censuerim, quam, ut ille ait, *amicis.* Nam amici divites esse possunt. Porro in divite & opulento si quid impendatur, sumptus est. Hoc ait Prov. 22. 16. *Qui dat diviti, duntaxat ad egestatem.*

## CXXVII.

*In auribus stulti ne loquere.*

באזני כסיל אל חדר, *In auribus stulti ne loquaris,* Prov. 23. 9. h. e. audiente stulto. Sequitur, *Nespernat intellectum verborum tuorum:* quod Græci reddunt, *τὰς συνετὰς λόγους σε,* tuos prudentes sermones. Admonet si res cum hominibus improbis, non esse cum iis multa verba facienda. Nam

*Ἀργαλέον φρονέοντα παρ' ἄφροσι πολλὰ ἀγορεύειν,*

Ut ait Theognis: præsertim de Virtute aut sapientia quam tales strenuè contemnunt.

## CXXVIII.

*Stultus labiis vapulabit.*

In futilem & inconsideratè loquentem quadrabit illud, *אויל שפתים ילבט,* *Stultus labiis vapulabit,* Prov. 10. 8. & 10. Quale est, quod Euripidem dicere solitum refert Lucianus in Pseudologista, *ἀχαλίων σομάτων τὸ τέλει δυστυχία γίνεσθαι,* oris effrenati finis infelicitas, Germanum planè *לוי מחתה לו בשק שפתיו*, qui divaricat labia sua, huic contritio erit, Prov. 13. 3. Quod alius retulit, *Qui labiis est fusilibus, huic conveniet infortunium.* Multis sanè exitio fuit os indomitum, dum spargunt voces per jugulum redituras, & levissimæ rei, ut ait Plato, verborum gravissimas pœnas sufferunt.

## CXXIX.

*Vindicta Deo relinquenda.*

אל תאמר אשלמה, *Hoc indicabis per hanc sententiam,* *אל תאמר אשלמה, רע קוה ליהוה וישע לך, Ne dicas, Reddam malum: expecta Dominum, & servabit te.* Proverb. 20. 22. Dixit enim ille, *mibi vindictam, & ego retribuam.* Ipsi profectò non debemus ulcisci dolorem nostrum.

-- quippe minuti

*Semper & infirmi est animi, exiguique voluptas*

*Ultio: continuo sic collige, quod vindicta*

*Nemo magis gaudet, quam femina.*

Ait Juvenalis.

## CXXX.

*Stultorum tranquillitas ipsos perdit.*

שלות כסילים תאבד, *Tranquillitas stultorum perdit eos.* Prov. 1. 32. Abundantem fortunam sapienti ferre arduum, stulto *ἀδύνατον.* Dicit ergo improborum res abundantes ac tranquillitas ipsi exitio esse, nempe cum ferre non possint, vincuntur ab iis & evertuntur. Quidam hic legit, *error stultorum perdet ipsos.* Non improbo. Nam præcedit, *aversio fatuorum occidit eos.* Sanè radix & principium omnis peccati est aversio à Deo, & error mentis non intuentis primum verum bonum.

CXXXI.

CXXXI.

*In femina quid laudandum potissimum.*

In uxore plerique dotem spectant; alii formam; pauci gratiam: sed nihil est tam laude dignum in femina, quam virtus & pietas. Hoc declarabis istâ gnomê, *Fallax gratia, & vana pulchritudo: mulier Domini reverens ipsa laudabitur.* Exstat Prov. 31. 27.

CXXXII.

*Responsio mollis frangit iram.*

Ita vetus Interpres convertit quod in Ebræo, רד ישיב חמה, *Responsio mollis avertit exandescenziam.* Porro ad vulgum nostrum manavit qui dicunt; *Verbulum molle sedat iram vehementem,* sententia est; *Commotum iracundiâ, licet magna fuerit, sedat lenis ac mitis oratio.* Ut ignem non restinguit ignis, sed aqua; sic bilem compescit mollis sermo. Ælchyli versus in Prometheo huic rei firmandæ sunt,

Ουκὲν προσηθεύ τῷ το γινώσκεις, ἄ τι ἀργῆς νοσεύσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι

Quos ira Latinos fecit tertio quæst. Tusc. Cicero.

Atqui Prometheu te hoc temerè existimo,

Orationem mederi iracundiâ.

CXXXIII.

*Sermo durus suscitât furorem.*

Exstat apud memoratum interpretem, Prov. 15. 1. Ceterum in Ebræo est, רכר עזב ועלה, *Sermo molestus accendit iram:* h. e. ἀνάλπει, verbum proprium in lucernis, quod Latine dicimus *accendere.* Vide Lev. 24. 2. Alii, *excitat iram.* יגרה, Sic Græci, λόγος δὲ λυπηρὸς ἐγείρει ὀργάς. Porro nihil tam bilem accendit, ac contumelia, quam pati prudentes & boni viri difficillimè possunt.

CXXXIV.

*Munus è sinu improbus accipit.*

In eum qui pretio addictam habet iudicii religionem h. e. in Iudicem improbum & δωροφάγον, quadrabit illud, שחד מחיק רשע יקח להטות משפט, *Munus è sinu (i. clâm) improbus accipit, ad pervertendum semitas iudicii.* Eâdem sententiâ docebimus improbum ac nefarium esse pecuniam accipere ob rem iudicandam.

CXXXV.

*Amor peccata operit.*

על כל פשעים תכסה אהבה, *Omnia peccata regit charitas.* Prov. 10. 12. Hoc naturâ est inlicitum, ut quem amamus & charum habemus, ejus vitia vel exculemus vel dissimulemus. Nam ut corporis nævos, sic crimina regit amor. Ita dico, qui amat, omnia in meliorem partem interpretatur, ut, qui odit, in pejorem.

CXXXVI.

*Celans peccata, querit amorem.*

מכסה פשעים מבקש אהבה, *Qui regit peccata, quarit amorem.* Prov. 17. 9. Amicorum (imò aliorum omnium, quibuscum nobis res est) vitia non ferenda modò sed etiam celanda. Qui hoc facit sibi amorem conciliat. Scitum illud, *Amici vitia noveris, non odervis.* Contrâ odium quærit, & amicitiam dissolvit, qui nihil celat, qui amicorum delicta ab uno ad alium defert, qui occulta in lucem profert. Rursus qui peccantem palàm reprehendit, ex amico inimicum facit.

CXXXVII.

*Omnes amici sunt viro munifico.*

כל הרץ לאיש מתן, *Quilibet amicus est viro munifico.* co. Prov. 19. 6. Qui multa donat, multos amicos parat. Omnes enim amant virum liberalem: contrâ immunem cives odere sui. Affine est, *Amici divitum multi: cui contrarium, etiam amico suo invisus est pauper.* Proverb. 14. 20. Sic Ovid.

*Si fueris felix multos numerabis amicos:*

*Tempora si fuerint nubila solus eris.*

Et Theognis,

Ἐγὼ μὲν ἔχοντι ἔμῃ πολλοὶ φίλοι· ἦν δὲ τι δεῖνόν

Ἐγκύρσῃ, παῦροι πῖσάν ἐχέσει νόον.

*Admonitio.*

De vulgi amicitia loquitur, quæ mercenaria est, non de propriè dicta amicitia, quæ gratuita est nec mercede evocata, ex quo illud,

μῖσθ' ἄγε ἀνδρωπόσις ἀνθρώπων φίλῃ.

CXXXVIII.

*Opes amicos conciliant.*

Diximus amicos divitum multos esse: id eatenus verum, si non avari ac sordidi, sed benefici & liberales fuerint. Vulgò enim homines meriuntur amicitiam commodo & utilitate sua. Itaque iis qui multum donant, amici sunt; quos deinde deserunt ubi nihil est quod dent. Nam cessante causa Amicitia, cessat ipsa. Ab hac mente capies quod ait Prov. 19. 4. וזו יסוף רעים וזו יפרך, *Opes addunt amicos multos: pauper ab amico suo disjungitur.* Eandem sententiam continet Senarius ille Græc.

ἐὰν δ' ἔχομεν χρημάτων, ἔσομεν φίλους.

Quem verum reperio

Habebo amicos, si habuero pecuniam.

CXXXIX.

*Deus, quem amat castigat.*

In morbo aut rebus afflictis non aliud certius solatium piis quam si intelligant mala, quæ patiuntur Indicia esse divini erga se amoris. Hoc igitur eis ingeres, eòque accommodabis hos versus, *Castigationem Domini, mi fili, ne averseris, & ne molestè feras correptionem ejus.* Nam, quem amat Dominus, corripit, nempe ut Pater filium, cui bene vult. Proverb. 3. 10. 11. Sensus est, *Quemadmodum Pater filium, quem amat, ita Deus eum quem diligit, castigat.* Seneca de Divina Providentia Cap. 1. *Cum videris bonos viros acceptosque Deo laborare, sudare, per arduum ascendere; malos autem lascivire, & voluptatibus fluere, cogita filiorum nos modestiâ delectari, vernaculorum licentiâ. Illos disciplinâ tristiori contineri, horum alii audaciam. Idem tibi de Deo liqueat. Bonum Virum in deliciis non habet; experiitur, indurat, sibi illum preparat. Etcap. 2. Paternum Deus habet adversus bonos viros animum, & illos fortius amat, & operibus, doloribus ac damnis exagitat, ut verum colligant robur; & cap. 4. Deus, quos amat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet. Eos autem, quibus indulgere videtur quibus percere, molles venturis malis servat. Haftenus Seneca. Diceret illum legisse locum hunc Salomonis.*

## CXL.

*Nomen improborum putrescat.*

In mentione hominis nequam, qui vitâ functus sit, dicunt, שם רשעים ירקב, *Nomen improborum putrescat*: contra.

## CXXI.

*Iusti memoria fausta.*

In mentione hominis pii adhibent illud, זכר צדיק לברכה, *Memoria iusti benedicta*. Quod breviter & in Epitoma scribunt, ז"ל. Hinc nata consuetudo, certè apparet, inter Christianos ut dicant *pia* aut *felicis memoria*, ubi sermo de iis, qui obierunt.

## CXXII.

*Lingua mendax ad momentum.*

Ufus proverbii in mendaces. Reperitur Prov. 12. 19. עד ארגיעה לשון שקר, *Usque ad momentum lingua mendax, sub. durat*. Ita est profectò. Nullum mendacium diuturnum: sed tandem patet, & emergit veritas. Hoc paulò aliter exulit Sophocles,

*Nullum ad senectam pervenit mendacium.*

Circumfertur & Menandri Senarius in hanc sententiam.

ψευδόμενος εἰς δὲ ἐλατθάνει πολὺν χρόνον,  
*nemo mentiens diu tectus latet.*

## CXXIII.

*Anima laborantis sibi laborat.*

Ubi quis opus aliquod facit coactus fame, aut victus necessitate, convenienter usurpabimus ex cap. 16. 26. נפש עמלה לו כי אכף עליו פיהו, *Anima laborantis laborat sibi, quia incumbit ei os suum*. (i. fames oris: Sic venter, fames ventris.) vult dicere, fames eum cogit ad hoc.

*Hominem experiri multa paupertas jubet,*

Ait Publius. Audiamus super hac re Manilium 1. Astron.

*Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemque Advigilare sibi iussit fortuna premendo.*

## CXXIV.

*Amat peccatum, qui amat lites.*

אהב פשע אהב מצר, *Amat peccatum, qui amat contentionem*. Prov. 17. 19. Vix est ut culpam effugiat qui litigat: neque omninò vanum quod vulgò dici solet, *Ubi duo inter se contendunt, ambos in culpa esse*: ita est sanè. Ut multiloquio juncta semper vanitas; ita litium comes assidua prævaricatio & culpa.

*Admonitio.*

*Lites amat, non qui litigat simpliciter, sed qui libenter, sed qui temerè & sine causa. Ufus ergò Proverbii in litium avidos.*

## CXXV.

*Cor letum medicinam adjuvat.*

לב שמח ייטיב גהר, *Cor letum bonam facit medicinam*. Nam ubi animo ægri est, ibi ars minùs valet. Sæpe etiam morbi ex animi tristitiâ oriuntur, quibus medicus mederi non potest;

*Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,  
Sanabit nullâ vulnera cordis ope.*

## CXLVI.

*Verbum mendax odit Iustus.*

Est viri boni ita odisse mendacium, ut nec unquam mentiatur, nec mentientes alios ferat toleretque, quin illicò eos reprehendat, si mentiantur. Hoc indicabis isto scito, דבר שקר ישנא צדיק, *Verbum mendax odit iustus*. Prov. 13. 5. Uti licebit de qualibet fallacia. Nam mendacii vocabulum apud Ebræos latissimè patet.

## CXLVII.

*Qualis Princeps, tales aulici.*

Dum Princeps adulari se sinit & aures patefacit calumniis, omnes ministros suos adultores & calumniatores facit. Ut hoc dicas, usui erit illud, *Imperans, qui attendit ad sermonem mendacem, omnes ministros suos habet improbos*. Prov. 29. 12. Nam qualis imperans, tales ferè subditi, & imperio parentes.

*Componitur orbis.*

*Regis ad Exemplum; nec sic inflectere sensus  
Humanos edicta valent, quàm vita regentis;*  
ait Claud. Paneg. in Honorii Consulatum,

## CXLVIII.

*Aperta reprehensio melior, quàm amor occultus.*

Aperta & amica objurgatio, licet odiosa sit, tamen utilior est occultâ charitate, quæ ad omnia amici vitia connivet, nec ea reprehendere audet. Hoc ait Prov. 27. 5. טובה תוכחת מגילה מאחבה מסתרת, *Bona est reprehensio aperta, quàm amor occultus*.

## CXLIX.

*Holera, ubi amor, anteponenda lautis epulis, in quibus odium.*

Qui hoc significare voler, usurpabit illud, טוב ארחת, *Melius est ferulum ex holere, ubi adest charitas, quàm bos saginatus, in quo sit odium*. Prov. 15. 17. *Ferulum ex holere, sive holusculi*, Plautus cœnam terrestrem dixit, quæ videlicet holeribus terrâ enatis constat. *Bos saginatus*, i. cœna lauta & opipara. Hoc vult, fatius est vivere cum amicis frugaliter, quàm cum inimicis opiparè.

## CL.

*Benefaciens pauperibus beatus est.*

מחונן עניים אשרוי, *Qui benignè facit mansuetis, ò beatus illum!* Prov. 14. 21. Qui habet quod det mansuetis, h. e. pauperibus, si dat propter & libenter, beatus est, juxta illud, *Beatus est dare, quàm accipere*. Etenim, Aristotele teste, *beata vita consistit in operatione secundum virtutem cum omnium bonorum sufficientia*. Dare autem liberalitatis est, cujus fructus itabilis & permanens, cum sit Virtus honestissima, ipsa verò honestas per se æterna. Sed de his aliàs, si Deus volet.

## CLI.

*Robur est via Domini integro.*

Judicia Domini hujusmodi sunt, ut ex iis viri boni verum robur colligant, mali autem certam perniciem. Ad hoc indicandum, laudabis illud. Proverb. 10. 29. מעז לתם דרך יהוה ומחתה לפעלי און, *Robur est via Domini integro, & contritio maleficis*.

CLII.

*Ne comede panem mali oculi.*

אל תלחם את לחם רעעין, *Ne comedas panem mali oculi.* Prov. 23. 6. *Abstine te quantum honestè potes, à mensa hominis sordidi nimumque tenacis ac restricti, qui ut Poëta, canit.*

*Quarrit, & invenit miser abstinet, ac timet uti.*

Nam quemadmodum timet uti bonis suis, ita cruciatur cum vider alios iis utentes, & licet aliquando invitet convivam ad edendum aut bibendum, non tamen bonâ fide, nec ex animo hec facit. Id Salomo indicat per hæc verba, *Comede & bibe dicet tibi, & cor ejus non est tecum.*

CLIII.

*Bellum consilio gerendum.*

Non viribus bellum geritur sed consilio & solertiâ ducum. Ad hoc significandum aprissimum illud בתחבלות, *solertibus consiliis gere bellum.* Exstat Prov. 20. 18. & aliis paulò verbis Prov. 24. 6. בתחבלות, תעשה לך מלחמה, *Solertibus consiliis facies tibi bellum.*

CLIV.

*Benefaciendum citò.*

אל תאמר לרעך לך ושוב ומחר אתן ויש אתך, *Ne dic proximo tuo, unde & redi, & cras dabo tibi, cum sit penes te.* Prov. 3. 28. Quod potes, da citò: nam bis dar, qui citò dat, juxta Proverbium. Plus dico, Qui cunctanter dat, videtur non libenter dare. Propriè enim est libenter facientis, citò facere. Tardè dare, nolentis est.

CLV.

*Sapientes avertunt iram.*

חכמים ישיבו אף, *Sapientes avertunt iram,* Prov. 29. 8. Vult dicere, placant Deum, Regemve iratum, & sedant furorem populi.

*Cum sepe coorta est*

*Seditio, savitque animis ignobile vulgus, ut ille ait.*

CLVI.

*Non est consilium contra Dominum.*

אין עצה לנר יהוה, *Non est consilium contra Dominum,* Prov. 21. 30. Frustrâ consilium initur adversus Numen. Deienim decretum nullo humano consilio impediri aut infringi potest.

CLVII.

*Odiù contentiones excitat.*

שנאה תעדר מדנים, *Odiù excitat contentiones;* Prov. 10. 12. *Nam qui odit, omnia in pejorem partem interpretatur, ex quo rixæ & contentiones. Hujus contrarium, Charitas regit omnia peccata.*

CLVIII.

*Qui confitetur & deserit, veniam consequetur.*

Ut dicas crimina non celanda, sed confitenda & deserenda esse, quadrabit illud לא יצליח, *Qui regit crimina sua, non aget prosperè; qui verò confitetur & deserit, veniam consequetur.* Prov. 28. 13. Ad sanitatem certis gradibus pervenitur: Primus gradus est Agnitio peccati. Alter est Confessio. Tertius est Emendatio vitæ in melius. Atque hæc imprimis necessaria ut sit vera confessio. Fru-

strâ enim confitetur, qui post confessionem tanquam canis ad vomitum, redit. Qui ergò confitetur crimina sua, eaque deserit, veniam consequetur à Deo. Deus enim misericors pœnitentem semper recipit in gratiam. Est autem pœnitentiæ verum indicium confessio non ficta. Nam ut somnium narrare vigilantis est, sic vitia sua ex animo confiteri verè pœnitentis est.

CLIX.

*Audi consilium ut sapiens fias.*

שמע עצה למען תחכם באהריתך, *Audi consilium ut sapiens fias ad extremum,* Prov. 19. 20. Adhibe in consilium eos, qui consilio valent, h. e. sapientes: quibus si obtemperabis, fiet tandem ut eorum similis, h. e. ut sapiens, evadas.

CLX.

*Cogitata consilio firmantur.*

מחשבות בעצה תכון, *Cogitationes consilio firmantur.* Prov. 20. 18. Si quid agere voles, agas prudenter & consulte. Si enim eventus sequetur qualem optas. Alibi ait, *Dissipantur cogitata absque consilio: at ubi multi consulti firma sunt c. 15. 22. q. d. Quæ consilio geruntur ea demùm rata ac firma sunt: contrâ, quæ sine consilio administrantur, in irritum, imò in risum sæpe abeunt. Quamobrem ita cecinit Menander.*

βελήν ἀπαντὶ πρᾶγματ' ἀπολύθαι

βελήν γὰρ ἔδεν ἐστὶν ἀσφαλές τερον.

*Consilium in omni praeat negotio*

*Consilio aliud hand esse tutius potest.*

Ἄνηρ ἀβελὴ εἰς κενὸν μοχθῆϊ ἰσέχων.

*Perdere Vir inconsultus operam omnem solet.*

CLXI.

*Simpliciter loquitur pauper.*

Quia videlicet est mericulosus. Nam ut divitiæ audaciam; ita paupertas timiditatem parit. Rei firmandæ est Theognis: ait enim

Πᾶς γὰρ ἀνὴρ πένεθ' δεδμημέν' ἔτε τε εἰπεῖν

οὐδ' ἔρξαι δύναιται, γλώσσα δὲ οἱ δέδειται.

Exstat Prov. 18, 23. תחנונים ידבר רש, *Supplicationes (i. suppliciter) eloquitur pauper.* Hujus antithesis in eodem versu,

CLXII.

*Dives respondet durè.*

עשיר יענה עזו, *Dives respondet dura, sive durè: h. e. ferociter, superbe, insolenter.* Nam divitiæ ferociam & insolentiam pariunt. Ubi ergò pauper loqui non audeat, ibi dives ferox est verbis & oratione.

CLXIII.

*Dissipantur cogitata absque arcano.*

הפר מחשבות באין סוד, *Dissipantur cogitata sine arcano.* Vult dicere, ubi consilia non sunt arcana & secreta. Suprà reddimus, *absque consilio.* Sed ne displiceat *absque arcano.* Consilia, inquit, quæ arcana non sunt irrita fiunt, & successu carent. Legitur Prov. 15. 22.

CLXIV.

*Ame consilium.*

לי עצה, *Quid sibi vult sapientia, cum ait Prov. 8. 14.* *Ame consilium?* Innumerabilia quotidie accidunt, quæ consilium exigunt, quod à sapientia petendum est. Pau-  
pet

per es, mihi crede, non diu eris, si eam audies. Dives es: advoca illum in consilium, verum usum divitiarum te docebit. Longam vitam desideras: præstabit tibi, si audiens dicto eris. Miser es: ostendit quo sint pacto ferenda adversa. Ab ea uxor admonetur officii: filius discit quâ sint ratione colendi Parentes: servus etiam quomodo se gerere debeat erga dominum suum. Docet denique quomodo loquendum cum Deo, vivendum cum hominibus, &c.

## CLXV.

*Apud consultos sapientia.*

את נועצים חכמה. *Penes consultos sapientia.* Prov. 13. 10. Qui benè consulunt, sapientes sunt. Nam proprium sapientiæ consilio pollere. Tales autem ferè sunt senes, quorum sententia optimis ac firmissimis rationibus nititur.

## CLXVI.

*Aqua profunda consilium in animo viri.*

מים עמוקים עצה בלב איש ואיש תבונה ירלנה. *Aqua profunda consilium in corde viri: vir autem intelligens haurit illud. Haurit, verto, non exhaurit.* Nam ut aqua profunda exhauriri facilè non potest; ita nec consilium hominis. Dat enim perenti, & nihil ei decedit, nihil amittit. Potest tamen verti, *exhaurit*, ut sensus sit. Consilium quod in mente viri, aquarum profundarum more, à nemine exhauriri & explorari posse, præterquam ab eo, qui prudentiâ & intelligentiâ præditus sit.

## CLXVII.

*Pauperum contritio ipsorum egestas.*

מחתת דלים ראשם. *Contritio tenuium egestas ipsorum.* Prov. 10. 15. Paupertas sæpe obstat quò minus ad ea, quæ sunt in civitate amplissima liceat pervenire. Nonnunquam impedimento est studio sapientiæ & virtutis,

Verissimè Juvenalis,

*Hand facile emergunt quorum virtutibus obstat*

*Res angusta domi----- & Naso,*

*Crede mihi, miseros prudentia prima reliquit,*

*Et sensus cum re, consiliumque fugit.*

His adde quòd furem & perjurum facit. Prov. 30. 9.

## CLXVIII.

*Amans voluptatis egentissimus fit.*

איש מחסור אהב שמחה. *Vir egentissimus, qui amat latitiam.* Prov. 21. 17. Sub. fit aut evadet. Homo lætitiæ amans, voluptatiq; obsequens, valde egebit, h. e. redigetur ad summam inopiam: carebit iis rebus, sine quibus ægrè vivitur, vel potius, nullo modo vivitur.

## CLXIX.

*Melior pauper viro mendaci.*

טוב רש מאיש כזב. *Melior est pauper viro mendaci.* Vir probus pauper melior est divite improbo. Sic ait Prov. 28. 6. *Melior est pauper ambulans integrè perverso duabus viis, eodèmq; divite: & 19. 1. Melior est pauper ambulans integrè, perverso labiis suis, eodèmq; stulto.* Præstat ergò egere quàm mendaciis & fraudibus rem facere.

*Admonitio.*

*Perversus duabus viis dicitur, qui simulatè & frau-*

dulenter vivit cum hominibus, qui aliud in ore habet, aliud in pectore clausum tenet.

## CLXX.

*Verte improbos, & non erunt.*

Si voles significare citò perituros improbos, prome ex cap. 12. 7. הפוך רשעים ואינם. *Verte improbos, & non sunt.* Id valet, citius quàm veritas eos, peribunt improbi. Nisi malis, evertentur, & desinent esse in vivis. Prius mihi probatur. Eadem sententia in illo כעבור ואין רשע סופה ואין רשע. *Sicut transit turbo, ita non est improbus.* Prov. 10. 25. vult dicere, perit ritu prætereuntis turbini, h. e. numero ac celeriter. In antithesi est, *Justus fundamentum æternum: cujus sensum hauries ex eo quod proximè subsequitur.*

## CLXXI.

*Justus in seculum non dimovebitur.*

צדיק לעולם כל ימות. *Justus in seculum haud quàm emovebitur.* Prov. 10. 30. Justus, quia in Deo fiduciam habet, ab eoque sustentatur, *in seculum*, h. e., quamdiu viveret, non dimovebitur de statu suo, nec succumbet ulli unquam homini, aut perturbationi animi, nec effertur secundis, nec debilitabitur adversis. Quamobrem sic canit Propheta David, *Posui Dominum ob oculos semper, ad dextram mihi est, non dimovebor.*

## CLXXII.

*Improbi ad justorum fores.*

Idem cum illo, *Incurvantur mali coram bonis.* Utrumque legitur Proverb. 14. 19. שדו רעים לפני טובים ורשעים על שערי צדיק. *Incurvantur mali coram bonis, & improbi ad portas justis.* Par est, ut boni malis imperent: mali autem bonis pareant & subjiciantur.

## CLXXIII.

*Cùm multi sunt Justis, gaudet populus.*

ברבות צדיקים ישמח העם. *Cùm multi sunt justis, gaudet populus.* Libentius enim sub bono um quàm sub malorum imperio vivit: itaque sequitur, במשול רעש יאנח עם. *cùm dominatur improbus, ingemiscit populus: & meritò. Civitas enim ore improborum evertitur, ut habetur Prov. 11. 11.*

## CLXXIV.

*Bono justorum Civitas exsultat.*

Vel, *cùm bene est justis.* Reperitur Proverb. 11. 10. בטוב צדיקים תעלון קריה ובאבוד רשעים רנה. *Cùm bene est justis, exsultat Civitas: at cùm pereunt improbi, cantat.* Deus reipub. situm in felicitate Justorum. Cùm igitur illis bene est, civitas gaudio completur. Eadem triumphat & cantibus personat cùm intereunt impii.

## CLXXV.

*Benedictione rectorum Civitas evehitur.*

Affine est, *בברכת ישרים תרום קרית.* *Benedictione rectorum evehitur Civitas,* Prov. 11. 11. Nam sensus est, cùm rectis benedicuntur; ut si dicas, cùm bene est rectis, aut felicitate rectorum. Nam *benedictio* felicitas, ut in illo, *Benedictiones super caput Justis.* Potest etiam exponi, *Benedictione rectorum,* h. e. bene dictis & bene factis. Sensum hunc sequentia maximè firmant. Florentissima,

issima, inquit, redditur Civitas operâ ac beneficio proborum, qui eam quibuscunque possunt modis provehant, publica semper privatis anteponentes. Atque hoc est quod Platonem dicere solitum accepimus, fore videlicet beatas Respub. si aut sapientes homines eas regerent, aut qui regerent, omne sum studium in sapientia collocassent.

CLXXVII.

*Qui errat in vino non sapiet.*

Legimus Prov. 20. 1. de vino, כל שגה בו לא יחכב, *Omnis qui in eo errat, non sapiet: quorum verborum hæc vis est, ut si diceret, Qui vino se inebriat, aut nimium ei deditus est, desipiet. Nam vinum, nisi modicè sumatur, sapientiam omnem, ut ita loquar, expektorat. Convenit cum adagio Latino, Sapientia vino obumbratur: item cum illo, Vinum clavo caret. Cui si millimum vulgi verbum in Belgio, ubi vinum intrat, ibi sapientia exit.*

CLXXVIII.

*Illiberalitas diris obnoxia.*

מעלים עיניו רב מארות, *Qui abscondit oculos suos, multus erit maledictionibus. Prov. 28. 27. Qui oculos à paupere claudit aut avertit, nec eum respicit, maledicetur multis modis. Primùm à Deo: deinde ab ipsis pauperibus: Non esse autem contemnendas omninò diras & imprecationes pauperum ostendit Jesus Sirachi F. Eccles. 4. 5. ita scribens, ἀπὸ δειμύων μὴ ἀποστρέψῃς ὁφθαλμόν, καὶ μὴ δῶς τόπον ἀνδρῶν πῶ καὶ ἀγαθὰ αἰσε, &c. Latine sic, Ab egente oculos ne averteris, nève dederis locum homini diris devovendi, aut detestandi te. Nam si te ille exacerbato animo detestatus fuerit, exaudiet ejus preces ejus Creator.*

CLXXIX.

*Beneficentia erga inimicos.*

Qui dicit benefaciendum esse inimicis, juxta Christi præceptum, usurpabit hos duos versus, Si esurierit inimicus tuus, ciba eum pane, & si sitierit, pota eum à qua. Nam quasi prunas coacervabis super caput ipsius, & Dominus rependet tibi. Prov. 25. 20. 21. Mens horum verborum, Benefac ei qui te odio prosequitur. Ita enim ures & movebis conscientiam ipsius, ut, vel ita nolit, te diligere cogatur. Quòd si perseveret in odio semel suscepto, ad eò etiam ut se ingratum præster erga te, non peribit beneficium tuum. Deus enim, qui iussit ut diligeres inimicum tuum, tibi rependet, quicquid in eum contuleris, ne dubita.

CLXXX.

*Corde pravus non inveniet bonum.*

עקש לב לא ימצא טוב, *Pravus corde non inventurus est bonum. Prov. 18. 21. q. d. miser erit. Nam qui omni bono caret, miser est. Vel hoc significat, Animus pravus ad virtutem non perveniet.*

CLXXXI.

*Iustos remuneratur bonum.*

את צדיקים ישלם טוב, *Iustos remuneratur bonum. Prov. 13. 21. Bonum, quod agunt Viri boni, eis gratiam referet: est enim uberrimum sui ipsius præmium Virtus. Quidam hic legunt, Iustis rependit bonum; & Deus subaudiunt: non planè rejicio.*

CLXXXII.

*Bonum inveniri in Dei verbo.*

מטביל על דבר ימצא טוב, *Qui attendit ad Verbum, inventurus est bonum. Prov. 16. 20. Qui attentè legic Verbum Dei, inveniet in eo quod rectum & honestum; & cum virtute est: inveniet, inquam, bonum, quod qui possidet beatus est. Verbum hoc loco sumitur pro Verbo Dei, ut sæpe aliàs in Salomonè.*

*Admonitio.*

Non malè etiam expones, *Qui rei suæ, sive negotiò attendit: ut sensus sit, qui circumspèctè agit negotia sua, ei bene omnia & ex animi sententia succedent.*

CLXXXIII.

*Bonum ex Prudentia.*

שומר תבונה למצו טוב, *Qui observat Prudentiam, inventurus est bonum. Prov. 19. 8. Nihil est homini prudentià melius, quam quisquis adhibet, ejus res omnes bonum & felicem eventum sortientur.*

CLXXXIV.

*Bonum integritate comparatur.*

תמימים ינחלו טוב, *Integri possident bonum. Prov. 28. 10. Si quis in colenda probitate totus est, feliciter admodum ac beatissimè cum eo agitur: vel sic, vitæ integrè actæ præmium est bonum, quod qui possidet, optimè cum illo agi existimatur, ac beatus est.*

CLXXXV.

*Vir bonus se ipso satiatur.*

Corde aversus viis suis, vir bonus à se ipso satiatur. *Prov. 14. 14. Homo reprobus, qui animum gerit à Deo aversum, non satiatur nisi malefecerit, nisi ad potentiam, nisi ad honores pervenerit. Nam divitiis nè satiatur quidem. Quid Vir bonus? Satiatur se ipso. Se enim contentus est. Extra se nihil in bonis habet præter Deum; sibi sufficit. Honores; potentiam; divitiis contemnit ac pro nihilo habet.*

CLXXXVI.

*Dictum tempestivum.*

Verbum in tempore dictum laudabimus versu 23: שמחה לאיש במענה פיו ודבר, *quasi sic habet, Latitia homini de responso oris sui: & verbum in tempore quàm bonum est. Tempus est ut silentii, ita sermonis quoque opportunum, sive occasio loquendi quam Græci ευκαιριαν vocant. Eam qui observat, bene facit: qui negligit, tamen appositè aliquid discat, ut eo jure lætari possit, tamen sæpe offendit ob neglectum loquendi, aut non loquendi opportunitatem: usque ad eò refert quo tempore quid à quoque dicatur aut non dicatur. Sapiens res est tempestiva oratio, & ipso silentio præstantior. Verbum in tempore, i. tempestivum, in tempore prolatum. Locutio ut, Custodia in nocte.*

CLXXXVII.

*Gratia auro præstat.*

נבחר מזהב הו טוב, *Optabilior auro gratia bonæ; Prov. 22. 1. In bona gratia esse apud Deum & homines melius est quàm aurum possidere.*

## CLXXXVIII.

*In serenitate vultus regii, vita est.*

בארור פני מלך חיים, *In lumine vultus regis, vita.* Favor Principum, quem declarant quoties nos lucido ac benigno vultu aspiciunt, vitam aliqua ex parte jucundam facit. Exstat Prov. 16. 15. *In luce regii vultus, vita; & velut nubes serotina, benevolentia ejus.* Sed quid nubes serotina? Significantius exprimas velut nubes pluvia serioris. Pluvia serior, quàm Malkos vocant, est quæ in Martio maturescens facit mox merendas segetes. Ea agricolis fructuosissima, ac proinde gratissima, esse solet. Alibi lego, *Ros super herbam benevolentia ejus.* Prov. 19. 12. Porro autem ros humor est, qui sereno cælo noctibus fit: is mox ac decidit, in pluviam resolvitur, quæ tellurem fecundam & uberem reddit. Idem præstat regia benevolentia hominibus: nam eos divites & opulentos facit.

## CLXXXIX.

*Ira Regis, ira Leonis.*

*Ira Regis, ira leonis, ut in Proverbiis habes.* Verba sunt Ambrosii epist. 82. Cæterum indicare voluit locum Salomonis, Prov. 19. 12. נהם ככפיר ועף מלך, *Rugitus instar leonini, ira Regis.* Hoc vult, Non minùs formidanda Regum ira, quàm rugitus leonculi, qui terribilis adeo est, ut dixerit Propheta Amos, *Leo rugit, qui non paveat?* Audi eundem Salomonem, Prov. 20. 2. *Rugitus instar leonini est terror Regis.* (quem videlicet incutit iis quibus succenset: ) qui eum provocat, peccat in animam suam, h. e. sibi vitæ periculum accersit. Audi & Heraclitum, *durum, inquit, est contendere cum animo irâ flagrante, propterea quod ematur hoc anima.* Sanè in discrimen vitæ incurrit, qui cum iracundo litigat.

## CXC.

*Contemnens socium suum, desipit.*

בו רעהו חסר לב, *Contemnit socium suum desiciens corde: vel, qui socium suum contemnit, corde deficit.* Is est amens qui alium præ se contemnit. Pauperior est: cur spernas? cum alii te multò diciores sint, à quibus tamen sperni nolis. Fac alteri quod tibi vis fieri.

## CXCI.

*Contemnit socium suum, peccator.*

Vel, qui contemnit socium suum, peccat. Nam in Ebraeo, בזלרעהו חסא, quæ verba ambigua sunt in utramque velis interpretationem. Rectè accipe qui contemnit socium suum, pro, alium quemvis. Cæterum peculiariter accipiunt enarrantes de paupere. Hunc contemnit, qui vacuum à se dimittit, cum habeat quod det. Peccat autem primùm in Deum. Nam quod pauperi negatur, Deo negatur. Deinde in ipsam humanitatem: humanum enim est egeno succurrere. Peccat quoque, qui contemnit hominem miserum & calamitosum. Nam quæ non accidunt culpâ nostrâ, ea non debent cuiquam vitio dari: multò minùs ob ea quisquam despici aut vili pendii. Quare contemnemus eum cui aliquid adversi evenit, cum idem nobis possit evenire? Verum enim est illud,

*Cuius potest accidere, quod cuiquam potest.*

## CXCII.

*Bonos à malis contemni.*

Ubi videbis Virum probum contemni ab improbo recordaberis olim dictum ab alumno sapientiæ, *Ambulat integrè Domini reverens, perversus viis suis contemnit eum.* Habentur hæc verba Prov. 14. 2. Homo, inquit, perditæ ac flagitiosæ vitæ, si videat integrè viventem, aut si moneatur à viro probò, contemnit eum. Nec mirum, cum ipsam etiam probitatem contemnat.

## CXCIII.

*Deus cor Regum inclinat quò vult.*

Qui hoc significare volet, appolire usurpabit illud, פלגי מים לב מלך ביד יהוה על כל אשר יחפוץ ישנו, *Divergia aquarum cor regis in manu Domini; quocunque voluerit illud inclinat.* Prov. 21. 1. Sensus est, ut aqua, ubi in diversas partes vergit, facillimè in quam velis cunque partem duci potest: Sic Deus cor Regum, nedum aliorum hominum, quocunque libuerit, inclinat.

## CXCIV.

*Omnibus vitam dat, omnes alit.*

דש ואיש תככים נפגשו מאיר עיני שניהם יהוה, *Pauper & vir fraudum occurrunt, illuminat oculos amborum Dominus,* Prov. 29. 13. Hunc locum illustrat Ciceronis illud, *Commoda quibus utimur, lucem quâ fruimur, Spiritum quem ducimus, à Deo nobis dari & imperitari videmus.*

## Admonitio.

*Vir fraudum, i. dives.* Nam dives aut injustus, aut injustus haeres, ut Vir sanctus ait.

## CXCIV.

*Operatur omnia propter seipsum.*

כל פעל יהוה למענהו וגם רשע ליום רעה, *Omnia operatus est Dominus propter semetipsum, etiam improbum ad diem malum.* Prov. 16. 4. Rectè ad hanc sententiam Seneca Oedipo,

*Quicquid patimur mortale genus,*

*Quicquid facimus, venit ex alto.*

## Admonitio.

למענהו Vide an possit reddi, propter causam suam: ut dicat nihil à Deo factum esse herive sine causa.

## CXCVI.

*Abhorret à moribus improbi.*

תועבת יהוה דרך רשע, *Abominatio Domini via improbi.* Prov. 15. 9. Facta improborum Deo displicent, adeo ut ab iis abhorreat non secus ac à re aliqua detestanda & abominanda. Paulò molliùs Poëta nescio quis,

*Nec facta impia fallacium hominum cælicolis placent.*

## CXCVII.

*Amat Viros bonos.*

מדרך צדקה יאהב, *Seclatorem justitiae amat,* Prov. 15. 10. Cum justus sit, amat eum qui Justitiam, h. e. Virtutem ac Pietatem colit. Seneca Philosophus, *Quisquis ergo justitiam sectari desideras, Deum time, & ama, & amaberis à Deo. Amabis autem Deum, si in hoc illum imitaberis, ut velis omnibus prodesse, & nulli nocere: & tunc te justum virum appellabunt omnes, sequentur, venerabuntur, & diligens.*

## CXCVIII.

CXCVIII.

*Quem probat, ejus inimicos ipsi pacat.*

ברגות יהוה דרכי איש גם אויביו ישלים לו, *Cum placent Domino via Viri, etiam inimicos ipsius conciliat ei.* Prov. 16. 7. Cum Deus approbat alicujus mores, aded gratiosum eum facit, ut qui ei prius inimici fuerunt, amici fiant.

CXCIX.

*Reddit unicuique secundum facta sua.*

השיב לאדם כפעלו, *Reddit homini secundum opus suum.* Prov. 24. 12. Est profectò Deus, qui quæ nos gerimus non solum audit & videt, sed etiam judicat; ac malum quidem facinus poenâ, bonum autem præmio afficit. Nec latuit hoc profanæ sapientiæ alumnos, quorum non nemo ita scribit, *Namque mihi pro vero constat, omnium mortalium vitam divino numine invisit: neque bonum neque malum facinus cujusquam pro nihilo haberi. sed ex natura diversa premia bonos malisque sequi.*

CC.

*Lucerna præceptum, & Lex lux.*

נר, מצורה ומורה אור, *Lucerna est præceptum, & Lex lux.* Sumptum videtur ex Nartheciis Davidis: fortè ex illo, *Lucerna pedibus meis Verbum tuum.* Sensus est, ut lucerna lucem facit in tenebris, sic verbum Dei lux est iis, qui errore mentis & ignorantia detinentur.

CCI.

*Sapiens corde admittit præcepta.*

הכב לב יקה מצות, *Sapiens corde admittit præcepta.* Prov. 10. 8. Cui cor sapit libenter paret Deo, ejusque Mandatis. Potest legi, *percipit præcepta*, ut sensus sit, præcepta sapientum, quæ stultus tardè, vel potius nunquam percipit, ea sapiens corde celeriter percipit, nempe quia solers & ingeniosus.

CCII.

*Argue sapientem, & amabit te.*

הוכח לחכם ויאהבך, *Argue sapientem, & amabit te.* Prov. 9. 8. Nam proprium Viri boni amare eum, qui ipsum admonuerit.

CCIII.

*Ne argue scurram, ne oderit te.*

אל תוכח לץ פו ישנאך, *Ne argue derisorem, ne oderit te,* ibid. E contra stulti & irrisoris est odisse eum, qui ipsum reprehenderit. Seneca, *Admoneri bonus animus gaudet, pessimus quisque correptorem asperrimè patitur.*

CCIV.

*Derisor non audit increpationem.*

לץ לא שמע גערה, *Derisor non audit increpationem*

Prov. 13. 1. Græci dicunt,

Ἀνθετήσων ἐσὶν ἢ πονηρία,

*Audire monita non solent ulla improbi.*

CCV.

*Qui derisorem castigat, sibi dedecus aufert.*

יוסר לץ לוקח לו קלון ומוכיח לרשע מוכו, *Qui castigat irrisorem, aufert sibi infamiam; & qui arguit improbum, id ei macula est.* Primum enim operam

omnem perdit, qui hoc facit. Siquidem ut modò dictum est, ἀνθετήσων ἢ πονηρία. Nam quia se peccare nescit, non admittit castigationem. Deinde ed abripitur interdum nequitia, ut etiam contumeliâ laceſſat monitorem suum. Indignatur enim se esse reprehensum, & ægerrimè fert, tanquam si affectus esset maximâ injuriâ. An tu censes non offendi admonitione, qui vitia sua virtutum loco numerat.

CCVI.

*Pœna sprete discipline.*

ריש וקלון פורע מוסר, *Paupertas & infamia ei, qui rejicit disciplinam.* Prov. 13. 18. In Græcis est, πεινῶν καὶ ἀτιμίαν ἀφαιρῆται παυδεία, *paupertatem & ignominiam aufert disciplina, (vel institutio.)* Parùm refert hoc an illo modo legas. Sanè quidem Ebræa dubia sunt in utramlibet lectionem.

CCVII.

*Servus est Stultus sapienti corde.*

עבד אויל לחכם לב, *Servus est stultus sapienti corde.* Prov. 12. 19. Ambiguum est quid hæc Salomonis verba significant, & videtur hoc dicere, stultum haberi à sapiente pro servo: est enim servus opinione sapientum omnis stultus, nec immeritò: serviunt enim libidinibus & cupiditatibus suis. Quocirca etiam Stoici stultos omnes servos esse definierunt. *In sapientia servum facit, non natura: nec manumisso liberum, sed disciplina,* ait Ambrosius epist. 7. Vide præcedentia. Sed meo judicio sententia est longè alia. Nam potius hoc dicit, stultus servit sapienti, aut servus fit sapientis. Cum enim stultus sit & negligens rerum suarum, facilè ed redigitur ut sapienti se in servitutem addicat. Sic ait, *Servus prudens dominabitur in filium pudendum* Prov. 17. 2.

CCVIII.

*Suum insipienti rectum.*

דרך אויל ישר בעיניו, *Via stulti recta in oculis ipsius,* Prov. 12. 15. Stulto rectum videtur quicquid agit, imò verò nihil rectum videtur nisi quod agit. Nam se solum sapere putat; ided neminem adhibet in consilium, ut sapiens, qui nihil facit sine consilio.

CCIX.

*Non in perpetuum opes.*

לא לעולם חוסן, *Non in seculum opes, sub. durant.* Prov. 27. 24. Divitiæ non diu manent apud eundem: citò abeunt, imò avolant; nihil enim fugacius. Quocirca vehementer desipiunt, qui in iis firmum prælidium collocant. E contra optimè sibi consulunt, qui licet divites sint, tamen id operam dant, ut artem aliquam addiscant. Nam ars eripi nunquam potest: neque naufragio, neque incendio amittitur.

*Admonitio.*

חוסן טורק: vel *Theſaurus*, qui & *Chasna*: quæ vox Turcis hodie in usu.

CCX.

*Dives nemo qui avarus.*

גבהל להון רעעין ולא ידע כי חסר יבאר, *Festinat ad opes malus oculus, nesciens obventuram sibi egestatem,* Prov. 28. 22. *Malus oculus, i. avarus, Huic ait obventuram*

turam egestatem: & verè. Nam avari, quoniam plus semper appetunt, nec ullâ copiâ expleri possunt, non modò non copiosi ac divites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.

## CCXI.

*Divitiis non fidendum.*

בוטח בעשרו הוא יפול, *Qui fidit divitiis suis, cadet.* Prov. 11. 28. Ut qui arundineo baculo innicitur, sic qui divitiis suis fidit, corruet destitutus fiducia suâ. Esset aliquod præsidium in divitiis, si certæ ac stabiles forent. Nunc cum incertæ ac fluxæ sint, citòque pereant, non est iis ullo modo innitendum.

## CCXII.

*Opes ex vanitate minuentur.*

הון מהכל ימעט, *Opes ex vanitate minuentur.* De vanis ac injustis opibus quotidie decessio fiet. Per fraudem aut maleficium parca magis minuentur quàm augebuntur. Quadrat cum illo;

Διαχρὸν κέρδιον ζημιαν αἰεὶ φέρει

*Turpe lucrum semper dispendio est.*

## CCXIII.

*Fraus in mensuris & ponderibus.*

מאזני מרמה תועבת יהוה, *Bilances fraudulentæ Domino abominationi sunt,* Prov. 11. 1. Stateras libræque fraudulentas, quæ videlicet rerum pondera, aut majora aut minora quàm sint, ostendunt, Deus detestatur. *Pondus & pondus, mensura & mensura, abominationi est Domino utrumque,* Deus detestatur dispar pondus, nec minùs disparem mensuram.

*Admonitio*

*Mensura* אִיפֶרָה *Epha.* Alibi est species mensuræ, hic pro quavis mensura ponitur. *Abominatio Domini lapis & lapis, & bilanx fraudulenta est res non bona.* Prov. 20. 23.

*Lapis & Lapis,* i. diversum sive inæquale pondus. Res non bona valet ut si diceret, res pessima. Tale est, *Agnoscere faciem in judicio non est bonum.* Nec dissimile illud Herodoti ex Melpom, *Καὶ ἐκλήνων ἢ τῶ ἀδερῆσάτω σοφιστῆ πρὸ δαγόνῃ.* Eiusdem generis sunt. *Non gaudet stulti pater: Non prosunt thesauri improbè parti.*

## CCXIV.

*Improbitas fraudulenta.*

אולת כסילים מרמה, *Stultitia stolidorum dolus,* Prov. 14. 8. h. e. dolosa, Stulti & improbi in nequitia sua fraudulentisunt. Est autem pessima nequitia, quæ latet in simulatione Virtutis, aut in aliquo nomine officii. Nam ab ea ægrè nos cavere possumus. Sed dico, *Improbi omnia dolo, nihil bona fide agunt.*

## CCXV.

*Furtum Parentibus factum gradus est ad homicidium.*

Gradus sunt à furto quod Parentibus fit ad furta alia: inde ad homicidium: Hoc mihi dicere videtur sapiens illo versu, *Qui diripit Patrem aut Matrem, negans esse crimen, is erit socius homicidæ.* aut, *fit socius homicidæ,* Prov. 28. 24. Alii aliter explanant.

## CCXVI.

*In eos qui Paci consulunt*

ליועצי שלום שמחה, *Consulentibus pacem, lætitia.* Prov. 12. 20. Pacem intellige, quæ sit expers fraudis & insidiarum, cujus finis semper lætus. Qui ergò ea consilia dant quæ ad Pacem & concordiam civium spectant, gaudio afficientur.

## CCXVII.

*In eos qui occultè malum alicui struunt.*

Si quando videbis aliquem, qui, ut Poëtæ verbis utar, ἐὸ δὲ ἀγορεύων, κατὰ δ' ἐν φρεσὶ βυσοδομῆναι, *pulchra eloquens, idem in pectore prava struit,* ibid. dici conveniet illud, *מרמה בלב חורשירע, dolus in corde fabricantium malum,* q. d. *Qui moliantur alicui malefacere, præsertim ubi vi nihil possunt, dolum comminiscuntur: sicuti præcipiebat Lysander, quò Leonina pellis non contingeret, eò contendendum esse astutâ vulpinâ.* Porro dolus hujusmodi rarò, vel potiùs nunquam, lætum exitum fortitur. Hæc sequentia declarant. Vide

## CCXVIII.

*In eos qui Parentes contemnant.*

כסיל אדם בזה אמו, *Stultus hominum contemnit matrem suam.* Prov. 15. 20. Parentibus nos primùm natura conciliat: quos contemnere hominis stulti est. *Ne contemnas, cum senuerit, matrem tuam,* 23. 22. Cujusmodicunque mater sit, tamen contemni non debet. Si æqua, amanda est; si iniqua, ferenda. Perditissimi autem hominis est eam contemnere propter senium *Oculus, qui ridet patrem, & spernit rugas Matris, eum effodient corvi torrentis, comedent filii aquila,* 30. 17. Parentes contemnere jura divina atque humana verant. Reperias nihilo fecius humanâ specie portenta veriùs quàm homines, qui tantum scelus facere non verentur. In eos sapiens supplicium singulare fore affirmat, videlicet ut oculos ipsorum effodiant corvi torrentis, & comedant aquilæ, sive pulli aquilini. Nam qui feritate ipsas bestias vicerint, eos à bestiis consumi atque devorari par est.

## CCXIX.

*Honos viro lite supersedere.*

Ad significandum, si quis litem finiat, & cum parte adverfa transigat, id ei gloriosum & honorificum fore, convenientissimum illud, *כבוד לאיש שבת מריב, Gloria viro supersedere lite.* Prov. 20. 3. Licebit usurpare de iis, qui litem deserunt, aut eâ omninò vacant. Nam id homini gloriosum quoque.

## CCXX.

*A Domino Uxor prudens.*

מיהוה אשה משכלה, *A Domino uxor prudens:* Prov. 19. 14. Uxor si bona sit, Dei munere dari creditur etiam vulgò. Menander asserit & malam à Deo esse, sed irato. Vide, *uxor bona.*

## CCXXI.

*Mulier strenua mariti corona est.*

Ut significes uxorem prudentem ac sedulam viri præcipuum ornamentum esse, usurpabis illud, *אשרת חיל עשרת בעלה, Mulier strenua corona est mariti sui.*

*fui.* Prov. 12. 4. vult dicere, ut corona gestantem decorat, ira strenua ac diligens uxor virum ornat. Ad Siracidem Eccles. 26. Contra.

CCXXII.

*Teredo ossium pudenda.*

כדקב בעצמותיו מבישרו, *Quasi teredo in ossibus pudenda.* ibid. Teredini aut colto similis est mulier improba. Nam ut teredo ossa corrodit, sic illa miserum maritum *חלואו פארי.* Nam paulatim consumit bona ac facultates ipsius. Sæpe etiam ipsum ad tabem adducit.

CCXXIII.

*In mulierem rixosam & iracundam.*

דלף טרד מדיני אשרו, *Stillicidium continuum rixa uxoris.* Prov. 19. 13. Plenius legitur 27. 15. *Stillicidium continuum die pluvio, & mulier rixosa equantur.* Et stillicidium & uxor (quidam furnum addunt.) domo extra tecta pellunt maritum. *Melius est degere in angulo tecti, quam cum muliere rixosa in domo communi.* 21. 9. Tecta Ebræorum olim plana erant. Quocirca qui intecto habitabat, sub dio habitabat aëris injuriæ expohtus: tamen id satius est quam habitare cum morosa & jurgiosa muliere. *Melius est habitare in terra deserta quam cum rixosa & iracunda muliere.* Prov. 21. 19. Tolerari poterat aliquo modo rixosa, nisi etiam iracunda esset. Simul ista quis toleret? Quod si ad insaniam potest viros adigere iracundia, quid non poterit in sexu infirmo.

CCXXIV.

*In meretrices.*

*Favum stillant labia peregrina, leniusque oleo palatum ejus.* Prov. 5. 3. *sed novissimum ejus amarum est velut absinthium; acutum ut gladius anceps.* *Peregrina,* h. e. meretricis, Plautus Truculento,

*In melle sunt lingua sita vestra atque orationes.*

*Laetæque corda felle sunt litæ, atque acerbo aceto.*

Et Cistellaria,

*Namque ecastor amor & melle & felle est fecundissimus.*

*Gustu dat dulce; amarum ad satietatem usque operit.*

*Fovea profunda est os alienarum: cui valde infensus est Dominus, cadet illuc.* Prov. 22. 14. Qui in meretricum blanditiis præcipitavit, pejus perit quam si in profundam foveam cadat. Sic alibi, nempe Prov. 27. 27. *Fovea profunda est meretrix, & puteus angustus peregrina: Etiam ipsa sicut prado insidiatur, & perfidos inter homines addit.* Etcap. 5. vers. 5. *Pedes ejus descendunt ad mortem, orcum gressus ejus prehendunt: semitam vitæ ne libes, moventur orbita ejus quod nescis.* Et, *Via ad inferos domus ejus, descendens in mortis penetralia.* Proverb. 7. 27. Ut via quæ ad inferos ducit iis qui ipsam insistant exitio est, ita meretricia domus exitio est omnibus, qui ipsam frequentant. Quamobrem & orci janua dicitur apud Comicum. *Ob mulierem meretricem ad frustum panis.* Prov. 6. 26. sub. homo redigetur: h. e. ad summam inopiam, sive ad mendicitatem: ac si diceret, cogetur mendicare frustum panis.

CCXXV.

*Bona intelligentia dat gratiam.*

שכל טוב יתן חן, *Intelligentia bona dat gratiam.* Prov. 13. 15. Qui valet intelligentiâ bonâ (nam mala quædam est) is gratiâ valebit, poteritque apud omnes plurimum. Quidam hic legunt, *Gratia dat successum bonum;* aliâ sententiâ, & verâ: nam apud quos gratiâ valemus, ab iis impetramus quæ volumus facillimè.

CCXXVI.

*Filius sapiens lætificat Patrem.*

בן חכם ישמח אב, *Filius sapiens exhilarat Patrem.* Sic discipulus sapiens lætificat magistrum. Sed quis sapiens? Verbo dicam, qui sapienter vitam instituit. Filius ergo sapiens est adolescens probus & diligens, parentum & magistrorum suorum reverens, & disciplinæ amans. Prov. 10. 1. *Filius sapiens lætificat Patrem, stultus merori est matri suæ.* Rursus 15. 10. *Filius sapiens lætitiâ affectit Patrem; stultus hominum vili pendit matrem suam;* & 29. 3. *Vir amans sapientiâ lætificat Patrem.* & 23. 24. *Valde exsultat pater justus.*

*Admonitio.*

*Patris matrisve nomine significant omnes eos, qui parentum appellatione continentur: tum etiam eos qui officio ac dignitate patres sunt, ut Magistratus, Pastores, Magistros, Tutores.*

CCXXVII.

*Et qui absimitur absque judicio.*

יש נספה בלא משפט, *Est, qui absimitur absque judicio.* Nimia largitio nulli magis nocet quam largitori. Absumit enim facultates ipsius, eumque miserum reddit & egenum. *Absque judicio.* Vult dicere, quod sua prodigar temerè & absque judicio. Vel sensus est, *absque judicio,* ob non rectè administratam rem familiarem. Vide quæst. 18. l. 3.

CCXXVIII.

*Serenti justitiam merces verâ.*

זורע צדקה שכר אמרת, *Serenti justitiam verâ merces.* Prov. 11. 18. Qui Justitiam colit, eum manet verâ ac solida merces, nempe vita æterna: vel sic, Nihil in vita hominis stabile: tantum remanet quod virtute & rectè factis sis consecutus. Hujus contrarium. *Improbis facit opus fallax.* Nam non consequitur operi sui mercedem veram, ac ne speratam quidem.

CCXXIX.

*Scientia intelligenti facilis.*

רעת לנכון נקל, *Scientia intelligenti levis.* Prov. 14. 6. h. e. facilis est, q. d. sine magno labore eam consequitur. Turpilius igitur illud apud Nonium, in *spissum, falsum & vanum,*

ita est;

*Verum haud facile est venire illò ubi ipsa est sapientia:*

*Spissum est iter, adipisci haud possis nisi cum magna miseria.*

Verba Salomonis in antithesi habent, *Quærit irrisor sapientiam, nec est:* nempe frustra ac ne quicquam eam quærit, cui mala mens, malus animus. Oraculum est effatus certè, qui dixit, *In malevolam animam non intrabit sapientia.*

## CCXXX.

*In Judicem injustum.*

מצדיק רשע ומרשע צדיק תועבת יהוה גם שניהם  
*Qui justum dicit improbum, & improbum justum abominatur Dominus ex aequo utrumque* Prov. 17. 15. Qui fontem absolvit, & in fontem damnat, utrumque æquè abominatur Dominus. Hoc convenit in Judices corruptos pecuniâ. Sic 24. 24. *Qui dicit fonti, justus es: maledicent ei nationes, detestabuntur ipsum populi.*

## CCXXXI.

*Liberatio ex adversis.*

Virum bonum vexatum morbo aut aliquo infortunio solabimur hoc dicto, יצא מצרה צדיק, Exit ex adversis justus, Prov. 12. 13. Vult dicere, si in morbo aut periculo aliquo fuerit, ex eo ope divinâ evadit: ita dico, cum in calamitate aliqua est, non diu manet in ea, sed liberatur divinitus. Quandoque accidit ut liberato justo in ejus locum succedat Improbus. Hoc ait 11. 8. *Justus ex adversitate liberatur, pro eoque venit improbus.* Nempe in eandem, aut parem, vel etiam majorem calamitatem. Est enim improbus quasi succidanea victima justi & viri boni.

## CCXXXII.

*Justo reposita sunt opes peccatoris.*

צפון לצדיק חיל חושני, *Recondita justo opes peccatoris*, Prov. 13. 22. Homo vitiosus parta aut relicta à parentibus per focordiam amittit: ea Vir bonus acquirit labore ac sedulitate. Nec id fieri putandum est sine divina prudentia, quæ malis sæpe adimit quod bonis largiatur.

## CCXXXIII.

*Præstantior est socio suo justus.*

יתר מרעהו צדיק, *Præstantior est socio suo justus*, Prov. 21. 15. Quod quisque melior hoc præstantior est. Proverbium admonet in honoribus & dignitatibus habendam esse rationem virtutis potius quam generis aut divitiarum.

## CCXXXIV.

*Gaudio est justo facere jus.*

שמחה לצדיק עשות משפט, *Lætitia est justo facere judicium*. Quod æquum & honestum est, id Vir bonus facit libenter & hilari animo. E contra,

## CCXXXV.

*Quasi ludus est stulto facere scelus.*

כשחוק לכסיל עשות זמרה, *Quasi ludus est stulto parare facinus*. Prov. 10. 23. Tanta est vefania stultitiæ ut vicia sua quidem ament, iisque delectentur, non secus ac re aliqua præclarâ. Tales Ambrosius asserit brutis animalibus deteriores esse: *Nonne, inquit, multis animalibus deteriores e. istimandi, qui se in flagitiis suis jactant, & putant insigne esse Virtutis, ubi lapsus est criminis?* Huc pertinet & illud *stultitia gaudio est desipienti*, Prov. 15. 21. Nec alienum, quod 14. 9. *delictum stulti pro joco ducunt.*

## CCXXXVI.

*Justitia evehit gentem.*

צדקה תרמם גוי, *Justitia evehit gentem*, Prov. 14. 34. Virtus extollit eam gentem in qua est: vel ita, Ju-

stitia, ex qua una virtute viri boni appellantur, ut ait Cicero, laudabilem facit, extollitque eam gentem in qua est.

## CCXXXVII.

*Probrum populorum peccatum.*

חסד לאמים חטאת, *Probrum populorum peccatum*, Prov. 14. 34. Vicia dedecori sunt iis populis in quibus reperiuntur. Ita videmus in omni natione & populo peculiana quædam vicia, quæ ipsos dedecorant, & ut Comico verbo utar, conclutulant. Aliæ edit. *Benignitas populorum peccatum*, i. piaculum sive expiatio peccati. Nam benignitas præfertim in miseris & calamitosos, ad eò grata est Deo, ut illi, qui ea utuntur pœnas peccatis debitas sæpe effugiant divinitus. Sic ait 16. 6. *Benignitate & veritate expiatur iniquitas*. Et Siracides Eccles. 3. 33. *Ut ardentem ignem restinguit aqua; sic peccata expiat beneficentia.*

## CCXXXVIII.

*Alta est fatuus sapientia.*

ראמות לאויל חכמור, *Alta est fatuus sapientia*, Prov. 24. 7. h. e. ardua. Haud facile est stulto pervenire eò ubi ipsa est sapientia: derisorii verò etiam ἀδύνατος est: unde ait, *Quarit derisor sapientiam, nec invenit*, Prov. 14. 6. Nam non admittit institutionem; deinde vicia sua ita amat, ut ea pro virtutibus habeat. Vide supra.

## CCXXXIX.

*Oculi stultorum in extremo terra.*

עיני כסיל בקצה ארץ, *Oculi stulti in extremo terra*, Prov. 17. 24. vagi ac instabiles sunt, & in longinqua feruntur. Hoc videtur dicere, stultorum cupiditas infinita est. Non expletur ullis bonis. Quòd plura habet, eò plura semper desiderat.

*Per mare, per terras currit mercator ad Indos, &c.*

## CCXL.

*Bonus hæredes relinquit filios filiorum.*

שוב ינחיל בני בניו, *Bonus hæredes relinquit filios filiorum*. Prov. 13. 22. i. nepotes. Quòd relinquat hæredes hoc ei per honorificum est, juxta illud, *Corona senum, filii filiorum*. Quòd hæredes relinquat, indicio est ipsum posse dere opes justas. Nam injustæ opes rarò ad hæredes perveniunt.

## CCXLI.

*Justitia tuetur integrum vita.*

צדקה תצר תם דרך, *Justitia servat integrum via*, Prov. 13. 6. hoc est, vitæ. Huc refert, *Justitia rectorum liberat eos*, Prov. 11. 6. Qui integrè vivit, secundum Justitiam vivit. Justitia, quatenus in se alias Virtutes complectitur, contraria est vitio. Qui ergò integrè vivit, eum Justitia servat, ac tuetur ab iis malis, quæ intemperantia cæteraque vicia hominibus adferunt.

## CCXLII.

*Justus largitur, nec parcat.*

צדק יתן ולא יחסר, *Justus dat, nec parcat*, Prov. 21. 26. Vir bonus ad naturam vivit: modico contentus est. Si re laura est, quod superfluit ad beneficentiam liberalitatemque confert. Valde enim est munificus in pauperes. Sumptum videtur ex illo Davidis, Psal. 112. 9. *Disper-*

*perfit, dedit pauperibus: Justitia ejus manet in sempiternum.*

CCXLIII.

*Cum surgunt improbi, delitescunt homines.*

*Cum surgunt: h. e. cum evehantur ad dignitates.* Prov. 28. 20. *Cum surgunt improbi, occultat se homo: cum autem isdem pereunt, multi sunt justi.* Pars postrema videtur hunc sensum continere; Cum Magistratu moventur mali, succedunt in ipsorum locum viri boni: ad quorum vitam se componunt ferè subditi eorum. Nam qualis Magistratus, talis populus. Si ergò boni in Magistratu amotis malis, brevi tota civitas eorum similes evadet, atq; ita multi erunt boni cives. Fortè hoc significat. Ex improborum supplicio populus emendat mores suos: siquidem ex eo colligit quid sibi sit cavendum. Quamobrem Seneca tria in animadversione Principi servanda monet. Aut ut eum quem punit emendet; aut ut poena ejus ceteros meliores reddat; aut sublatis malis securiores ceteri vivant. Si ergò Magistratus è medio tollent improbos, subditi meliores evadent.

CCXLIV.

*Spes improborum perit.*

*Cum accidet ut improbus spe sua frustretur, ac res aliter eveniant atque ille expectabat, non infestiviter adhibebimus illud* Prov. 10. 28. *תקות רשעים תאבד, Spes improborum perit: aut illud* Prov. 11. 23. *תקות רשעים עבררה, Spes improborum ira.* Nempe stomachum illis facit, quòd non consequantur rem speratam. Secùs accidet viris bonis: itaque ait, 10. 28. *Spes justorum læticia.* Nam spei compotes fiunt: inde læticia.

CCXLV.

*Justitia gratior Deo quàm victima.*

Conferto Justitiam cum sacrificiis. Sacrificia ritè facta Deo gratissima sunt, sed magis justitia & jus ipsum. Hoc significabit qui utetur hac proverbiali sententia, *Facere Justitiam & judicium acceptum est Domino, quàm sacrificium.*

CCXLVI.

*In divitiis.*

*טוב מעט בצדקה מרב תבואות בלא משפט, Bonum est modicum cum Justitia, quàm multi proventus absque aequitate,* Prov. 16 8. *Modicæ opes, si justæ fuerint, longè præstant magnis facultatibus quas iniquitas peperit.* Nam tales facultates rarò diu durant. Ut paratæ sunt, ita dispereunt. Justæ opes se tuentur in ævum.

CCXLVII.

*Pigrum ad laborem hortantis.*

*Vade ad formicam, piger, considera vias ejus, ut sapiens fias. Cum non habeat Ducem, Præfectum, nec Gubernatorem; tamen parat in æstate cibum suum; congerit in messe alimentum suum,* Prov. 6. 7. 8. *Si quis imprimis formicarum naturam consideret, non parvam sedulitatis materiam inde comparabit. Tradunt enim scriptores non solum interdum verum etiam noctu laborare formicas, magnòque nixu per eandem semper viam & ad eundem locum, in quo cætera reposuerunt, pedibus illa tam vasta semina volutare. Hanc formicarum industriam ira describit Horat. lib. 1. sat. 2.*

Sicut

*Parvula (nam exemplo est magni formica laboris) Ore trahit quodcumque potest, atque addit acervo, Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri. Quæ simul inversum contristat Aquarius annum Non usquam proreperit: at illis utitur anse Quæ sitis sapiens.*

Meminit & Virgil. Æneid. 4.

CCXLVIII.

*Laceras induet dormitatio.*

*קרעים תלביש נומה, Laceras induet (vel si mavis, induit) dormitatio.* Prov. 23. 20. *ubi vestes subaudiendum, ut sit laceras vestes.* Homines ignavi, præterque modum otio ac somno dediti, eò tandem deveniunt inopiæ, ut unde honestè vestiantur non habeant: itaque incedunt pannosi, ac fordidati, tritisque ac laceris induti vestimentis. Quæ vestimenta signa sunt extremæ paupertatis, quam nonnullis somniculosa & oscitans desidia parit. Cæterum quia crapula efficit homines somnolentos atque aded pigros; propterea sapiens, cum dixisset potatores & liguritores fieri pauperes, subjicit, & *laceras induet dormitatio.* In Græcis est, *δύσεται διεπρηγυγμένα καὶ παρώδη πᾶς ὑπνώδης, & vestietur diruptis & laceris omnis somnolentus.* ἐν παρῶδω dicam, *Quemadmodum pigris designat somnus; ita etiam dormitatio, quæ, נומה, vel תנומה dicitur.* Itaque Jesaias taxans episcoporum sui temporis ignaviam, eos vocat *taxans episcoporum sui temporis ignaviam, eos vocat* אהבי תנומה: q. d. *amantes dormitationis,* Jes. 56. 11.

CCXLIX.

*In nuntium aut Legatum pigrum.*

*In pigrum, qui aliquò missus moram longiorem ibi trahit, dici conveniet illud, Quod acetum dentibus, & fumus oculis, id est piger mittentibus ipsum,* Prov. 10. 26. *vult dicere, æquè molestus est. Nam diutius quàm par est, emanet, sequitur ut expectantibus molestus sit. Omnis enim mora expectanti molesta & gravis.*

CCL.

*Ob frigus piger non arat.*

*מחרף עצל לא יחרש, Ob frigus piger non arat.* Prov. 20. 4. *Qui non arat, non serit: qui non serit, nec metet: sequitur ut messis tempore esuriat, & si aliquid petat, non adipiscatur: ided sub-jicit, peter in messe, & nihil erit, q. d. quia non arat, non habebit quod edat. Sed vide mihi causam ignaviae. Propter frigus, inquit, non arat. Prætextus est, non justa causa. Sic multi adolescentes, quòd sint in otio, aut frigus aut æstus nimium prætexunt.*

CCLI.

*In somnolentos & pigros.*

*Pigritia injicit soporem, & anima ignava esuriet.* Prov. 19. 25. *Pigritia somnum, somnus pauperiem parit, juxta illud, Paululum somnorum, & paululum dormitationis, paululum complicationis manuum ad cubandum. Interim veniet tanquam viator paupertas tua, & egestas tua ceu vir clypeo munitus (i. tanquam miles: q. d. veniet militari gradu, h. e. celeriter.)*

CCLII.

*Non torreat ignavia venationem suam.*

*לא יחרק רמים ציד, Non assabit ignavia venatio-*

*nem suam.* Prov. 12. 27. h. e. feram quam cepit in venatione. Nam *ignavia* hic sumitur pro *ignavo*. Porro intelligentiam habet ex illo, *Abscondit piger manum sub axilla: etiam ad os suum non refert illam.* Prov. 19. 24. Quidam legunt, *Non assabit fraudulentia venationem suam:* ac si diceret, *Per fraudem parra prius dilabentur quam iis uti, frui poterit fraudis Autor.*

## CCLIII.

*Testis verax non mentitur.*

*Testis verax non mentietur: sed constat mendacia testis mendax.* Proverb. 24. 5. Qui testis in iudicio nunquam mentitus est, nec in aliis rebus facile mentietur: contra, Qui semel falsum testatus est, facile in levioribus rebus mentietur. Vel sic, Qui à Veritate nunquam deflexit, nec in iudicio mentietur. Qui verò mentiri consuevit hic non majore Religione ad falsum testimonium quam ad mendacium perduceretur.

## CCLIV.

*Non decet virum principem labium mendax.* לֹא נְאוֹת לְנִידִים שְׁפֹתָשָׁקֶר, *Non decet muniticum labium mendax.* Prov. 17. 7. Nihil est turpius vanitate ac mendacio, præsertim in Principibus & Rempub. gubernantibus.

*Admonitio.*

*Munifico* aut *benefico*, εὐεργήτης. Ita vocantur Principes, quia eos maximè decet beneficentia & liberalitas. Huc respexit Christus Luc. 22. 25. inquit, *Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in eas, benefici vocantur.*

## CCLV.

*Apud molestos sapientia.*

אֵת צְנוּעִים חִכְמוֹהָ, *Cum modestis sapientia.* Prov. 11. 2. Pars aliqua sapientiæ; modestè & exiliter de ipso sentire.

## CCLVI.

*Non est Regum potare vinum.*

אֵל לְמַלְכִים שְׁתוּ יַיִן, *Neuriquam est Regum, potare Vinum.* Prov. 31. 4. Non debent se vino inebriare Principes & Rempub. gubernantes. Nihil quippe minus convenit, ut ait Plato, quam ebrium esse eum, qui alios custodiat. Nam ridiculum profectò est custodem custodis indigere.

## CCLVII.

*Irrisor vinum, tumultuosa sicera.*

לִיץ הַיַּיִן הַמָּה שִׁכְרָה, *Irrisor vinum, tumultuosa sicera,* Prov. 20. 1. h. e. vinosus. Aut *irrisor Vinum*, quia irrisorem hominem facit. Sic *tumultuosa sicera*, ut *pallida mors*. Figura Grammaticis nota. Quod sequitur, *qui in eo errat, non sapiet*, antea enarratum fuit. Vide, & adde locum Hoteæ; quid ad membrum illud valde facit, *scortatio, Vinum, & mustum, auferunt cor.* Item Menandri,

ὁ πολὺς ἀνθρώπου ὀλίγη ἀναγκάζει φρονεῖν.

Sanè temperantia Græcis definita conservatrix mentis & prudentiæ. Est enim anima sicca, ut dici solet, sapientissima. *Ebrietas*, inquit Augustinus, *auferit memoriam, dissipat sensum, confundit intellectum, incitat libidinem, omnia membra debilitat, vitamque exterminat.*

## CCLVIII.

*Vini amans non ditescet.*

אֲהַב יַיִן וְשִׁמְוֹן לֹא יִשְׁתַּיֵּשׁ, *Hoc est, pauper fiet.* Prov. 21. 17. *Qui amat vinum aut unguentum, non ditescet.* Sensus est, Qui vino ad ebrietatem, unguento ad luxum utitur, pauper fiet. Nam utrumque loculos exhaurit.

## CCLIX.

*In pauperes & afflictos.*

כָּל יְמֵי עֲנִי רַעִים, *Omnes dies pauperis mali sunt.* Prov. 15. 15. omnibus modis qui pauperes sunt homines, miseri vivunt, præter qui contenti forte suâ animo sunt æquo ac perturbationum vacuo. Tales non minùs beati sunt quàm illi, qui quotidie hilaria celebrant. Sed melius interpretari, *Omnes dies afflictos.* Nam afflictio paupertatem in se continet, & est dictum generale, quod explicamus suprâ. Vide, *Latius corde convivium juge.* רַשׁ לֹא שָׁמַע גְּעֵרָה, *Pauper non audit increpationem.* Prov. 13. 8. Peccantem pauperem rarò quisquam reprehendit, quia videlicet ab omnibus contemnitur: nemo illum curat.

## CCLX.

*In mæstos, aut sollicitos.*

*Mæror in corde hominis ipsum deprimat: oratio bona ipsum exhilarat.* Prov. 12. 25. Animum planè deicit frangitque mæror eundem exhilarat oratio consolantis, depulso mærore. Quod isto proverbio innotuit; *Animi aegrotantis medicus est oratio.*

*Græcè venustius,*

ψυχῆς νοσῶσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.

*Potest legi, sollicitudo in corde hominis ipsum deicit.* Nam sollicitudo quoque cor exedit conficitque curis.

## CCLXI.

*In taciturnos.*

חֹשֶׁךְ שְׁפֹתַי מִשְׁכִּיל, *Qui cohibet labia sua prudens,* Prov. 10. 19. Prudentis est cohibere labia sua, h. e. neque plus, neque minus loqui quàm oportet. Huc refer, *Qui custodit os, custodit animam:* de quo aliàs,

## CCCXII.

*In Iracundos.*

בְּעַל הַמָּה רַב פֶּשַׁע, *Qui facile excandescit, multum peccat.* Prov. 29. 22. Qui ad iram pronus est, nisi animum regat, multum ac sæpe peccat. Nam cum ira nihil rectè, nihil consideratè fieri potest. Dices naturæ esse irasci, aut plerumque causæ. Sic ira; hominis est tamen imperare iracundiam, nec leonino raptari furore, nec ferere aut acerbare familiare jurgium, ait Ambrosius epist. 82.

קָצֵר אַפִּים יַעֲשֶׂה אוֹלָת, *Pronus ad iram stultè facit.* Prov. 14. 17. Qui iram non habet in potestate, omnia insipienter agit. Adimit enim iudicium ira, ut quid rectum quidve æquum sit homo videre non possit.

קָצֵר רוּחַ מְרִים אוֹלָת, *Præcepto animo effert stultitiam.* Prov. 14. 29. h. e. magnam stultitiam designat. Qui animo ad iram præceptus est, ab eo nihil fieri potest, quod non sit stultissimum.

אִשׁ אֵף יִגְרַהֲמֹן, *Iracundus excizat contentiones,* Prov. 29. 22. אִישׁ חִמְרָה, *iracundus, reperies & videlicet 15. 18. Proprium est iracundi cum temerè iram effera-*

efferatur, temerè lites & jurgia suscitare. Sic dico, Cùm re levissimâ offendatur, nec animum regere possit, facillè occasionem dat contentionum & rixarum.

גדל חמה נשא ענש, *Magnus excandescentiâ suffert poenam.* Prov. 19. 19. Qui cum furore aliquid facit, poenam luit, dum vel ipsum poenitet facti, vel stultitiæ suæ (nam furor nihil sapienter agit) supplicium debitum persolvit.

Exemplum ex Q. Contio.

Irâ vehementi accensus Alexander Clytium nutriticis suæ filium, à quo fuerat ad Granicum amnem servatus, hastâ transfixit: cujus magnitudinem facinoris serâ æstimatione perpendentem, posteaquam ira defuerat, tanta poenitentia subiit ut eandem hastam è corpore jacentis evulsam in semetipsum retorserit, patraturus novam cædem, nisi advolantes vigilantes eam repugnanti è manibus extorsissent Curtius lib. 8.

CCLXIII.

In Veritatem.

שפת אמת תכון לעדועד, *Labium verax stabile est in ævum.* Prov. 12. 19. Tantam potentiam veritas habet, ut nullis unquam machinis, aut cujusquam hominis ingenio aut arte subvertatur.

CCLXIV.

*Nihil molendum adversus amicum aut socium.*

Ne machinare malum adversus amicum tuum, eum is agat apud te securè, (vel cum fiducia) Proverb. 3. 29. quod interpretes dixit, cum ille habeat in te fiducia. Nemo ferè credit nisi ei quem fidelem putat. Quin habita fides plerumque obligat ipsam fidem. Perditissimi est igitur hominis, ut ait Cicero, simul & amicitiam dissolvere, & fallere eum, qui loquax non esset nisi credidisset.

CCLXV.

*Celandum arcanum, etiam in lite.*

Litiga litem tuam cum proximo tuo, & arcanum alterius ne reterege, Prov. 28. 8. Si tibi lis aut jurgium fuerit cum aliquo, ita age causam tuam, ut arcanum ipsius aut alterius cujuscunque non patefacias. Nam qui arcanum sibi commissum celare non potest, aut futilis est aut delator. Futilis, quia nihil continere potest, hâc illâ perfluens. Delator, quia scriptum dilertè, Prov. 11. 3. qui delatorem agit, arcanum revelat. Quod etiam legitur 20. 19. Præterea infamiæ notam sibi inurit sempiternam: unde sequitur; Ne probro te afficiat audiens, & infamia tua non recedat.

CCLXVI.

*Non litigandum temerè.*

Ut hoc scitè dicas, me Authore usurpabis illud, Ne litiga cum homine sine causâ, si non te malo affecerit. Prov. 3. 30. Nisi injuriâ affectus non debes cuiquam litem movere. Qui temerè litigat, sibi ipsi damnum aut malum accersit.

CCLXVII.

*In sortes.*

Qui significabit sortes regi divinitus, accommodabit illud, בחיק יושל את הגורל ומיחהו כל משפטו, *In sinum conficitur fors: sed à Domino omne iudicium ejus.* Prov. 16. 33. Mens proverbii, fortis ratio universa, etiam si fortuita maximè videatur, tamen Dei providentiâ regitur ac gubernatur.

CCLXVIII.

*In eum qui malum pro bono reddit.*

In hominem ingratum, & qui bonum malo pensat, convenit illud, משיב רעה תחת טובה לא תמוש רעה, *Qui reddit malum pro bono, non recedet malum à domo ipsius.* Prov. 17. 13.

CCLXIX.

*Sapientia corde, h. e. mente ac ingenio, comparatur, non pecuniâ.*

Ut hoc dicas, en tibi è scrinio sapientiæ. Prov. 17. 16. למה זה מחיר ביד כסיל לקנות חכמה ולב אין, *Quorsum istud pretium in manu stulti ad comparandam sapientiam, cum cor ei nullum sit? [Vel ita, Ad quid pretium in manu stulti ad comparandam sapientiam, cum cor nullum habeat?] In codicibus Græcis, ἰσὺς ἰσὺς ἐξέχρημα ἀφρονι; ἡ σοφία γὰρ σοφίαν ἀνδρῶν, & δὲ δυνήσεται. Ad quid pecunia insipienti? nam comparare sapientiam cum corde careat, non poterit. Chaldæa traductio dicit stultum, cum sapientiâ & corde destituatur, non posse rem facere negociando. Sic enim habet, Ad quid proficit negotiatio stulto, cui neque cor ad est suum, neque sapientiâ?*

CCLXX.

*Sapiens veretur, & recedit à malo.*

חכם ירא וסר מרע, *Sapiens veretur, & recedit à malo.* Prov. 14. 16. Sententia est, sapiens veretur Deum, & se abstinere à peccando. Rurlus, veretur malum h. e. periculum, & cautè illud declinat vitando quantum in se est. Ita dico, uti gladiator ictum declinat, sic ille mala impendentia.

CCLXXI.

*Indolem futuræ probitatis indicem esse.*

In pueris elucet sæpe indoles futuræ probitatis. Hoc indicabis isto Proverbio, גם במעלליך יתברך נעראם וך, *Etiâ studiis suis notum se facit puer: si mundum, & si rectum futurum sit opus ipsius.* Prov. 20. 11. Cui simillimum in Græcorum adagiis, ἄντικα καὶ φυτόν δὴλα, ἀμύλλει καὶ ἄρπημι ἐσεσθαι

CCLXXII.

*Paupertatem æquè ac divitias à Deo esse.*

Divinitus contingit ut hominum alius dives sit, alius pauper. Ad hoc significandum accommodabis vers. 2. cap. 22. עשיר ורש נפנשו עשה כלם יהוה, *Dives & pauper occurrunt, factor utriusque Dominus.* Quod brevius & apertius lectum 1. Sam. 2. 7. יהוה מוריש ומעשיר, *Dominus de pauperat & ditat.*

CLXXIII.

*In exules, & incertis sedibus oberrantes.*

In exules, & eos qui incertis sedibus vagantur, semperque ἀνέμοι & peregrè vivunt, quadrabit illud Prov. 27. 8. כצפור נודדת מן קנה כן איש נודד ממקומו, *Qualis avis fugiens è nido suo; talis est vir fugiens è loco suo. E loco suo: h. e. patria sua.* Nam ut avis libero aère fruitur, sic exsul eadem ubique rerum natura utitur. Ideò Brutus dicebat Patriâ carere non esse miserum. Nam, ut Seneca scribit, duo pulcherrima, quocunq; migraverimus, nos sequuntur, natura communis, & propria virtus. Poterit accommodari & in eos qui negotiantur peregrè. Nam avicula victus causâ nidum re-

linquit. Item in eos, qui subinde mutant vitæ institutum, ut sensus sit, Qui non contentus suâ forte subinde mutat genus vitæ, nec in uno statu diu manet, similis est aviculæ deserto nido huc illuc vaganti.

*Admonitio,*

(מקום) aliquando conditio sive vocatio cujusque, ut in Proverbio, *Nosce locum tuum*: & in illo, *Ne desere locum tuum*.

#### CCLXXIV.

*In servum utibilem & obsequiosum.*

Servus obsequio promptus in herum suum, honoribus & opibus extolletur. Hoc significare poteris hâc sententiâ, שומר אדניו יכבד, *Qui observat Dominum suum honorabitur*. Prov. 27. 18. Spectat maximè ad Regum aut nobilium ministros: quos nihil magis decet quàm fides & obsequium. Non malè etiam legas, *Qui custodit Dominum*: h. e. qui eum servat in periculis.

#### CCLXXV.

*Callidus intelligit gressum suum.*

ערום יבין לאשרו, *Callidus intelligit gressum suum*, Prov. 14. 15. Homo cautus etiam atque etiam videt quod eat, nec se duci patitur quolibet, nec credit cui liber. Rursus perpendit quod vitæ genus potissimum sequatur, quòve in eo pacto se gerat.

#### CCLXXVI.

*Callidus artem celat.*

אדם ערום כסו דעת, *Homo callidus tegit scientiam*. Prov. 12. 23. Quod scit, celat: nec profert intempestivè, nec ostentat gloriose. Eadem sententia est in illo, *sapientes recondunt scientiam*: de quo aliàs.

#### CCLXXVII.

*Callidi se ornant scientiâ.*

ערומים יכתירו דעת, *Callidi se ornant scientiâ*, Prov. 14. 18. Videtur hoc voluisse, Comparant eruditionem pulcherrimum hominis ornamentum. Potest legi *ornant scientiam*. Sanè nihil tam decorat doctos, quàm si cauti & prudentes fuerint. Cæterùm *scientia* quandoque vocatur notitia rerum divinarum, quâ præditi qui sunt, debent etiam prudentes esse, juxta illud, *Estote prudentes sicut serpentes*.

#### CCLXXVIII.

*Astutus videt malum, & occultat se.*

ערום ראה רעה ונסתר, *Callidus videt malum, & occultat se*, ac si diceret, prævisum à se malum cautè & prudenter declinat. Legitur Prov. 27. 12. & 12. 3. nisi quòd ויסתר in hoc loco, cum nota Massoritica, quæ indicat legendum ונסתר ut suprâ. Hinc intelligentiam habet, *Sapiens timet, & recedit à malo*. Prov. 14. 16. Nam sapiens etiam callidus, Secundùm illud, *Ego sapientia cohabitato calliditati*, Prov. 8. 12.

*Admonitio.*

Calliditas ut hîc sumitur, est prudentia quæ ratione quadam potest delectum habere bonorum & malorum: vel est honesta cautio, h. e. declinatio à malo cum ratione, quàm λογικὴν ἐκκλισίαν τῆς ἐλαπίσσης & definiunt. Vid. observat. lib. 1. cap. 19.

#### CCLXXIX.

*Omnia callidus agit scitè.*

כל ערום יעשה בדעת, *Omnia callidus facit scitè*, Prov. 13. 16. In aliis est, *Omnis astutus facit scitè*. Non omittendum הכין דרכו הכין ערום, *Sapientia callidi est intelligere viam suam*. Prov. 14. 8. Hic perspicuè vides ut callido sapientiam tribuat. Ergò callidus sive astutus (nam promiscuè fumo) is dicitur Salomoni, quem Latini *cautum* sive *catum* vocant. Hujus enim est omnia agere scitè, h. e. consideratè ac prudenter: item scire quid facto opus sit, & ad id, quod agit animum advertere.

#### CCLXXX.

*Inter bonos benevolentia.*

בין ישרים רצון, *Inter rectos benevolentia*, Prov. 14. 9. Inter probos morum & animorum consensus est: itaque fit, ut quisque æquè alterum diligat ac se ipsum. Ubi enim eadem studia eademque voluntates, ibi efficitur id quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus. Porro consensus ista facit, ut jucundissimè inter se vivant. *Est enim*, ut ait Orator lib. 1. offic. *ejucundissima amicitia quàm similitudo morum conjugavit*. Idem in eodem libro, *Omnium societatum*, inquit, *nulla præstantior quàm cum Viri boni moribus similes sunt familiaritate conjuncti*. Nihil enim amabilius neque copulatius, quàm morum similitudo bonorum.

#### CCLXXXI.

*Stultus perumpit & confidit.*

כסיל מתעבר ובוטח, *Stultus perumpit, & confidit*, Prov. 14. 16. Nam quid stultius quàm in periculis ad eundem temeritate uti & confidentiâ potiùs, quàm ratione & judicio? Quadrat propriè in temerarios: & est contrarium illi, *Sapiens timet, & recedit à malo*. Finitimum, *Incauti pertranseunt, & multantur*: quod in antithesi habet, *callidus videt malum, & occultat se*, Prov. 27. 12. Dicit autem *multantur*; vel si mavis, *plebuntur*, quia temeritatis assidua comes ignominia & pœna.

#### CCLXXXII.

*Celeritas in obeundis negotiis,*

Vidisti virum celerem in opere suo? ante Reges stabit, non stabit ante obscuros, Prov. 22. 29. Nihil magis servum commendat quàm velocitas. Qui ergò negotia sua obit velociter & cum celeritate, hic Regibus ministrabit, non ministrabit hominibus obscuris.

#### CCLXXXIII.

*Consilio stant Regna & Urbes.*

תשועה כרב יועץ, *Salus in multitudine consultorum*. Reipub. Salus & incolumitas stat maximè beneficio eorum, qui sapienter consulunt: profuerit ergò tales quàm plurimos esse in Civitate, aut apud Reges. Sanè ubi nulli sunt ibi pessimè agitur cum Civibus. Prov. 11. 14. *Absque solertibus consiliis corrumpitur populus: at salus est in multitudine consultorum*. Sallustius ad Cæsarem, *Atque ego in vita multa legendo atque audiendo ita comperi, omnia Regna, Civitates, Nationes usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: ubicunque gratia, timor, voluptas ea corrumpere, post paulò imminuta opes, deinde ademptum imperium*.

perium, postremo seruitus imposta est. Porro consilia non solum in pace sed & in bello valere debent. Nam ab iis victoria secundum Deum. Itaque Seneca, *Ducis in consilio posita est virtus militum*; addo & eorum qui apud Ducem sunt, Prov. 24. 6. *Solertibus consiliis facies tibi bellum*; nam salus ubi multi consulti, sive, in multi indine consiliarium.

CCLXXXIV.

*Beneficium pauperi datum foeneratur.*

Quod quis pauperi & egeno dat, id & Deo dat, & cum foenore postea ab eo recipiet. Ad hoc significandum congruet illud, *מלוה יהוה חונן דל וגמלו ישרל*. *Faenerat Dominum, qui benignè facit tenui, qui ipsius benefactum ei rependet*, Prov. 19. 17. Huc facit *מכבד יהוה חונן אביו*, *Dominum honorat, qui benignè facit egeno*, 14. 31. Sensus est. Egenti nemo beneficium largitur quin unà Deo largiatur. Deus enim sibi factum putat quod sit pauperibus.

CCLXXXV.

*Benignitatem non esse unquam claudendam egeno.*

Non ita claudenda res familiaris, ut eam benignitas, cum facultas sit, aperire non possit. Quin aperienda semper, quoties ratio proximi hoc requirit, id declarabis per hæc verba, *אל תמנע טוב מבעליו בהיות לאל יוד*, *Ne subtrahes bonum ab indigentibus eo, cum sit in potestate manus tue ut facias*. Pro ab egentibus eo, quidam referunt, *א דמיניס סווס*, q. bonorum quæ possidemus pauperes Domini sint, nos dispensatores duntaxat.

CCLXXXVI.

*Est qui spargit, & amplius addit.*

*יש מפזר ונוסף עוד וחשך מיושר אך למחסור*, *Est qui spargit, & amplius addit: & est qui parcat præter æquum duntaxat ad egestatem*. Prov. 11. 24. *Præter æquum parcat, qui nihil omninò largiuntur pauperibus*. Atq; his parsimonia sua egestas est. Contrà *qui spargit*, h. e. profuse dat pauperibus, ei profusio illa quæstus est. Nam quantum est profusior tantò sit locupletior.

CCLXXXVII.

*In eos qui pauperum clamorem surdâ aure prætereunt.*

*אויסם אזנו מועקת דל גם הוא וקרא ולא יענה*, *Qui obstruit aurem suam ad clamorem tenuium, etiam ipse clamabit, nec exaudietur*. Prov. 21. 13. Par pari, ut dicunt. Qui pauperem clamantem, h. e. ius perentem aut eleemosynam, surdâ aure præterit, eum Deus quoque præteribit, nec exaudiet cum ad ipsum in periculo aliquo constitutus clamabit opem & auxilium implorans. Hæc sententia comperit propriè in eos iudices, qui causas pauperum audire recusant, aded ut inauditi atque indefensi, & ut plurimum innocentes pereant.

CCLXXXVIII.

*Consilium audire sapientis est.*

*שומע לעצה חכם*, *Audit consilium sapiens*, Prov. 12. 15. Qui consilium audit vel ipsius sapientiæ, vel eorum qui sapientes sunt, sapiens est. vel ita, sapiens est non modò qui ipse sibi consulit, sed etiam qui bene consulenti ac monenti parer. Rursus sapiens nihil facit abs-

que consilio. Nam persuasum habet meliùs curari ea, quæ consilio geruntur, quàm quæ sine consilio administrantur. Adhibet igitur homines doctos, vel etiam usu peritos, & quid eis de eo quod agere instituit videatur, exquirat.

CCLXXXIX.

*Virum fidum quis inueniat?*

*איש אמונים מי ימצא*, *Virum fidelem quis inueniat?*

Inter ea quæ rara sunt, est amicus verus ac fidus, qui sit alter idem, amicum æquè ac seipsum diligens, eique præstò sit in utraque fortuna: talis, inquam, amicus rarò aut difficulter inuenitur, cum vulgares & temporanei amici ubique plurimi sint, ut, si unquam aliàs, nunc liceat cum Socrate exclamare, *ὦ φίλοι, ἔδειξέ τις φίλον, ὁ ἀμικί, νῆμο ἀμικί*. Exstat Prov. 20. 6. *Plura pars hominum prædicant Virum beneficentia sua: sed Virum fidum quis inueniat?* q. d. plerique homines laudant eum à quo beneficio affecti fuerunt: Sed pauci, imò nulli, fidi sunt in amicitia, h. e. qui fidem præstent in adversis, aut ubi opus est; sic Poëta quidam Christianus,

*Millibus è multis unus vix fidus amicus,*

*Hic albo corvo rarior esse solet.*

Aulim pignus dare in omnes fortunas meas hunc esse verum ac genuinum sensum Verborum Salomonis, quem tamen ita laudo ut aliorum bonas expositiones non rejiciam: Dicit autem plerique, cum quidam, quò plus debent, magis oderint, *Leve as alienum debitorem facit, grave inimicum*, ait Romanus sapiens.

CCXC.

*In eum qui frumentum retinet, aut vendit.*

De Dardanario, qui annonam retinet, ut postea quàm charissimè dividat, intelligendum quod ait Prov. 11. 26. *Qui cohibet triticum eum exsecratur populus*; cujus oppositum, at *benedictio super caput vendentis*. Ebræa sunt *אום וברכה לראש* *מונע בר יקבה לאום*, *Qui triticum cohibet*, h. e. qui annonam incendit ac flagellat, is exsecrandus populo & derestabilis est: *qui verò triticum vendit*, & annonam levat laxatque, ei fausta omnia omnes optant ac precantur.

CCXCI.

*Fiducia improbi comparata pedi luxato & denti fracto.*

*שן רועה ורגל מועדת מבטח ביום צרה*, *Dens fractus, & pes luxatus, est fiducia perfidi tempore adverso*. Prov. 25. 19. Ut dens fractus & pes luxatus destituant eum, qui edere aut ire vult; sic fiducia destituit improbum in angustiis constitutum, videlicet cum eà maximè opus habet: Rectè etiam intelligas *fiducia perfidi*, quam quis habet in perfidum, hæc sententiâ, *Benevolentia*, quæ fidelis non est, similis est *pedi luxato & denti fracto*, quibus nemo uti potest, quin egregiè decipiat. Pari ratione decipitur, qui homini perfido amicus est: nam, ut hirundines sereno vitæ tempore præstò est, simulac hyemem fortunæ senserit avolat, ac destituit amicum, qui se ei crediderat.

CCXCII.

*Placeant Regibus labia iusta.*

Ita est profectò, Principi opus amicis. Quales autem illi esse debeant, declarat sapiens meus, Prov. 16. 13.

per hæc verba, רצון מלכים שפתי צדק ודבר ישרים, יאהוב, *Placeant Regibus labia justa, & loquentem recta diligat.* Sint, inquit, Regibus amici, qui eis suadent quæ æqua & justa sunt: quos ideò diligere arque aded amare debent, sibi que consiliarios addiscere ac familiares reddere, rejeētis iis, qui duntaxat ad gratiam loquuntur, & auribus inserviunt magis quàm Veritati. Sic dico, vitare debent adultores, qui non quæ optima sint, sed quæ jucundissima consulunt: qui, ut Taciti verbis utar, *veri copiam non faciunt, sed suspensio, & quò ducantur inclinatur a respondens: sumptum fortasse ex illo Davidis, Non manebit domi mea fraudulentus, mendaciloquus non consistet ante oculos meos.*

## CCXCIII.

*Cor Regum inscrutabile.*

לב מלכים אין הקר, *Cor Regum inscrutabile.* Admonet abditos Regum sensus exquiri non posse. Quocirca stultè faciunt, meo iudicio, qui occultius aliquid parantes eorum arcana scrutantur, labore non solum vano, sed etiam illicito. Prov. 25. 3. *Cælum altitudine, & terra profunditate, & cor Regum non est pervestigabile.* Vulgus ipsum hoc scivit, qui dicunt, *Principum libros obscuros esse, nec fas scrutari eos.*

## CCXCIV.

*In multitudine populi decus Regis.*

ברב עם הדרת מלך, *In multitudine populi decus Regis,* Prov. 14. 28. sub. *Situm est.* Regi decorum est habere multos quibus imperet: quò enim certè plures habet, eò plus colligit per tributa, quibus Res publica sustinetur. Unde prudentiores ea dixerunt esse nervos imperii, Ex quo illud sanè conficitur, augeri gloriâ & honore imperium quoties fructus illi augentur, & contra dissolvi, quando minuuntur. Quare in Antichesi est, רצון מלכותם, *absque plebe contritio Principis.* Quemadmodum enim salus Principis privatorum salus est, ita è contrario atteritur Princeps, cujus subditi attriti & attenuati. Nam publica pendent à privatis. Ubi enim res privatorum tenues sunt publicæ non se habent melius, nec possunt quidem. Nam fiscus ærariumve constat ex tributis populorum; ea Regem alunt & Regna; quibus si destituatur, miser est. Debent ergò Principes de salute populi solliciti esse: ab eo enim tanquam à filo pender salus Regnorum. Itaque rectè Symmachus *justi imperii finem esse, ait utilitatem obedientium & salutem.* Propterea etiam Principes vocantur מגנים, h. e. *clypei, & defensores publicæ salutis.* Nec enim aliud est *Imperium* quàm cura salutis alienæ, ut idem ait.

## CCXCV.

*Rex justus & sapiens.*

מלך יושב על כסא דין מורה בעיניו, *Rex sedens in solio iudicii, dissipat oculis suis omne malum.* Prov. 20. 8. Princeps aut Magistratus, qui id dat operam, ut juris & iudiciorum æquitate civitas regatur, cives meliores facit, arque ita dissipat omne malum. Seneca Theyste, *Rex velit honesta, nemo non eadem volet.*

Quidam legunt, *omnes malos: nec malè.* Sic ait, *Dissipat improbos Rex sapiens, & induit super eis rotam.* Prov. 20. 26. Est enim profectò boni Principis, improbos nec obedientes & noxios cives pœnis salutari-

bus coercere, quò cæteri vel meliores fiant, vel certè securiores vivant, sublatis malis.

## CCXCVI.

*Fugienda societas eorum, qui res novas moliantur.*

Rebus novis studentem, eosque qui cum eo in societatem coeunt, deterrebimus ab incepto propositove hæc sententiâ, Prov. 24. 21. 22. *Time Dominum, mi fili, & Regem: cum mutantibus ne miscetore: Nam subito surget calamitas ipsorum, & interitum amborum quis novit? Cum mutantibus: h. e. cum iis, qui rebus novis student & statum Reipubl. temerè immutant.* Tales, inquit, sciant sibi paratam pœnam, quam subibunt unà cum iis, qui adhærent: sciant, inquam, impendere sibi exitium cum iis omnibus, qui eos sequuntur.

## CCXCVII.

*In delatorem.*

שונה בדבר מפריד אלוף, *Qui rem iterat, disjungit ducem.* Exstat c. 17. v. 9. *Qui rem iterat, h. e. qui ab uno ad alium defert, disjungit ducem, h. e. primum amicum: vel disjungit Principes inter se: Prov. 11. 13. Qui delatorem agit, revelat arcanum: vel hoc nomine debet odiosus esse nobis delator, quò nihil apud se contineat, sed omnia revelet ac patefaciat, etiam quæ arcana sunt amicorum: 30. 19. Qui arcanum retegit, delatorem agit.* Nam defert rem ab uno ad alium, 30. 10. *Ne deferto servum ad Dominum suum.* Admonet servi crimina non deferenda esse ad herum. Quod sequitur, *Ne maledicat tibi, & reus fias,* hanc sententiam continet, Ne tibi dira imprecetur, & dominus ejus preces exaudiens te puniat. Alia interpretatio, *Ne detrahas servo apud herum:* in detractores. Præva indolis est detrahere alicui: pessimæ de rahere servo: quem conditio tutum præstat ab invidia. Detrahimus autem libenter quibus invidemus, ut fortunatis, & quos emergere videmus alcius: 10. 18. *Qui tegit odium labiis mendacibus, & qui profert infamiam, hic stultus est.* Quadrat in eum, qui absenti detrahit, cui coram adulator.

*Admonitio.*

*Infamia.* דבה *calumnia, in odium alterius conficta criminatio, mendax & odiosa infamatio.* Nomen est à verbo, quod in ea lingua significat *odisse,* unde אשר-אשר-אשר apud Magistros, i. Mulier odiosa & invisa.

## CCXCVIII.

*In disciplinam.*

Prov. 12. 1. *Qui disciplinam amat, scientiam amat: qui verò reprehensionem odit, baro est.* Pars magna scientiæ amare disciplinam Scholæ. Admoneri gaudet animus sapientiæ studiosus. Pessimus quisque correptionem ægerimè patitur. Baro sive brutus homo, h. e. stultus & stupidus 15. 32. *Qui rejicit disciplinam, detestatur animam suam.* Se pessimè odit qui disciplinam, h. e. qui se institui non patitur. Est enim bona institutio fons & causa omnis Virtutis. Ut enim naturæ bonitatem corrumpit indulgentia, sic ejus pravitatem corrigit institutio. In eodem loco, *Qui audit reprehensionem, possidet cor,* i. cordatus est. Vel, *comparat cor,* h. e. sapientiam. Nam cor sedes sapientiæ in sacris 17. 10. *Descendit increpa-*

crepatione in prudentem, quam si percutias stultum censies. Aliquæ editur increpatione intelligentem. Convenit cum illo Ben-Siræ; Sapientem nunc, stultum fuisse.

CCXCIX.

*Ne esto nimis justus.*

Apud avaros & lucri cupidos munera omnia possunt: itaque si quid ab eis impetrare velis, si dederis quantum fatis est cupiditati ipsorum, assequeris quod petis, aliàs nihil impetrabis.

*Multa loquor; quidvis nummis presentibus opta, Et veniet.*

Ad hoc significandum allegabis ex cap. 17. 8. *Gemma gratiosa munus in oculis ei deditorum: quocumque reflexerit, proficiet.* Competit propriè in eos, qui jus venale habent. Nam *מון* munus quod datur ad corrumpeudum iudicem. Sed tu dilata, & extende latius. Nam quid obstat.

CCC.

*Quid homini custodiendum imprimis.*

*Supra omnem custodiam serua cor tuum, quia ex eo egressiones vitæ, Prov. 4. 23. Supra omnem custodiam, h. e. diligentius quàm ullam earum rerum, quæ à te custodiuntur. Egressiones vitæ, alius dixit, actiones vitæ, h. e. facta honesta & laudabilia, quorum præmium est vita. Vel sensus est, quoniam ex eo vita egreditur: vita, dico, beata, quam virtus efficit, proles τὸ λογικὸν, quod in corde collocant literæ Divinæ.*

*Aufer à te pravitate oris, & perversitatem labiorum procul à te amove, 4. 24. Abstinentum maledictis, omnique aded obscæno ac turpi sermone. Quidam purant satis esse, si vita casta sit: etiam sermo castus esse debet. Nam sermo animi est Index.*

*Oculi tui rectè aspiciant, & palpebra tua dirigant coram te. 4. 25. Dirigant, sub. visum. Etiam oculorum habenda diligens cura. Nam in oculis sedes cupiditatum, quæ inde ad cor derivantur; unde proficiscuntur pravæ omnes actiones: itaque dicunt Ebræi, Oculos & Cor conciliatores, sive proxenetæ, peccati esse.*

*Libra orbitum pedum tuorum, & omnes via tua stabiles sint; 4. 26. Quali ad libram, quæ agis, expende, modumque in omnibus tene, ne vel in excessu pecces, vel in defectu: in quibus rebus omne vitium intelligitur. Latini hoc dicunt, plus minusve facere. Terentius Phormione, Ne quid plus minusve faxit, quod nos pigeat postea. Simili figurâ loquendi usus est Sirachi. F. Ecclel. 28. 29. ἢ τὸ λόγος σε ποιήτων ξυγὼσαθμον. Sensus est, ne plus minusve loquere: quàm quod æquum est.*

*Ne deserte ad dextram aut sinistram. 4. 27. Monet rectum iter semper tenendum esse in via virtutis, nec in ullam partem deflectendum. Nam, ut ait Hieronymus, si à recta via paululum declinaveris, non interest utrum ad dextram vadas; an ad sinistram.*

CCCI.

*Ne esto nimis justus.*

*אל תהי צדיק הרבה, Ne esto justus multum. h. e. nimium. Modus in quaque re optimus. Pietas nimia in superstitionem degenerat. Jus summum sæpe summa malicia est. Nihil minùs expedit quàm agrum optimè colere. Exstat Cohel. 7. 17. Græcè, μή γίνε δίκαιος ἐπὶ πολύ. Author versionis Chaldaicæ de Iudicibus intelligit, qui clementiæ specie fontes in iudicio absolvunt. Abenezra ad eos refert, qui jejuniis corpus macerant, & totos dies in oratione consumunt, cæterorum omnium, quæ ad pietatem pertinent, negligentes: hos dicit à recta vivendi ratione deflectere. Sic est profectò. Nam hypocritæ dum huiusmodi ceremoniis religiosi videri volunt, supersticiosi fiunt. Propriè nimis justus est is, qui leges ita servat, ut nullam habeat rationem publici boni. Laudabile est ex Legibus iudicare, quis negat? Sed circumstantiæ interdum faciunt ut Leges cedere debeant utilitati: idque L. Scipio exemplo suo declaravit, cum ad usum necessarium rei publ. pecuniam ex ærario contra leges promeret. Nequam sententia est, *Pereat mundus, ut vigeat iustitia*: nam temporari servendum aliquando. Scitum illud, *Salus populi suprema Lex esto*: & illud, *Filium nimis tensum rumpitur*: Sæpe etiam remedia graviora sunt ipso morbo; an ea sapiens adhibeat? nunquam. Ut peritus nauclerus, ita ille tempestatibus cederet & ventis vehementioribus. Non malè etiam exponas *nimis justus*; nimis bonus. Nam justus idem qui bonus, quem & sapientem dicimus, ut huc aptari possit & illud, *Ne esto nimium sapiens*, cuius supra meminimus. Porro nimis boni sunt qui sunt nimis clementes, nimis sobrii, nimis temperantes, nimis liberales, nimis severi, nimis fortes, nimis prudentes. Virtus enim certè omnis, cui nimium accesserit, in vitium degenerat. Consule, si vacat, Franciscum Vallesium de sacra Philosophia, sive de iis quæ scripta sunt phylicè in sacris literis, cap. 67. quem librum tibi commendo: est enim dignissimus lectu. Quod reliquum est, *Ne esto nimis justus*, proverbii titulo cita: Erasmus in adagio, *Nihil minus expedit quàm agrum optimè colere.**

Desino, Lector, ne liber iste in immensum excrescat: Tu reliqua adde. Scripta sunt hæc satis festinanter, urgentibus operis, cum prelum nimis nimisque ferveret: quare si quid nimis coctum in iis, non mirum. Ordinem de industria & studio neglexi: nam cur ego eum servarem, quem Salomo ipse non servavit? Omnino autem, licet vitare pro virili studuerim ne idem bis dicerem, tamen ægrè potui in opere tam confuso. Ideò si quid peccatum in hac parte, cogita primam diligentiam esse, cui sapientes semper aliquid indulgendum esse iudicaverunt. Nunc ad alia.





JOH. DRUSII

# PROVERBIORUM

## CLASSIS SECUNDÆ:

LIBER II.

1. *Arundinem quassatam non confringet.*

קנה רצוף לא ישבור, *Calamum quassatum non confringet.* Expono, afflictas debilitatasque aut infirmas mentes non pessundabit: quin potius lenissimè mitissimèque eas tractabit. Dicitur est ab Esaja de clementia & mansuetudine Messiaë, *Jes. 42. 3.* Per *quassatum calamum* significat, meo animo, eos omnes qui non procul absunt à ruina, cujusmodi sunt, v. gr. homines desperati, mente fracti, fide infirmi, vacillantes, inq; suum exitum propendentes. Scholia Ebraica explicant עניים וחלשים, *Pauperes, vel afflictos, & debiles:* *Pauperes*, inquam, Spiritu; quos Jonathan dixit, interpretans ענותנות *humiles & mansuetos, mites.* Hæc sententia legitur *Matth. 12. 20.* καλαμὸν συντρίμψον ἢ κατεδάξει, *calamum contritum, vel, ut Erasmus edidit, comminutum, non confringet.* Sed quæ potest, inquis, calamum contritus confringi? res polcit ut potius exponamus, συντρίμψον, *quassatum*, h. e. cœptum frangi, aut leniter fractum, vel qui inibi est ut frangatur: ut *Ezech. 29. 9.* *Baculus arundineus quassatus.* Quod exponunt, vicinus ad frangendum: Cùm fieri neutiquam possit, ut quis innitatur arundini contritæ, aut comminutæ. Cæteriùm quamvis non citetur hoc dictum proverbii nomine, habet tamen speciem proverbii, saltem est allegoria, ut illud quod sequitur.

2. *Linum fumigans non exstinguet.*

פשתה כהה לא יכבנה, *Linum fumigans non exstinguet.* Hic *linum* accipio pro ellychnio: figura loquendi, ut cùm *lina* dicuntur retia extenuibus linis contexta. Sic *aurum* ponitur pro statua aurea: *lignum* pro compe ligneo. Porro *fumigans* ex Scholiis Ebraicis reddes, *extinctioni vicinum:* quod eodem recidit. Sumptum à Stuppeo candelæ funiculo (Græci ἐπιύχμιον vocant) fumante flammâ subobscurâ & extinctioni proximâ. Itaque designat fidem exiguam, debilem inclinaram; quæ tamen propè sit ut exstinguatur, tamen non prorsus extincta sopitâque est. Eam Christus non opprimeret, sed magis fovebit ac nutriet, sui que Spiritus virtute accendet. In *Matthæi* loco citato est, λῖνον το φάμψον ἢ σβέσει. Prius erat in Græca vet. apud Esajam, λῖνον καπνίζόμενον. res eadem aliter elata. Hier. Comment. in *Matthæum*, *Qui peccatori non porrigit manum, nec portat onus fratris sui, iste calamum quassatum confringit. Et qui modicam scintillam fidei contemnit in parvulis, hic linum exstinguit fumigans. Quo-*

*rum Christus utrumque non fecit: ad hoc enim venerat, ut salvum faceret, quod perierat.* Quæ verba etiam reperies in glossa, quam *Ordinariam* vocant. *Plutarchus* in *Quæst.* scribit, non solum veteribus extinguere ellychnium, sed ipsum per se languescere ac deficere permittere: Cujus rei causas aliquot ibi reddit. *Con-*

3. *Pectus habet plenum Euro.*

קדים ימלא כטנו, *Euro plenum pectus, aut venter ejus:* Quadrat in eum qui cognitione rerum in utilium vanæque scientiæ opinione inflatus turget. Utitur *Eliphaz Themanita*, *Job. 16. 3.* cujus verba Latinè reddita ita sonant, *Num quid sapiens respondebit scientiam ventosam, & replebit Euro ventrem suum? An differet oratione non profutura, & verbis quibus nihil adjuvetur?* Vide quæ scripsimus in proverbio, *Seclatur Euro.*

4. *Grex sine Pastore.*

אין להם רועה, *Pecudes quibus non est pastor.* Habetur *Num. 27. 16.* *Et non sit catus Domini, ut pecudes, quibus non est pastor.* Ubi simile est, sed in allegoriæ naturam transit, quoties effertur absque nota similitudinis. Nam *pecus sine pastore*, sive *grex pastore destitutus*, vocatur *Ecclesia sine Episcopo*, *regnum sine Rege*, *civitas absque Magistratu*, *exercitus sine duce.* Notum autem ut *pascere* ponatur pro *regere.* Notissimum *pastores* vocari ipsos *Reges*, quos ποιμνας λαῶν dixit princeps Poëtarum *Homerus*

5. *Vermis eorum non morietur.*

תולעתם לא תמות, *Vermis eorum non morietur.* De improbis per modum proverbii extulit *Esajas*, ut significaret eos semper cruciari animi conscientia: vel declarat poenam, quæ eos manet in altera vita, sempiternam fore nec unquam cessaturam. Metaphora sumpta est à cadaveribus, quæ vermium esca sunt.

6. *Ignis eorum non exstinguetur.*

Idem declarat quod in eodem loco, videlicet *Jesajæ 66. 22.* אשם לא תכבה, *Ignis eorum non exstinguetur:* nam intelligit ignem conscientiæ, vel, si placet, ignem gehennæ, qui æternus est, nec unquam exstinguitur. Hoc ferè sen su veteres acceperunt.

7. *Paululo fermenti tota massa fermentatur.*

Exstat apud *Apostolum Paulum*, *1. Cor. 5. 6.* & *Gal. 5. 9.* μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ, *exiguum fermentum*

sum totam massam fermentat. Significat autem Ecclesie corpus mali unius contagione contaminari: qui propterea ejiciendus & expellendus sit, ut pura maneat rota Ecclesia, neve ab uno profecta contagio, tanquam cancer, latius serpat. Fermentum areorem habet, quo acidam reddit massam: imò nihil aliud est, quam massa facta acidior. Fit autem ut ex vino acutum, videlicet corruptione ipsius massæ: quam tamen falls admixtione conservant; nam ideò sal adhibetur. sal enim tollit corruptionem. Porro fermentum ob dictam causam symbolum est corruptionis, ac proinde malitiæ atque falsitatis. Hinc fermentum malitiæ, azyma sinceritatis, & similes loquendi formulæ. Nam corruptio corporibus est quod malitia animæ, videlicet via ad naturalem ipsorum interitum. Hieronymi ad h. l. verba sunt, quæ hanc allegoriam valde illustrant; *Fermentum, inquit, res modica videtur & nihili, sed cum farina conspersum totam massam suo vigore corruperit, in illius vim transit omne quod mixtum est: ita & doctrina perversa, &c.* Et post paulò. *Igitur fermentum à massa vicinia semovendum, ne tota massa corrumpatur.*

8. Pupillis orbis destitueris lumine.

Hoc est videre non poteris. Nam oculi, quos hic pupillas Synecdochicè vocat, organum sunt visus: ut ergò qui oculis caret, videre non potest, sic nemo debet profiteri scientiam ejus rei, quam ignorat. Hoc sensu occurrit Sirach. 3. 28. *Si pupillas non habeas, carebis lumine: Scientiam autem, cuius expertus, ne profiteri.* Græca sunt, *ὄφθαλμοις ἢ ἔχων, ἀποθήσεις Φωτός.* Locus plenus, *Multos sua decepit vana persuasio, eorumque mentes labefactavit opinio prava. Si pupillas non habeas, &c.* Scitè accommodabitur ad Theologum, (nam vulgò ita vocantur, qui revera Theologi non sunt) rudem bonarum artium & linguarum. Nam talis quid videre sanè potest in divinis literis? Nonne velut cæcus in tenebris perpetuò versatur, & alienis oculis videre, h. e. ex commentario sapere, ubique cogitur? Ignavæ animæ, quæ cum facultas est, non id dant operam, ut judicare de ipsis commentatoribus, ubi opus est, possint. Nam quibus facultas & occasio discendi defuit, eos non calpo: excusati sunt, saltem apud me. Non sic adolescentibus, qui ex publico ad sacra sustentantur, quibus otium & tempus abundè suppetit, nec defunt fideles præceptores. Videant, videant ne in se unquam competat, ac verè dici possit, *Pupillis orbis destitueris lumine.*

9. Relicto fonte cisternas excidit.

Allegoriæ usus, ubi quis relicto vero Deo, qui fons est vitæ perennis, sectatur Deos nihili, quos Propheta vocat, *cisternas effractas, & persipientes.* Jer. 2. 13. *Duo mala fecere mei populares, me reliquerunt fontem aqua viva, continentem aquam.* Ad quem locum insignis Theologus, nec minùs sanctitate quàm doctrinâ præstans Theodoretus: *Cisternas fractas, inquit, nuncupavit ipsa idola. Siquidem cisterna manu fit, qua scaturientem aquam non habet, sed à nubibus partem & undecunque collectam suscipit. Quòd si etiam fracta & persipientes fuerit, confestim aquam è cælo collectam perdit. Hujusmodi est idolorum natura: suam enim ex ma-*

teria & artificio substantiam emendicat: & quam ex his comparavit pulchritudinem, tempus delet. At qui verè Deus est, fons est vitæ perennis.

10. Alienâ vitulâ arat.

חורש בעגלות אחר, *Arat vitulâ alterius.* De eo qui aliquid molitur aut investigat per alienam uxorem. *Arare* pro moliri Ebraica phrasis est. Jud. 14. 19. *Nisi aravissetis meâ vitulâ, non invenissetis meum anigma.* Verba sunt Samsonis, quæ hunc sensum habent, nisi meæ sponsæ uxorisve operâ usi fuissetis, nunquam ænigmatis à me propositi sententiam invenissetis. Qui ergò arcanum alterius scrutatur, & ad eam rem adhibet uxorem aut amicam ipsius apud dicitur *alienâ vitulâ arare.* Sumpta metaphora ab aratione prisca ævi, quæ fiebat bobus aut vitulis.

11. Comedere mellis nimium, non est bonum.

אכול דבש הרבות לא טוב, *Comedere mellis multum, (h. e. nimium, ut, Ne esto justus multum) non est bonum.* Imò pessimum est. Simile, *Agnoscere personam in judicio non est bonum.* Nimia enim omnia, eo quo superfluunt nocent. Sententia est, *Ne quid nimis, modum in re quaque optimum esse: nam est satietas voluptatis, si modum excedat: sed & sapientiæ est satietas quædam.* Porro mel propter dulcedinem ac suavitatem symbolum est voluptatis & deliciarum. Monet ergò moderandum voluptatibus, nec eis nimium obsequendum. Rursus mel symbolum est sapientiæ, sive rerum divinarum. Prov. 24. 13. *Comede, mi fili, mel quod bonum est, & favum tuo palato dulcem. Sic cognosce sapientiam anima tua, si adeptus fueris, & erit tibi merces, tuâque spes non succidetur.* Dixi mel symbolum esse sapientiæ. Ratio est, ut opinor, quia corpore à putredine conservat. Hoc probandum restat. Ergò Diogenes apud Stobæum ait defuncti quosdam ἀποτίθειν τὸ σῶμα ἐν μέλιτι, ὑπὲρ τῆ μὴ ταχέως κατὰ σαπῆναι, *recondere corpus in melle, ne citò putrescat.* Plinius lib. 22. cap. 24. *Mellis quidem ipsius natura talis est, ut putrescere corpora non sinat, jocundo sapore, atque non aspero, alia quàm salis natura: & lib. 7. cap. 3. & nos principatu Cl. Cæsaris allatum hippocentaurum illi ex Ægypto in melle vidimus.*

12. Mel naactus, ede quantum satis est.

Eandem sententiam continet, quod Proverb. 25. 16. דבש מצארו אכל דיק פו תשבענו והקאתו, *Mel inventisti, comede quod tibi satis est, ne satieris eo, & evomas illud:* q. d. ne comede nimium, ne illud evomere cogaris. Nimia enim stomachum subvertunt, & vomitum movent. Admonet ergò sic moderandum esse studio rerum divinarum, ut quæ cognosci à nobis possunt, quæque ad salutem nostram faciunt, ea tractemus moderatè ac sobriè, ne si nimis curiosi in hoc genere fuerimus,

rimus, illud nobis eveniat quod iis solet, qui se melle plus æquo ingurgitant.

13. *Investigatio gloria eorum, gloria.*

Hem, penè exciderat. Prov. 25. 27. cum dixisset, *Comedere mellis multum non est bonum*, subjicit וחקר כבוד כבוד, & *scrutatio gloria eorum, gloria*. Quæ verba non parvam difficultatem habent. Cæterum pronomen, meo iudicio, ad mella referendum. Mel, ut diximus, symbolum erat sapientiæ. Per *gloriam* ergò *mellium* significat res in sapientiæ studio illustres, res divinas: eas scrutari, quatenus sub caput nostrum cadunt, honestum est, dummodo illud fervetur, *ne quid nimis*. Nam à Deo superflue quærere malum: est. Sed melius legi, *Scrutatio gloria eorum, non est gloria*, repetitâ videlicet negatione ἀπὸ κοινῆς ex præcedentibus. Sententia hujus lectionis clara & perspicua. Nam ut mel, si nimium sumatur, corpori noxium est; animo inglorium, si in Deum ejusque iudicia curiose & intemperanter nimis inquirat: nam inquisitio ea vana & periculosa. Atque hoc sensu istud verum. Aliàs, quæ sciri voluit de se ipse, h. e. quæ in verbo suo patefecit, literis que sacris ac mysticis referavit, ea rimari non solum gloriosum, sed etiam necessarium.

14. *Colligit in æstate filius prudens.*

אגד בקיץ בן משכיל, *Colligit in æstate filius prudens*. Prudenter facit qui optimum tempus ætatis, h. e. adolescentiam, in iis studiis consumit, quibus in omnem vitam tueri possit. Ita dico, sapiens est, qui in ætate maturissima artem aliquam addiscit: qui sibi divitias comparat necessarias in senectutem, & cum iis bonam mentem. Nam divitiæ per se non reddunt ullam ætatem jucundam. Testimonio sunt multi divites, qui tristitiâ & mœrore conficiuntur, seque ipsi miseros iudicant. Optimum ergò, ut quæ hilarem vitam ac beatam possint efficere, ea in adolescentia nobis comparare volumus. Exstat Prov. 10. 5.

15. *Stertit in messe filius pudendus.*

In eodem loco, נרדם בקציר בן מביש, *Stertit in messe filius pudendus*. *Filius pudendus*, h. e. adolescens moribus pudendis, nempe vitiis deditus, quibus se suosque pudefacit. Qui in messe stertit, in hyeme esuriet. Sic qui in adolescentia propter voluptatem segnis est, nec sibi comparat sapientiam aliâque necessaria in reliquam vitam, semper miser erit, nam carebit iis rebus, sine quibus jucundè non vivitur.

16. *Bibe aquam ex puteo tuo.*

שתה מים מבורך, *Bibe aquam ex puteo tuo*. i. sic utere uxore tua, ut ab ea sola voluptatem tuam & libidinis sicim expleas. Respexit ad amorem conjugalem, qui perennis est, cum meretricius instabilis sit. Seneca Octaviâ.

*Amor perennis conjugis casta manet.*

Proverb. 5. 15. *Bibe aquam ex tuo puteo, & fluentes (sub. aquas) de medio tua cisterna*. Porro autem hæc intelligenda esse de uxore, eo sensu, quo nos intelleximus, ostendunt, quæ sequuntur in eodem capite vers. 18. & 20. *Sit fons tuus benedictus, & oblecta te uxore juventutis tuae. Cur in aliena, m: fili, hallucineris, & sinum extraneæ complectaris?* Huc pertinet, *Ab aliena aqua abstine*.

17. *Si plena fuerint nubes, pluviam effundunt.*

Hominem re liberalem magis quàm verbis non incite appellabis, *Nubem pluvia*, h. e. pluviam effundentem. Dico re liberalem: nam qui verbis tantum liberalis est, re verò parcus & sordidus, vocatur *nubes absque pluvia*. Quod etiam dici potest in eum qui promissis non stat: ita exposuimus supra. Cohel. 11. 3. אם ימלאו העבים גשם ער הארץ יריקו, *si repleta fuerint nubes, imbrem super terram effundunt*. Quædam hîc observanda, ut illud *si repleta fuerint*. Nam tum demum beneficiendum, cum suppetit copia, ne benignitas major sit quàm facultates, atque ita injuriosissimus in proximos, subtrahendo ab iis, quod in alios erogemus. Hoc igitur primum observandum. Deinde observandum quòd dicat, *imbrem effundunt*: potuisset dicere, *pluviam dimittunt*. Sed vis peculiaris in verbo *effundo*: tum etiam ושא est *imber propriè*, h. e. pluvia copiosa. Quo significat benignitatem eorum, qui divites oppidè sunt & rem possident copiosam, pro facultatibus largam quoque & prolixam esse debere. Sed una in hoc genere adhibenda cautio, videlicet, ut non largiamur, nisi iis qui egent. Solet enim imtempetiva, ne dicam noxia, esse pluvia, quæ decidit in terram humore abundantem. Non omittendum quòd in Scholiis Abenezræ ad h. l. quem admonet per modum allegoriæ aut proverbii competere in divites & opulentos, quibus datæ sunt divitiæ, inquit, non alium in usum, quàm ut benignè faciant iis, qui opus habent, h. e. pauperibus & egenis. Huc etiam faciunt verba Siracidis, reperta Eccles. 35. 26. *Quàm opportuna est calamitatis tempore misericordia, quasi nubes pluvia tempore siccitatis*.

18. *Sal infatuatum ad nihil valet.*

Εάν τὸ ἅλας μαρνανθῆ, εἰς ἔδεν ἰαγείη, *Quod si sal infatuatum fuerit, ad nullam rem valet*. Allegoria pertinet ad ministros Ecclesiæ, qui assimilantur sali, propterea quòd homines à vitiorum putredine conservant (debent certè) eos divino ac cœlesti sale condientes. Porro ut sale, quod alioqui est utilissimum, nihil est inutilius si sit fatuum, quippe nec terræ nec stercorei accommodatum, Luc. 14. 34. ita Ministris nihil est inanium, si fide & rectè factorum fructu carent. Sal infatuatum intellige quod saporem & vires amiserit. Hujusmodi sal nec condire rem ullam, nec ab ullo condiri potest. Sic fieri nequit ut Sacerdos fatuus aut emendet alios, aut emendetur ab aliis. Quid enim bonum efficiat sal si fuerit insulsus? itidem quis emendet Sacerdotem si fuerit inspiens? Marc. 5. 13. *Vos estis sal terræ; quòd si sal infatuatum fuerit, quòd salietur? ad nullam rem valet amplius, nisi ut foras projiciatur, & ab hominibus conculetur*. Apparet autem Christum, cum hæc diceret, in mente habuisse proverbium vulgi, *Aufer saltem, & projice canibus*: quod invenies inter Thalmudica. Nam ex Thalmud primus illud in lucem produxi, Marc. 9. 50. & Luc. 14. 34. Monemur hæc eadem allegoriâ ut sale conditi invicem alii alios saliamus, si velimus esse Christi, optimi salis, non insulsi discipuli.

19. *Si virenti ligno, quid arido.*

Εἰ ἐν τῷ ὕγρῳ ξύλῳ ταῦτα ποιεῖσιν, ἐν τῷ ξηρῷ τί γίνηται; *Si*

*Si in viridi ligno ista faciunt, in arido quid fiet? Verba sunt Christi ad Judæos, qui ipsum sequebantur, cum ad supplicium duceretur, relata Luc. 23. 31. & est sensus, si ego justus pœnas do, quid injusti & fontes? Theophylactus plenius ac planius enarrat, Εἰ ἐν ἐμοὶ ἐπέδειξαντο τοιαῦτα οἱ Ῥωμαῖοι, ἐν ἐμοὶ τῷ ὑγιᾶ ἔστω, τῷ ἐγκάρπῳ, καὶ αἰσθαλείᾳ καὶ αἰεζώῳ, &c. ἐν ὑμῖν, τῷ λαῷ, Φημι, τῷ ξηρῷ ἔστω, τῷ πάσης δικαιοσύνης ζωοποιᾶ ἔσεσθαι μὲν, καὶ μηδὲν καρπὸν φέρων, τί οὖν ἐπιδείξαντο; quorum verborum hæc mens, Si Romani hæc in me designant, in me, inquam, arbore viridi, h. e. frugifera, semperque virente ac perenni, &c. in vobis, populo dico, qui estis aridum lignum, omnis justitia vivifica expers, ac infructuosum, quid non designabunt? Licebit aliò referre, ut v. g. cum graves pœnas fufferunt homines pii, tum is, qui volet significare improbos non evasuros impunè, quin potius fore ut graviores pœnas luant, dicere poterit, Si viridi ligno hæc sunt, arido quid fiet? Quæ sententia est apud Salomonem, Prov. 11. 31. in illis verbis, Ecce justo in terra rependitur, quantiò magis impio & peccatori? Apud Scriptores sacros qui vir bonus est, propter rectè factorum fructum, assimilatur arbori virenti ac frugiferæ. Contrà qui improbus, assimilatur arbori aridæ, malæ, putridæ, infructuosæ, quæ ab agricolis abscindi follet, & in ignem projici. Hier. ad Sabinianum, Nec mirum si à te qualescunque servi Dei blasphementur, cum patrem familias Beelzebub vocaverint patres tui. Non est discipulus supra magistrum, nec servus supra Dominum suum. Si in viridi ligno tanta fecerunt, tu in me arido ligno quid facturus es.*

20. *Securis ad radicem arboris posita.*

Hoc dicto significant excidii pœnam impendere in malos & sceleratos. Matth. 3. 10. ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κείται, *Securis ad radicem arboris posita est.* Est autem allegoria ducta ab arboribus aridis & infrugiferis, quæ securi excindi, & in ignem projici solent. Theophylactus per securim intelligit Dei judicium; per arborem quemque nostrum. Igitur qui non crediderit, radicibus excindetur.

21. *Exiguus ignis quantam materiam incendit.*

Jac. 3. 5. ὀλίγον πῦρ ἤλιχην ὕλην ἀνάπτει, *Parvus ignis quantam materiam incendit? Allegoria est proverbialis, quam Apostol. hausit (ita viderur) à Sirachi F. Si modò is est Sirachi filius, qui ab Ebræis Ben-Sira nuncupatur. Convenit planè cum illo, De parva scintilla complentur pruna, cujus alibi meminimus. De proverbii Ben-Siræ promitto librum singularem, si Deus permittit, & si nancisci potuero fragmenta illa, quæ vidi olim apud Thomam Bodlæum Anglum: quem virum cum nomino, subit recordatio illius temporis, quo unà jocundissimè viximus, cum ille me complecteretur ut fratrem, ego illum amarem ut qui maximè. Aderat tertius Henricus Savillius, summi ingenii juvenis, qui perulustratis exteris regionibus, ut mos est gentis, domum reversus obtinuit præfecturam collegii Mertonensis; ubi hæc proverbialia primùm cœpi colligere, cum Oxoniæ degerem, hortantibus maximè Laurentio Humfredo, & Thoma Biclæo, ejus collegii tum custode, ut vocant: quorum alter doctissimis edicis libris tori Chri-*

fiano nunc orbi innotuit; alter vir maximi judicii & candidissimi pectoris cum esset, merito suo & regiâ benignitate consecutus est gradum, qui in ea insula inter summos habetur. Cæterum in illo libro quem dixi, reperies. *Ignis accensus comburit multos frugum acervos.*

22. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.*

יומם חשמם לא יככה וירח בלילה, *Interdium sol non uret te, neque per noctem.* Simpliciter hoc significat, nihil tibi unquam mali eveniet, nec interdium, nec noctu. Nam, ut ait Apostolus Rom. 8. 28. *Iis qui Deum diligunt, omnia simul ad bonum conferunt.* Nec in scitè Gregorius, *Nulla erit adversitas, si nulla dominabitur iniquitas.* Exstat Psal. 121. Hier. in Comment. Jesaj. 26. interpretatur, *Nec in prosperis, nec in adversis unquam de tuo moveberis gradu.* Sanè dies, prospera, & nox, adversa denotat, sicut lux & tenebræ. Ducta allegoria, ut apparet, ab iis, qui dies noctesque sub dio degunt, ut pastores ovium. Vide Gen. 31. 40.

23. *Manè serito semen tuum.*

בבקר זרע את זרעך ולערב אל תנח את ירך, *Manè semina semen tuum, & vespere ne remittas manum tuam.* Allegoria docet semper aliquid dandum pauperi; Cui si manè dederis, & vespere redierit, non est vacuus dimittendus, ait R. Aquiba. Reperitur Cohel. 11. 6.

24. *Qui ventum observat, non seret.*

שמר רוח לא יזרע, *Qui observat ventum, non seminabit.* Quadrat in eos, qui de futuro nimium solliciti, ac metuentes, ne aliquando ad pauperiem redigantur, superfedent liberalitate ac beneficentiâ erga inopes & egenos. Hoc modo usurpat sapientissimè regum Salomo, Cohel. 11. 4.

25. *Qui nubes spectat, non metet.*

ראה בעבים לא יקצור, *Qui respicit nubes non metet.* Idem cum superiore. Licebit uti generaliter de iis omnibus, qui metu futuri nihil omnino aggredi audent. Exstat in loco modò allegato.

26. *Non coques hœdum in lacte matris sue.*

לא תבשל גדי בחלב אמו, *Non coques hœdum in lacte matris sue:* h. e. non addes crudelitatem crudelitati. Hoc modo Rulandus interpretatur, *Non coques hœdum in lacte matris sue.* Ratio est, quia lex intendebat inducere Judæos ad pietatem erga proximos, idè inhibuit eis ea, quæ videbantur esse crudelia, etiam circa bruta animalia: inter quæ hoc erat quòd agnus coqueretur ad esum aliorum in lacte, quod erat vitæ suæ sustentamentum. Sed occurrit Augustinus, & dicit non fuisse usum ira coquendi. Cum venia dixerim, talia valde incerta sunt: nam qui scire hoc potuisti, Augustine? Fortè Ægyptii eo modo coquebant hœdos. Sed ut hæc incerta sunt, quemadmodum diximus, ita non malè referes Ebræa, *hœdum cum lacte matris sue:* ut hoc dicat, Non coques hœdum quamdiu matrem sugit, vel, quod idem quamdiu mater eum lactat.

27. *Cubitum supra panes defigere*

*Cubitum supra panes defigere* συμβολικῶς dicitur is, qui in hoc tantum incumbit, ut pareat necessaria ad vitam, nec de ulla re sollicitus est præterquam de victu.

Exstat apud Siracidem Ecclef. 41. 24. ἀπό πηξέως ἀγ-  
κρών ἐπ' ἀγρῆς, Pudeat vos defixionis cubiti supra pa-  
nes: ubi recenseretur inter ea quorum nos pudere de-  
beat. Convenit autem cum symbolo Pythagoræ, μὴ  
ἐπὶ χολίκε καὶ ἡδῶται, ne chœnici infideas, quod in Eras-  
mi adagiis legitur, χολίκε μὴ ἐπιχαθίσται. Sciendum ta-  
men de loco Siracidis aliam sententiam esse, quæ mihi  
quidem non improbat. Nam sunt qui existiment de-  
signari duntaxat ibi gestum quorundam, qui cubito pa-  
nibus innituntur, dum cibum capiunt. Quicquid ejus  
rei sit, illud extra controversiam est, gestum illum val-  
de dedecere in mensa.

28. Sint vestimenta tua semper candida.

בכל עת יהיו בגדיך לבנים, *Omni tempore sint vestes  
tue albae.* Sint actiones tuæ nitidæ, h. e. probæ, honestæ.  
Interpretatur Abenezra, ne sint actiones tuæ immun-  
dæ, h. e. vitiosæ: cum potius admoneamur hoc præce-  
pro hilariter ac læto animo semper vivendum esse: col-  
lor enim albus animi lætitiā significat, ut alter tristiti-  
am: ex quo Davidis illud, הִלכְתִּי קָוֶרֶד pullatus inces-  
si, pro eo quod est, *tristis incessi*, more videlicet Iugen-  
ium, qui pullis induebantur. Refertur Cohel. 9. 8. ubi  
& illud,

29. Habe caput tuum semper ungento de-  
libutum.

ושמן על ראשך אל יחסר, *Et unguentum capiti tuo  
ne deficiat.* Sic Matth. 6. 17. σὺ δὲ νηστῆων ἀλειψαί σὲ τὴν  
κεφαλὴν, *Tu verò cum jejunas unge caput tuum.* Cur hoc?  
proculdubio ad animi lætitiā externo signo testifican-  
dam, ut inepti planè sint qui locum Salomonis aliò de-  
torquent.

30. Priusquam olla rhamnum sentiant.

בטרם יבינו סירתכם אשר, *Priusquam olla vestra  
rhamnum sentiant,* arbitrantur eum in mente habuisse  
metaphoram à carnibus, quæ semicrudæ extrahuntur  
ex olla priusquam bene senserint calorem ignis, & hoc  
velle, antequam ad maturam ætatem perveniat. Qui  
autem vertunt, *priusquam crescant spinæ vestra in  
rhamnum,* hi יבינו accipiunt pro יפרחו, quo significatu  
occurrit in Misna (pars est operis Thalmudici) משיבינו  
*ex quo germinant,* & exponunt, priusquam scelera ves-  
tra majora fiant & corroborentur. Ego סירת pro spi-  
nis alibi non reperio. Significat ollas Exod. 27. Spinæ  
verò סיריב vocantur terminatione masculina. Cum  
hæc scriberem, fortè incidi in locum ubi similiter va-  
riant interpretationes. Nam Amos 4. 2. ubi in Ebræo,  
בסירות דוגר, quod in aliis ollis piscatoriis, ab aliis  
versum comperior, hamis piscatoriis: סירת etiam spi-  
na, si recta ea interpretatio. Sed expende.

31. Clavus fixus in loco firmo.

יתר תקועה במקום נאמן, *Clavus fixus in loco fideli.*  
h. e. firmo ac stabili. Ita vocatur Sebna dispensator Jes.  
22. 25. videlicet clavus, quia ab eo pendeat tota do-  
mus: & fixus, quia sperabat se perpetuò in eo statu per-  
mansurum: sed frustà. Derubatus inde fuit, succeden-  
te in ejus locum Eliacimo. Tralatio à clavis, unde car-  
nes aut aliæ res suspenduntur.

32. Argentum in scorias mutatum.

כסף היה לסיגים, *Argentum*

tuum versum est in scorias. Quæ verba innunt Judæo-  
rum mores in deterius mutatos, vel certè in civitate bo-  
nis malos successisse. Ex hoc loco hominem minùs  
sincerum, & quem Græca proverbialia κίβδηλον ἀνθρώπων  
dicunt, scitè appellabimus כסף, i. verbum è ver-  
bo, *argentum scoriarum:* quasi ἀργύριον κίβδηλον καὶ  
πονηρὸν κόμμα.

33. Vinum aquâ mixtum.

In eodem loco, כבא מהול במים, *Vinum tuum mi-  
xtum aquâ,* declarat mores corruptos, aut vitium virtu-  
ti admixtum, & quadrabit in hominem animi parùm  
candidi, aut in eum, qui est improbatæ vitæ. Sumptum  
à cauponibus, quæstus causâ vinum cum aqua miscen-  
tibus. Neque abhorret hinc admodum, quod apud Am-  
brosium l. 3. de fide, cap. 5. *aquam cum vino miscent,*  
de Arianis, qui divinam cum humana Christi natura  
confundebant.

34. Cauda fumantis titionis.

זנב האור העשן, *Cauda titionis fumantis,* de minis  
inanibus: aut in eum qui multum ferocit, ceterum ni-  
hil potest. Hoc sensu reperis Jes. 7. 2. וזנב, Si Gramma-  
ticum Ebræum sequimur, non tam titio, quàm lignum  
agitando igni, cujus ea pars quæ postrema superest (nam  
paucatim consumitur) זנב, i. *cauda,* quæ fumum qui-  
dem facit, sed adurere nihil potest.

35. Lutum fictorem suum arguit.

Poterit adhiberi quando discipulus Præceptorem re-  
prehendit. Ceterum Jes. 45. 9. ubi legimus הוֹמֵר  
דוֹמֵר לִיצְרוֹ מַה תַּעֲשֶׂה, *Num dicet lutum fictori suo,  
Quid facis?* proverbium est, vel Camio teste, in eum  
qui de Dei actionibus queritur, ab eo quasi facti ratio-  
nem exigens. Quod sanè perinde absurdum atque  
indignum est, ac si argilla figulo diceret, *Cur mescis, aut  
sic formasti?* Eandem sententiam continet, *Va qui  
dicit patri suo, Quid gignis? aut mulieri, Quid enite-  
ris?*

36. Vitis fecunda in lateribus domus.

Quid sibi vult David Psal. 128. 3. cum ait, *uxor tua  
vitis fecunda in lateribus domus tue?* Innuit hone-  
stam matronam domi se continere, & rarò prodire in  
publicum. In lingua Syra meretrix יצארת ברא dicitur,  
q. *foras egrediens.* Causam appellationis ponit  
sapiens in quodam loco, ubi agit de muliere impudicâ  
& libidinosa, *Ejus pedes, inquit, domi non habitant:  
nunc in foro, nunc in plateis, & passim per omnes angu-  
los insidiatur.*

37. Antequam parturiverit, pariet.

בטרם תחיל ילדו, *Priusquam parturiverit, pepe-  
rit:* de eo cui repentinò salus obrigit: Jes. 66. 7. *Ante-  
quam parturiet pariat: antequam veniat ei dolor,  
ejiciet marem:* vult dicere, quod citò veniet salus Israe-  
li, citò liberabitur; הַיְשׁוּעָה תבוא תבוא לְיִשְׂרָאֵל  
ait David Scholiastes. Ductum à mulieribus  
sine dolore & facile parientibus.

38. Germen absque farina.

Vel, *non efficiens farinam.* Successum rerum mini-  
mè diuturnum, sed qui ad tempus tantum durat, & exitum  
habet infelicem, hoc dicto significant Ebræi. Legitur  
Hos. 8. 7. צמח בלי יעשר קמרו, *germen quod non  
facies*

faciet farinam. Licebit uti de adolescente ignavo & corrupto, quem significabimus inutilem Patriæ futurum, itidem ut semen corruptum inutile est agricolis, neque farinam inde pinsere, neque panem parare valentes.

39. Panis subcinericius non versus.

כֶּמֶן עֵינַי הוּא הַחֵמֶן, qui in lingua Magistrorum מֶמֶן הַחֵמֶן vocatur, Græcè autem dicitur ἐχθρομας, ἀπανθραξ: Unde כֶּמֶן בְּלִי הַפּוֹכֵחַ, Panis subcinericius non versus, (alii placenta non versa,) in proverbii forma dictum. Hof. 7. 8. de Ephraimo, quo significatur eum ante tempus patrio solo rejectura abiisse in exilium: aut immaturo, & quasi non cocto satis confilio, ut alii interpretantur, mutasse cultum patrium in cultum externum: quo nomine ibi quidem perstringitur, fateor: sed præcedit, Ephraim inter gentes dispersus fuit, quod magis est firmandæ priori sententiæ.

40. Super aspidem & basiliscum ambulare.

Ἐπὶ ἀσπίδα καὶ βασιλίσκον ἐπιθήσει, Super aspidem & basiliscum ambulabis, h. e. loca periculi plena tunc ac illæsus pervades. Sumptum ab iis, qui per deserta ac solitudines iter faciunt, in quibus venenatæ & immanes bestię, quales hic memorantur. Locus est Psal. 91. 13. Sed in Ebræis codicibus וַתֵּן תְּדַרְךָ עַל שֹׁהַל, quod reddunt, super leonem & aspidem calcabis. Nam שֹׁהַל leo immanis ac ferox. Quanquam Græcos sequutus Hieronymus aspidem convertit: & ne quid dissimulem, interpres Arabs videtur eundem serpentem indicare voluisse cum referret פֶּעִי אֶל פֶּעִי Nam פֶּעִי אֶל פֶּעִי, serpens, qui & אֶפְסֵרָא Ebræis. Alibi Aspis interpretamentum est vocis פֶּתַח, quam hic basiliscum reddunt. Sed ad rem. Sequitur apud Davidem, & conculcabis juvenem leonem ac draconem. Cæterum hæc eò pertinent, ut intelligamus innocentiam ubique tutam esse, & juxta Græcorum proverbium, Ne spinam quidem ladere virum bonum. Quò spectat & illud Horatii,

Integer vitæ scelerisque purus,  
Non eget Mauri jaculis, neque arcu,  
Nec venenatis gravida sagittis,  
Fusce pharetrâ:  
Sive per Syrtis iter astuosas,  
Sive facturus per inhospitalem  
Caucasum, vel qua loca fabulosus  
Lambit Hydaspes.

41. Bovi trituro anti ne os obturato.

לֹא תַחְסֹם שׁוֹר כִּדְשׁוֹ, Non capistrabis bovem dum triturat. Bobus trituro anti os obligare solebant, ne vescerentur tritico quod excutiebant. Vide Suidam in βῶς ἐπὶ σὼρῶ itémq; Erasmus in adagio, Bos apud acervum. Hoc ut inhumanum Moses hic fieri prohibet. Vox Ebræa, quam red dimus capistrare verbo Pliniano, significat capistro, sive cameo, aut fiscellâ, os jumentum constringere, ne edat mordeatve, quod Græci dicunt φιλῶν. Sententia plana est ac manifesta, videlicet, alendos esse eos, qui pro nobis in aliqua re laborant, velut sunt animalia humanis usibus infervientia, equi, asini, cameli: vel ex hominum genere, qui certo aliquo munere funguntur, ut sacerdotes, doctores, professores. Vetustas solebat uti bobus ad terendas fruges in area. Hinc nata Lex quæ legitur Deut. 25. 4. quam Apostolus refert

ad alimoniam eorum, qui docent Evangelium, 1. Cor. 9. In Mosis Lege scriptum est, Non obligabis os bovi trituranti. Num boves cura sunt Deo? an propter nos omnino dicit? propter nos enim scriptum est, quod sub spe debeat is qui arat, arare, & qui triturat sub spe, spei sua particeps esse. Similiter 1. Tim. 5. 17. 18. Qui bene præfunt Presbyteri duplici honore digni habentur, maximè qui laborant in sermone & in doctrina. Dicit enim Scriptura, βῶν ἀλοῶντα & φιλῶσαι, Bovi terenti non obstrues os: & Dignus est operarius mercede sua.

42. Fœtus ad matricem venit.

בָּאוּ בְנֵי עַד מִשְׁבֵּר, Venerunt filii ad matricem. Exstat Is. 37. 3. Adhiberi poterit cum significabimus rem in summum discrimen adductam. מִשְׁבֵּר ergò vulva, matrix: aut est sella parturientium, quæ מתברא Chaldæis quam vocem usurpavit aliquoties in sua paraphrasi Jonathan Uzielis F. Potest verti, venerunt filii ad nixum. Sed quoquo modo veritas, sumptum à mulieribus parientibus, quæ fœtum ad uteri fauces progressum ejicere non valent. Hujus loci est quod Hof. 13. 13. יָעֹמֵד בְּמִשְׁבֵּר בְּנֵי, Tempus non steris set in nixu filiorum: quo hoc significat, si respicisset, i. s. ad frugem redisset, morésque pravos, quibus imbutus erat, emendasset, miseria quæ vexabatur actutum recessisset, nec diu in ea angustia mansisset. Sic dico, temporis momento liberatus fuisset è malis in quibus erat.

43. Ne arato bove & asino simul.

לֹא תַחְרוֹשׁ בְּשׂוֹר וּבַחֲמֹר יַחְדָּו, Non arabis bove & asino simul. Vetustus intellexit de impari conjugio, quod fidelis inquit cum infideli, de quo Apostolus, Nolite jugum ducere cum infidelibus. Vide Hieron. epist. ad Gerontiam. Nicolaus Liranus quosdam existimare ait: locutionem parabolicam esse, quæ veteret in opere Ecclesiastico simul jungi sapientem & fatuum. Idorus scribit eum arare bove & asino, qui recipit evangelium cum ceremoniis Judaicis. Idem ad superiorem sententiam accedens, Fatuum, inquit, sapienti in prædicatione ne societ, ne per eum, qui rem implere non valet, ei obstruam qui prævalet: & mox, Stultus & sapiens bene conjunguntur, ut unus præcipiat, & alter obediat, non ut æquali potestate verbum Dei annunciant. Baal Hataturim societatem prohiberi ait, quam boni coeunt cum malis. Cæterum in Gemara cap. ellu ben hallokim, & cap. ellu aberim baphase vocatur חֲרוֹשׁ תְּלֵם qui bove & asino simul arat. Is tenebatur lege Judæorum pendere bovem unum & asinum unum, cujus rei Autor Nathan, cognomento Justus, Jehielides. Allegoria exstat Deut. 22. 10.

44. De vitibus Sodoma vites eorum.

מִגֵּפַת סֹדֹם גִּפְתָּם, De vitibus Sodoma vites eorum: h. e. referunt morum improbitate Sodomitas. Hoc alius interpretatus est, Superant vites Sodoma vites eorum: q. d. pejores sunt ipsis Sodomitis. Legitur Deut. 32. 31. De vitibus Sodoma vites eorum, & de vitibus Gomorrha: uva eorum sunt vites venenose, botri amari sunt eis. Non spreverim quod apud Chaldæum Paraphrastem, Quale fuit supplicium populi Sodomitani, tale erit supplicium ipsorum, ac si dixisset, de eodem vino bibent, quo incolæ Sodomæ, h. e. iisdem pœnis afficientur. Quod usitatus dicimus, Idem poculum bibe-

re. Ex quo & illud. *Vinum pavoris, sive stuporis, bibe-  
re. Nec hilum hinc abit, Vinum injuriarum bibent, de  
quonunc dicam.*

45. *Panem improbitatis edere.*

Prov. 4. 17. *Nam comedunt panem improbitatis, &  
vinum violentiarum bibunt: h. e. vivunt ex improbita-  
tio, sive ex malè partis, & ex raptò acquisitiove per inju-  
riam arque nefas. Fortè melius erit legi, Quare come-  
dent panem, &c. ut sensus sit, dabunt pœnas scelerum  
suorum. Ebræa sunt, כי לחמו להם רשע ויין חמסום, Vetus Interpretatio, quæ spernenda nunquam est,  
comedunt panem sinceritatis, & vinum iniquitatis bi-  
bunt.*

46. *Non potest urbs occultari supra montem  
posita.*

ὁ δὲ ἀλλοι πόλις κρυβήναι ἐπάνω ὄρους κειμένη, *Non potest  
urbs abscondi supra montem posita: Allegoria admo-  
ner facta eorum, qui Evangelium annunciant, occultari  
non posse; ac proinde circumspicere iis vivendum  
esse ne offendiculum præbeant infirmis. Legitur hoc  
sensu Matth. 5. 14. Vos estis Lux mundi: non potest  
urbs occultari supra montem posita. Nazianzenus  
orat. 2. de filio Dei, hoc dictum recenset inter ea, quæ  
non fiunt quidem ὡς ἐπὶ πλείον, ut loquitur, fieri tamen  
aliquo modo possunt: τάχα γὰρ ἂν κρυφθῆναι τις, φησὶν,  
ἐπιπροσθεῖν μείζον.*

47. *Panem filiorum catellis objicit.*

Christus usurpat Matth. 15. 26. nec obscura senten-  
tia est. Per filios enim intelligit Judæos, qui adoptio-  
ne hoc consecuti erant, ut filii Dei dicerentur, & essent  
revera. Sed ea appellatio nunc competit propriè in  
Christianos, & peculiariter in domesticos fidei. Si quis  
ergò quod illis debetur, id aliis tribuat, præsertim læ-  
vis ac impudentibus Ecclesiæ inimicis, non absurdè di-  
cetur panem filiorum canibus objicere. Quod non de-  
bere fieri ostendit idem ille, quem supra nominavi, sic  
inquiens, οὐκ ἐστὶ καλὸν λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων, καὶ  
βαλεῖν τοῖς κυναεῖς, *Non est bonum accipere panem  
liberorum & projicere catellis.*

48. *Face panem tuum in aquam.*

Μὴ δὲ δῶναι τὸν ἄρτον σου ἐν τῷ ὕδατι, *Mitte panem tuum super  
aquam, h. e. multis benefacito, sicut ait, Da partem se-  
pitem, atque etiam octo. Nam aqua in liceris mylticis  
multitudinem denotat. Aut projice in aquam, tanquam  
perituum. Perit enim quodammodo quod pauperibus  
datur, cum gratiam referre propter inopiam non pos-  
sint. Atque hoc respectu id verum. Aliàs non nego quin  
optimè collocetur beneficiùm hujusmodi. Nam Deus  
qui sibi factum reputat quod sit pauperi, tandem aliquan-  
do illud reddit eadem, aut etiam cumlatiore mensurâ  
quàm acceperat. Id innuit sequens membrum in isto  
versu, Quoniam diuturnitate temporis eum invenies.  
Atque hoc respectu non perit eleemosyna, sed magis  
fœneratur. Dicit enim certè, in cuius ore non fuit inven-  
tus dolus. Fœnerat Dominum qui benefacit tenui: qui  
ipsius benefactum ei rependet. Quid multa? eò labor ut  
credam rectius sentire eos, qui vertunt, Projice pa-  
nem tuum secus aquam; ut panis hic sumatur pro temi-  
ne ex quo panis fit: & secus aquam accipiatur pro eo  
quod est, in locis humidis & irriguis, in quibus semen*

optimè provenit. (Simile est Psal. 1. 3. *Sicut arbor  
plantata secus rivus aquarum, h. e. in loco humido.)  
tere, inquit, irriguo loco, h. e. esto liberalis in pauperes,  
& post aliquam multos dies invenies quod sevisisti. Nam  
quæstus est omne quod in paupere reperitur. Contrà,  
sumptus est quicquid in divite ac opulento infumitur,  
secundum illud, Qui dat diviti, duntaxat ad egestatē:  
Non me latet quoidam dicta verba Ecclesiastæ intelli-  
gere de ingratis. Sed fruantur illi sanè suâ sententiâ,  
dum meliorem nobis non invideant. Locus est Cohel.  
11. 1. quem totidem penè verbis expressum invenies in  
adagiis Ben-Siræ, sermone Chaldaico, Projice panem  
tuum super aquam, & in aridam: tu enim in fide die-  
rum eum invenies.*

49. *Qui dissipat sepem, eum mordebit coluber.*

פּרץ יסכנו הנחש, *Qui diruit (aut perrumpit)  
maceriam, eum mordebit serpens. Allegoria est prover-  
bialis continens hanc sententiam. Qui Legum consti-  
tutionem infringit, non feret impunè. Qui Religio-  
num sacra violat, non erit immunis à pœna. Qui sapien-  
tium instituta convellit, incidet in graves calamitates.  
Serpentes in sepium cavo plerumque delirescunt: inde  
si sepes diruas, erumpunt, atque adstanti lethale vulnus  
infligunt. Porro sepium nomine accipio jura omnia di-  
vina & humana, quibus Ecclesiæ Reipublicæque tan-  
quam sepibus continentur. Per morsum serpentis R. Sa-  
lomo intelligit מיתה בידו שמים, i. pœnam divinam,  
aut illatam cœlitus mortem. Legitur Cohel. 10. 8.  
Chaldæo sic interpretante, Gens qua violato divini  
sermonis decreto mundi tuetur sepem, veniet in pote-  
statem Regis scelerati, qui eam mordebit tanquam ser-  
pens. Græci vertunt, καὶ θάψεν ἡ φραγγυὸν, δὴ ξέλει αὐτὸν  
ὄψις. Vulgatus, *Qui dissipat sepem, mordebit eum colu-  
ber.**

50. *Qui prava serit, mala metet.*

Ὁ σπείρων φάλα, θελσει κακά, *Qui serit prava, me-  
tet mala. Exstat in Græca edit. Prov. 22. 8. Cœte-  
rùm in Ebræo est, זורע עולה יקצר און, *Qui seminat  
pravitatem, messurus est iniquitatem, h. e. pœnam ini-  
quiditatis. Qui improbè agit, id ei malo erit. Pravè facta  
autori exitio sunt. Sic Eliphaz Themanita Job. 4. 8.  
Quantum video, inquit, qui iniqua arant, & prava se-  
runt, eadem metent: Dei flatu pereuntes, ejusque ira  
Spiritu confecti. Pertinet ad Proverbium, Quod quis-  
que seminaverit, idem metet.**

51. *Ventum seminans, metet turbinem.*

Hunc locum sibi vendicat quod legitur Hof. 8. 7.  
רוח יזרעו וטפתו יקצרו, *Ventum seminabunt, & tur-  
binem metent: est enim allegoria. Porro ventum semi-  
nare dicitur, qui operam consumit circa res leves & va-  
nas. Hoc videtur innuere, ex vanissimo suo labore  
quem ponent in colendis idolis, nihil aliud percepturi  
sunt quàm damnum & calamitatem, velut si fererent  
ventum, messuri tempestatem vel turbinem. Ventum  
seminat, Græco adagio effertur ἀνεμων γεωργεί. Ventum  
colit, quod Erasmus admonet dici in eos, qui è suis la-  
boribus nihil fructus reportant. Sed mihi videtur præ-  
ter frustratam operam, etiam innui vanitas ac stulticia  
quædam.*

52. *Qui lapides transfert in eis laborat.*

מסייע אבנים יעצב בהם, *Qui lapides transfert, in eis laborat*; h. e. laborem subit, aut molestiam capit. Functio muneris cuiusque comitem habet laborem. Gravia munera gravi cum labore obeunda sunt: ne quidem mediocria, & omnibus expedita, ut est lapidum portatio, onere ac molestia vacant. Allegoria proverbialis admonens nihil fieri citra laborem. Reperitur Cohel. 10. 9. quod enarrant hoc modo, *Qui lapides transfert, h. e. qui leges & jura quibus Civitas fundata est, labefactat, aut qui res novas molitur, non contentus presenti statu, in eis dolore afficietur, h. e. inde malum sibi conflabit, ex quo gravem & acerbum dolorem capiet.* Hoc sensu enarravimus supra, *Qui sepem diruit, eum mordebit serpens*: quod melius reddas, qui maceriam diruit. Nam גרר certe maceria quæ ex lapidibus fiebat. Idem ergo reperit aliis verbis. Aut intelligentiam habet ex illo, *Ne transfer terminum antiquum*: nam terminus lapis erat in agro, qui fines dirimeret arborum.

53. *Qui ligna findit, in eis periculum subit.*

בקע עצים יסכן בכך, *Qui findit ligna, in eis periclitatur.* Ardua negotia non vacant discrimine. Non fit sine periculo facinus magnum & memorabile. Allegoria ducta ab iis, qui arbores cædunt: יסכן periclitatur, in discrimen venit, quod est סכן Chaldæis, unde & סכנה periculum. Plerique Ebræorum accipiunt hoc loco in significatione caloris, ut sit idem quod יתחמם calefiet aut calefiet: quemadmodum accipitur 1. Regum 1. & apud Arabes, qui rem calidam, teste Camio, אלסכון nuncupant. Tum sensus erit, *Qui ligna findit, in eis calefiet*: qui in re quapiam laborat, ex ea emolumentum capiet. Ita est sanè, honestum laborem semper comitatur utilitas, & ut Magistri dicunt, *in quo quisque laborat, ex eo commodum percipit.* Sunt aliæ in hunc locum expositiones, quas brevitate causa omitto. Visæ sunt hæc duæ reliquis potiores; sed si vobis non satis faciunt, causam non dico, quin meliores adferatis: aut si id facere non potestis, maneat liberum cuique iudicium suum.

54. *Adulterina plantæ non agunt altè radices.*

Νόθα μοσχοεὐμαλα & δώσσασι, πίζαν εἰς βάθον, *Adulterinae propagines non altè agunt radices.* Significat improbos minimè longævos esse, & est idem cum illo, *Improborum dies breves.* Translatum ab arboribus, quarum radices altæ, h. e. profundæ, non sunt. Nam tales cito exarescunt, nec diu durant. Refertur à Polydoro. Cùm autem elegans esset, nolui præterire. Aliàs in Græcis cod. reperi ἐν νόθων μαχρυσμάτων, ex adulterinis stolonibus: à quibus discedit aliquantum interpres noster, qui vertit, *adulterinae plantationes non dabunt radices altas.* Lectio varians, *adulterina vitulamna.* Existat in libro sapientiæ cap. 4. vers. 3.

55. *Venimus in ignem & in aquam.*

באנו באש ובמים, *Venimus in ignem & in aquam*: h. e. in omne genus calamitates: acerbissima quæque subivimus. Allegoria proverbialis, quæ legitur Psal. 66. 12. In Græcis est, διήλθομεν διὰ πυρός & δι' ὕδατος, *transivimus per ignem & aquam.* Cui simile in adagijs Ebraïmi, ἐν πυρὶ βαίνειν, *per ignem incedere*: & apud Sa-

lomonem, *super prunas ambulare.* Quin & aquæ metaphora passim res adversas denotat, ut Psal. 69. 3. *Ingressus sum profunda aquarum*: & vers. 2. *Venerunt aquæ usque ad animam*; q. d. ita premor adversis ut mihi periculum sit de vita: item Psal. 118. 17. *extraxit me ex aquis multis.* Posses hinc lucem facere illi Proverbio, *face panem tuum in aquam*, ut sensus sit, in ipsam miseriam, h. e. in miseros & pauperes.

56. *Defundi de vase in vas.*

Qui incertis sedibus errat, eiectus modò hinc modò illinc, is defundi dicitur *de vase in vas*; & est metaphora à vinis, quæ itendidem ex uno vase transfunduntur in aliud. Josephus Carus in principio libri qui inscribitur ארכו לנו הימים הורקנו מכלי אל כלי ובגולה הלכנו, *produkti sunt nobis dies, de vase transfusi sumus in vas, in exilium deportati abivimus.* Loquitur de se & popularibus suis Judæis, significans eos exilii causâ subinde solum vertere, nec in uno loco diu perdurare, quod principum edictis hinc inde passim exigantur. Vide sequentia.

57. *In suis facibus quiescit.*

שוקט אל שמרו, *Quiescit in facibus suis*: quod usurpari poterit de eo, qui in patria bonis ac facultatibus suis securè fruatur. Metaphora ducta à vinis, quæ in facibus suis conservantur, nec de vase in vas defunduntur, Jer. 48. 11. *Tranquillus Moab à pueritia, quiescit in facibus suis, nec est defusus de vase in vas, i. non abivit in exilium, ideo perstitit suus in eo sapor, nec est ejus odor immutatus.* Theodoretus ad h. l. *Non est defusus de vase in vas* h. e. *Non immutavit suam habitationem, non fuit sedibus suis pulsus.* Jonathan paraph. *Quiescent fruentes opibus suis, non fuerunt ex uno loco deportati in alium.*

58. *Concretus in facibus suis.*

קפאית על שמריהם, *Qui concretus in facibus suis.* Fæces autem dixit, ut divitias significaret per contemptum; sicuti Prophetis, qui hunc proximè antecedit cùm opes עבטום denum sum lutum appellat. Hab. 2. 5. earum vilitatem appellatione rei vilissimæ ostendit.

59. *In meridie palpat.*

ממשש בצהריים, *Palpat in meridie.* Græcè sonat, φηλαφει μεσημβρίας. Adhiberi potest ubi quis hallucinatur in rebus perspicuis ac manifestis. Propriè in eum competit, qui in clarissima luce veritatis nihil omnino videt, planèque cæcus est. Deut. 28. 28. *& eris palpans in meridie, quemadmodum palpat cæcus in tenebris.* Job. 5. 13. *Qui sapientes capit in ipsorum calliditate, & consilium perversorum reddit temerarium; ita ut interdum tenebris occurrant, & tanquam noctu palpant in meridie.* Est autem orationis exornatio quæ de corpore animi res cognoscuntur, sumpta à cæcis absque duce gradientibus, & obvium parietem vel in ipsa meridie palpatibus.

60. *Cæcus parietem palpat.*

Hujus loci est, ממשש כעור קיר, *Palpat parietem*

ut cacus. Nam idem cum superiore. Legitur Jel. 59. 10. ubi gentis suæ cæcitatem in ipsorum persona ad hunc modum describit, *Lumen expectamus, & ecce tenebra; splendorem, & in caligine gradimur. Attrectamus ut cæci parietem, & tanquam oculis carentes palpamus; impingimus in meridiem in crepusculo.* Mentio hujus apud Polydorum.

61. *Qui cum lacrymis serunt, cum cantu metent.*

הזורעים בדמעה ברנה יקצרו, *Qui seminant cum lacrymis, cum cantu metent.* Præsens vita piorum lacrymis abundat, i. rebus asperis & calamitosis; sed eam consequitur altera vita plena lætitiæ & jucunditatis, quæ messi assimilatur, propterea quod in ea unusquisque mercedem accipit suis factis dignam; Quocirca qui hoc infelicitatis tempore præmium quærit, perinde facit ac si velit sementis tempore metere. Expectanda messis est, hæc futura vita: in qua non ut in hac pro jure regnabit injuria, sed sola dominabitur justitia & veritas sublatis erroribus. Ergo qui propter justiciam morerent in hac vita, gaudebunt in altera. Quin quod major lacrimarum sementis facta fuerit, hoc uberius exultationis & gaudii futura est messis. *Serere cum lacrymis, est vitam vivere miseram & calamitosam, cujusmodi vitam vivebant Judæi in exilio Babylonico, de quibus lectum Psal. 126. 5. Qui serunt cum lacrymis, cum cantu messuri sunt, &c.* Græcè est, σπείροντες ἐν δάκρυσι ἐν ἀγαλλιάσει θερισί, *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.* Allegoria sumpta videtur ab agricolis ex arido solo, cui lacrymantes ac penè desperantes semina mandaverat; uberem fructum percipientibus.

62. *In tenebris ambulat.*

הולך בחשך, *Ambulat in tenebris.* Congruit cum eo quod supra recensuimus, *in meridiem palpat.* Cohel. 2. 14. *Stultus in tenebris ambulat.* Nam stulti vel propter imperitiam videre ne quicquam possunt, Itaque merito dicuntur *in tenebris ambulare,* tanquam cæci & amentes. Sanè radix & principium peccati est caligo mentis, h. e. ignorantia & error: unde Siracides, *scelerosis cognata sunt error & tenebra:* & Plato apud Stobæum, *Τὸ ἡδονῆς ἥτις εἶναι ἀμαθία ἢ μεγίστη ἀδολφία* voluptatibus vincit extrema inscitia est. Potest accipi de tenebris calamitatum, quibus circumfusa est vita stultorum cum sapientes impudentia pericula cautè declinent, omnia tanquam oculis cernentes, & longè antè prævidentes. Prov. 4. 18. *Via improborum quasi caligo: nesciunt quò impingant.*

63. *Pro pane lapidem dat.*

Ubi quis bonæ petenti ei porrigit quæ noxia sunt. Ufus est Servator Matth. 7. 9. *Nam quis est ex vobis homo, qui si filius ejus petierit ab eo panem, & ei lapidem, q. d. nemo vestrum id facere solet, tametsi homines sitis, h. e. naturâ mali ac improbi, nedum ut id faciat pater vester cælestis, qui solus bonus est, atque ad eò ipsa bonitas.* Citatur alibi proverbii nomine ab Erasmo.

64. *Pro pisce serpentem.*

*Vel piscem petenti serpentem dat.* Exstat in loco

citato, καὶ εἰς ἰχθὺν αἰτήσῃ, μὴ ὄψιν ἐπιδώσει αὐτῷ, & si piscem petierit, num serpentem dabit ei?

65. *Pro ovo scorpionum.*

Hujus meminit Erasmus in præfat. in adagia Ascensione editionis. Invenies autem Luc. 11. 12. καὶ εἰς αἰτήσῃ ὄν μὴ ἐπιδώσει αὐτῷ σκορπίον; et si petierit ovum, num dabit ei scorpionum.

66. *Sol in meridiem occidit.*

Significationem habet tristissimi temporis ut Amos 8. 9. והבאתי השמש בצהרי, *Faciam ut sol in meridiem occidat.* Sententia est velut si diceret, maximas calamitates importabo. Nam solis occasu tenebris omnia obscurantur. Tenebræ autem in literis mysticis res adversas denotant, quod notum vel ipsis juvenis. Sic Amos. 5. 20. *Nonne tenebra dies Domini, & non lux & caligo, cui non est splendor?*

67. *Qui non ingreditur per ostium in caulam ovium, fur & latro est.*

*Qui ingreditur in caulam ovium, h. e. in Ecclesiam Dei aliunde quàm per ostium, sive per Christum, sive ut Theophylactus interpretatur, per Scripturam, ille fur est & latro.* Habentur illa verba Joh. 10. 1. Citanturque proverbii nomine apud Polydorum, qui restem in hac re laudat ipsum Evangelistam, cum παροιμία ἐὸ loci non sit Proverbium propriè, sed parabola, sive comparatio, aut similitudo, h. e. מסל masal, quæ vox latissimè patet in lingua Ebræorum, adeò ut etiam apologos.

68. *Fermentum in farina.*

Ζύμη εἰς ἄλευρον κεκρυμμένη, *Fermentum in farina conditum.* Adhibetur Matth. 13. 33. de regno Christi ad significandum ejus progressum, qui sit sensum, initio ducto à tenuissimis principiis, veluti fermentum in farinam abditum paulatim totam eam fermentat. Venustius fiet, si transferatur ad hominem malum, qui moribus suis inficiat cœtum eorum quibuscum conversatur & consuetudinem habet. Polydorus ait *videri allegoriam proverbialem esse, ac dici posse in eum, qui astu & cura, hominum studiis in rem suam tractis, civitatis aut regionis alicujus imperium obtinere nititur.* Sed viderit.

69. *Hic exstruit parietem, illi obducunt ipsum inepto tectorio.*

והוא בנה חייץ והנם שחים אותו תפל, *Hic edificat parietem, & ecce ipsi oblinunt eum in sulso, h. e. inepto, tectorio.* Nam id elegerim præ eo quod apud Sanrem, luto absque firmitate. Porro חייץ Tremellio est propriè paries è luto: itaque legitur in eo *exstruit luteum parietem.* Hanc pulcherrimam allegoriam invenies Ezech. 13. 10. quam per temporis angustias vobis enarrare non possum. Urgent enim operæ, & aliò properandum est.

70. *Cibus absque sale.*

Ubi quippiam fit aut dicitur quod gratiâ careat. Refertur à Polydoro ex edit. Aquilæ: nam aquilam scilicet edidisse ἀνάλω, ubi in Ebræo תפל legitur, videlicet in loco quem supra produximus ex Ezechiele. Unde miror Polydorum qui de cibo acceperit, cum nihil aliud ibi sit ἀνάλω, quàm tectorio in sulso, h. e. inepto, ut supra

præ indicavimus. Videri tamen translatio esse à cibis sale non conditis. Quod non obscure declarat Hier. ad eum locum, in hunc modum scribens, *Aquila verbum Ebraicum* *לחל* *interpretatus est* *ἀνάλω*, quod significat

absque sale; de translatione transiens ad aliam translationem, ut quomodo cibus absque sale nullum habet saporem, ita & lutum absque paleis, quibus firmatur & stringitur, nil roboris possit præbere pariet.



JOH. DRUSII

# PROVERBIORUM

## CLASSIS SECUNDÆ:

LIBER III.

1. *Effossos oculos dare.*

**S**ingularem erga se affectum, & amorem Galatarum quasi proverbiali tropo declarat Apostolus, Gal. 4. 5. cum ait, *εἰ δὲ δὸν ἄλῳν τῶν ὀφθαλμῶν ὑμῶν ἐξο-  
γυζάντες ἀνέδωκατέ μοι*, *Si fieri potuisset, oculos vestros effossos dedissetis mihi*. Sic vulgò *impertire oculos suos* dicitur qui id quod in vita charissimum habet pro altero impendit. Nihil enim charius oculorum sensu: Unde in exprimenda amoris vi frequens eorum mentio apud scriptores tum sacroscum profanos.

2. *Animam impartire.*

Affine est 1. Thef. 2. 8. *εὐδοκῶμεν μετὰ δένα ὑμῶν ἢ μόνον τὸ εὐαγγέλιον τῆς Θεῆς, ἀλλὰ καὶ τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς*, *Cupiebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam nostras ipsorum animas*: dictum autem figurâ loquendi per hyperbolen, qualis in illo Hesiodi, cum pecuniam ait esse *ψυχῆν δειλοῖσι βροτοῖσι*, *Animam miseris mortalibus*. Quod genus occurrit & in Græcorum Proverbiis, *ζωὴ καὶ ψυχὴ*, *vita & anima*: item *αἷμα καὶ ψυχὴ*, *sanguis & anima*, de re vehementer chara & jucunda. Est enim anima rerum omnium ut pretiosissima, sic charissima; quâ neque prius habemus preciosam nec antiquius: ita ut verissimè dictum sit, *Pelle pro pelle, & quicquid habet homo dat pro anima sua*.

3. *Sol ne occidat super iracundiam vestram.*

Eph. 4. 26. *Ὁργίζεσθε καὶ μὴ ἀμαρτάνετε, ὁ ἥλιος μὴ ἐπιδύστω τῷ παροργισμῷ ὑμῶν*. i. *Irafcimini, & ne peccate: Sol ne occumbat super iracundiam vestram*. In his postremis verbis Apostoli figura est proverbialis, cuius me admonuit clarissimum lumen Theodorus. Significat autem, ut idem annotat, iracundiam primo quoque tempore cohibendam esse: ac si dicat. Si contingat vobis irasci, ne sic indulgere iracundiæ vestræ ut peccetis. Quin actutum comprimite eam ne locum detis Diabolo. Reperitur hæc eadem locutio Deut. 24. 15. Sed citra figuram. Dicitur enim ibi *sol occumbere super mercedem*, quæ non solvitur ante solem occidentem. Simili ratione *oriri* dicitur *super furem*, qui post solis ortum in furto deprehensus sit. Locus Apostoli pro iis qui Ebræa desiderant, poterit verti hoc modo, *רגזו ואל תחטאו השמש לא תבא על עקבתכם*, *Commo-*

*veamini, & ne peccetis. Sol ne occidat super indignationem vestram.*

4. *Digito loqui.*

*Digito loqui* gestus est superborum & alios præ se vehementer contemnentium, proprium enim talium hominum, quæ significata domi volunt, digiti nutu indicare, quasi nemo domesticorum dignus sit quem voce alloquantur. Quod de Pallade quodam refertur. Viro clarissimo, qui vixit sub Neronis principatu, is enim cum accusatus esset quod Cornelium Syllam ad imperium vocasset, & liberti ejus nominarentur quos confcios haberet, respondit, Nihil unquam sed domi nisi nutu aut manu significasse. Quo dicto superbo populi invidiam in se mirabiliter concitavit, & ex amicis plurimos inimicos sibi fecit: nec mirum: nihil enim generis claritatem virtutisque gratiam citius extinguit, quam superbia, nihil odiosius. Legitur Prov. 6. 4. apud vetustum interpretem, ubi in Ebræo *באצבעותי מורה*, de homine nequam, i. *docet, sive indicat digitis suis*. Quod superbiæ signum esse præter alios etiam Nicolaus declarat hæc glossâ, *Loquitur digito per superviam*. Tertullianus huc respexerit fortasse, cum ita scriberet, *Sed in supercilio capitis, & nutu digiti accommodato altius tollens, & quasi retro jactans, Erat, inquis, quasi semper fuerit, scilicet innata & infecta & ideo materia credenda*. Posset ad hanc sententiam aptari Jel. 58. 9. *extensionem digiti*. Sanè quidem Jonathan interpretatur: *Nutum qui sit digito*. Sed de hoc loco aliàs.

5. *Membrum asininum.*

*בשר חמור*, *Membrum asini, sive asininum*. In proverbio est de enormi vastoque genitali. Nam verendi enormitate supra modum præditi sunt asini. Ideò apud nonnullas gentes Priapo sacri habentur. Nec aliâ de causa commodus Imperator onos dictus est quàm quòd prægrande membrum haberet. Usus est Ezechiel ut significaret enormem scortationem, h. e. idololatriam populi Israel & Judæ. Ezech. 23. 20. *Membra asinorum membra eorum*. Hoc in loco verus Interpres edidit, *quorum carnes sunt ut carnes asinorum*: nimis obscure *בשר* quid propriè & usitatè *carnem* denotat, sed hic aliter accipitur, nempe pro ep quo viri fumus ut Lev. 17. 2.

Eodem significato accipitur Ezech. 16. 26. גדולי בשר, i. magno membro præditi, mutonitati.

6. *Erunt ac si non fuissent.*

והיו כלא היו, *Erunt quasi non fuissent.* In usu est hic sermo apud Prophetas cum significare volunt id quod David aliis verbis extulit, *perit memoria eorum cum ipsis.* Idem certè valet, *erit ac si non fuisset, & peribit memoria ejus una cum ipso:* Qui enim ita pareant, similes sunt iis quin unquam exstiterunt. Quippe de vita eorum juxta ac morte filitur, ut verbis utar Sallustianis. Exstat Abd. v. 16. *Quia sicut bibistis in monte sancto meo, bibent omnes gentes jugiter, & bibent & absorbebunt; & erunt ut si non fuissent.* Paulò aliter accipies Sapient. 2. 2. καὶ μὲν τὸ ἐσομεθα ὡς ἂν ὑπάραξαιτες, *postea futuri sumus quasi non fuisset:* Sensus est, & anima & corpore simul interibimus: verba enim sunt eorum, qui post mortem nihil hominis superesse credebant.

7. *Corde & eorde.*

בלב ובלב, *Corde & corde.* Valet corde & animo duplici. Proverbium simulationis. Exstat Psalm. 12. 2. *Corde & corde loquuntur:* Ubi à Symmacho interpretatur, *In corde aliud & aliud loquuntur.* Verbis Sallustii diceret, *aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habent.* Scitum autem illud Homeri,

Ἐχθρὸς γὰρ μοι κείνῳ ὁμῶς αἰδᾶς πύλῃσιν;  
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθη ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἶπῃ.

*Hostis enim mihi ille perinde ac inferorum porta.*

*Qui aliud quidem celat in pectore, aliud verò dicit.*

Reperitur & cum negatione, 1. Par. 12. 33. *Ordines servare absque corde & corde, i. bonâ fide, unanimiter, absque ulla similitudine: quod aliâs dicunt בלב שׁלב corde integro ac sincero.*

8. *Cor unum.*

לב אחד, *Cor unum.* Proverbiale ὁμόνοιας, quo summum consensum significant. 1. Par. 12. 38. *Totius residui Israël cor unum erat ad Davidem regem constituendum.* 2. Par. 30. 12. *Dando eis cor unum ad faciendum præceptum Regis ac Principum.* Act. 4. 32. τὸ δὲ πλῆθος τῶν πιστευσάντων ἦν ἓν καρδίᾳ καὶ ἓν ψυχῆν, *Multitudinis autem credentium erat cor & anima una.*

9. *Non remanebit ungula.*

Ad proverbialium Classẽm pertinet quod habetur Exod. 10. 26. לֹא תשאֵר פֶּרֶסָה, *Non relinquetur angula pro eo quod est, nihil profus relinquetur.* Quod Aquila Interpres Chaldæus declarat referens, לֹא נשאֵר פֶּרֶסָה, *Non relinquemus (aliâs, non relinquetur; & hoc malo, ut sit Nun loco Joth: nam has literas ita permutabant veteres aliquando) ex eo quicquam.* Cœterum mentio ibi animalium ungulas habentium in quorum mentione propriè locum habet hæc hyperbola: poterit extendi tamen ad res alias quaslibet; ut si quis indicare volens direptam urbem aliquam in qua nihil relictum sit quod hostes non abstulerint, sic dicat, *Ne ungulam quidem remansisse.* Aut si quis de homine impendio nequam, dicat, *ne ungulam quidem bonæ mentis ei superesse, sed hoc duriusculum mihi videtur.*

10. *Ante lunam.*

לפני ירח, *Ante lunam.* Sermo Proverbialis, sicut dicimus *ante solem:* valet autem interpretibus Ebræis,

בְּעוֹד הַיָּרֵחַ *dum luna erit, quamdiu luna durabit: h. e. in perpetuum.* Nam luna perpetuò durat, ut corpora omnia cœlestia. Psal. 72. 5. *timebunt te coram luna,* πρὸς τῆς σελήνης. *ibidem est, cum sole.* Vide quæ scriplimus ad illud Proverbiale. Nec alia sententiã v. 7. in illo, עַד בְּלִי יָרַח, *donec non sit Luna, vel, donec desinat esse Luna.*

11. *Cor carneum.*

לב בשר, *Cor carneum.* In Proverbio est significans molle, sequax, tractabile. Ezech. 11. 19. *Auferam cor lapideum è carne eorum, & dabo eis cor carneum.* Legitur & Ezech. 36. 26. καρδία σαρκίνη. Sirach. 17. 16. *Non potuerunt corda sua pro lapideis facere carnea,* 2. Cor. 3. 3. *Non in tabulis lapideis, sed in carnis tabulis cordis.* Alludit ad legem scriptam in tabulis lapideis. Quæ tabulæ adumbrabant humani cordis summam duritiem: cui opponuntur *tabula cordis carnea,* quæ vi spiritus factæ molliores, ut in iis gratia Evangelii facillimè insculpi possit.

12. *Cor adamantinum.*

לב שׁמיר, *Cor adamantinum,* pro indominabili, quòdque minimè flecti potest, sicut dicimus *cor lapideum,* & significat animi in malis obstinationem pertinaciãque, Zach. 7. 12. *Cor suum posuerunt adamantem, vel, si placet, adamantis, h. e. adamantinum.* Hieronymi verba sunt ad h. l. *Cor suum posuerunt adamantem.* Duritiam cordis ostendit & cor lapideum, quòd noluerint verba Dei suscipere. Adamas enim lapis fortissimus, qui Ebraicè dicitur Samir, in tantum durus est, ut omnia metalla confringat, & ipse non confringatur ab ullo. Unde à Grecis ἀδάμ, i. indomabilis, dicitur.

13. *Cornu efferre.*

להרים קרן, *est Cornu efferre, h. e. superbire & insolere, Psal. 75. 5. 6. Dixi insanis, ne insane: & impiis, ne cornu efferre. Ne efferre in supremum cornu vestrum, loquentes cervice præfracta.* Hoc sensu Ovidius dixit,

*tunc pauper cornua sumit.*

14. *Cornu attollere.*

Et *cornu attollere,* sicut dicimus *caput attollere,* quod est animi securi & fiducia pleni. 1. Sam. 2. 1. *Attollitur cornu meum in Domino,*

15. *Cornu extollere.*

Et *cornua, sive cornu, extollere, h. e. vires ac potentiam augere, imperium amplificare.* Psal. 92. 11. *Extollis ceu monocerotis cornu meum.* 148. 14. *Extollit cornu populi sui.* Huc refer ex 75. 6. *extollentur cornua iusti.* Sic 112. 9. *cornu ejus extolletur in gloria.* Et 39. 18. *in benevolentia tua extolletur cornu nostrum.* Ad quem locum Theodoretus, *Cornu, inquit, robur & imperium vocavit ex translatione animalium cornutorum, quæ cornibus armata sunt, hisque utuntur contra aggredientes.* Quibus non dissimilia scribit. Hier. in Comment. Hab. 3. Sic enim ibi scribit, *Moxis est Scripturarum, ut semper cornua pro Regnum ponant, unde illud, Exaltavit cornu Christi sui; & in Daniele, Decem cornua decem regna demonstrant.*

16. Cornua sumere.

לקחת קרניו, est sumere cornua: h. e. robur ac potentiam parare. Amos. 6. 13. *Qui dicitis, nonne nostris viribus sumpsimus nobis cornua?* Sed forte melior expositio. *sumpsimus nobis cornua*, i. e. arma ad lacessendos hostes. Ductum à bestiis, quas natura cornibus armavit.

17. Cornu salutis.

קרן ישע, Cornu salutis Sic David appellat Deum propterea quòd ejus ope atque auxilio salutem adeptus fuerat. Psal. 18. 3. *Chlypeus meus, & cornu salutis mea.* In collectaneis troporum scripturæ, *Cornu salutis abiit apud Ebræos in proverbium, usurpaturque pro salute & insigni victoria.*

18. Coram Arcturo.

לפני עש, Coram arcturo, vel ante arcturum, ut alibi, ante solem, ante lunam: Sermo indicans perpetuitatem. Nam arcturus in perpetuum durat. Conservatur enim in se ipso, ut reliquæ stellæ. Job. 4. 19. *conterent eos ante arcturum.* Hic Santes donec fuerit arcturus. Alii maluerunt, *ante tineam*, i. citius quàm tinea, quod mihi sanè non displicet. עש arcturus, Ita sumitur Job. 9. 9. Si non fallit nos interpres priscus.

19. Lex regia.

Νόμος βασιλευσιν, i. Lex Regia. Ebraicè dicitur. תורת המלך, Lex Regis; ut via regia. דרך המלך via Regis. Explicatur autem tribus modis. Sunt enim qui Regis nomine Deum significari putent, ut Nicolaus, qui exponit, *Legem regiam, à rege regum datam.* Alii verò putant *Legem regiam* dici [sic Glossa ordinaria: itémque ea quam interlinearem vocant,] pro ea quæ excelsit in suo genere. Quà ratione (certè non valde absimili) *cubitus Regius* dicitur qui à vulgari differt solâ magnitudine. Alii demùm *legem Regiam* accipiunt ad instar viæ regis, quæ plana sit & sine ullis diverticulis: vel quæ communis omnium sit, & tam ad singulos quàm ad universos pertineat. Hoc postremo sensu est purum purum proverbiale, ut opinio mea fert. Jac. 2. 8. *Siquidem legem regiam præstatis secundum scripturam, diliges proximum tuum sicut te ipsum, bene facitis.* Moneo te lector, quisquis es, apud Syrum veterem interpretem legi דאלהא נמוסא, i. νόμον τῶ Θεοῦ, *Legem Dei.* Quæ interpretatio eam maximè confirmat expositionem, quam ex Nicolao suprè produximus.

20. Extento gutture.

Qui elatè incedunt, extento gutture ambulare dicuntur. Est enim signum superbiæ *extentum guttur*: sicut *extentum collum, & erecta cervix*, Jes. 3. 17. propterea quòd elatè sunt filia Sion, & ambulant extento gutture. Codex Ebræus habet נטויות גרו, i. verbum è verbo, *extenta gutture.* Vetus autem editio, *extento collo.* Eadem editio Job. 15. 26. *erecto collo* legitur, ubi in Ebræis est בצוואר collo simpliciter. Hier. in Comment. Habac. 2. 2. *Superbia propriè in extentione colli & cervicis erectione monstratur.*

21. A vento depasci.

Vento nihil celerius. Unde à vento depasci dicitur qui celerrimè perit, & quasi in ventum abit, ac in nihilum redigitur, Jer. 2. 2. *Omnes tuos pastores depascet*

ventus. R. David hunc locum sic explicat, *Pastores tui conterentur è vestigio, perinde ac si à vento impulsifessent.* Jonathan diversus abit ab hac sententia: quippe transfert, *cuncti pastores tui dispergentur in omnem ventum*, i. in omnes partes orbis. Prius verius. Narum videtur ex eo quòd ventus terræ superficiem celerrimè exsiccat, ejusque humidum absumat, & quasi in nihilum redigat.

22. Tempori servire.

Tempori servire, ut quidem exponitur ab interpretibus nonnullis, est opportunitate temporis uti ad bene merendum de aliis, omnémque juvandi occasionem studiosè ac diligenter captare, quod Græcè legitur καιρῶ δαλέουτες, Rom. 12. 11. i. occasione, sive, ut Glossa ordinaria, *opportunitati servientes.* Erasmus existimat hoc dicto moneri pios, si quid pro tempore inciderit incommodi, ut boni consulant, ut cohæreat cum eo quod sequitur, spe gaudentes. Nam id esse *tempori servire.* Si quis exigit tributum, inquit pende. Si quis vectigal, solve; si quis exigit honorem, redde: si quis affligit, patere, nec ea res tristem reddat, sed spes erigat in malis animum. Hastenus Erasmus, Theodorus addit quosdam in ea sententia esse, ut putent præscribi fidelibus ut pro temporis ratione se accommodent fratribus, sicut Apostolus se factum esse omnia omnibus. Sciendum autem Græcos pleròque codices habere καιρῶ δαλέουτες, quam lectionem secutus sit interpretes Latinus; nam vertit, *Domino servientes.* Sed Erasmus prætulit, *tempori servientes*; & admonet hujus lectionis præter eos, quos Erasmus citavit, autor Glossæ interlinearis, quam vocant

23. Mater cum liberis.

מל על בניו, Mater cum filiis; sub. percussa, vel, allisa. In usu est quasi proverbiali, quando significare volumus, neque ætati neque sexui parcitum, omnibus ad internecionem deletis: Hoc modo usurpatur Gen. 32. 11. *Ne veniens percutiat me, matrem cum filiis:* & Hof. 10. 14 *mater cum filiis allisa est.* Usurpavit & Philo, vel saltem autor antiquitatum Biblicarum.

24. Neque in hoc seculo, neque in futuro.

ולא לעולם הזה ולא לעולם הבא, Neque in seculo hoc, neque in seculo venturo. Genus loquendi proverbiale, ut apparet, pro, nunquam; sicut dicimus, *neque bonum neque malum*, pro, nihil quicquam: *neque primus neque ultimus*, pro, nemo. Tale est, *neque ad dexteram neque ad sinistram*, pro, in nullam partem. Apud Scholiam Ben Siræ, *Qui lingua morbo laborans sanari non possunt, neque in hoc, neque in futuro seculo*, Matth. 12. 32. *ὅτι ὁ φεθῆσεται αὐτῶ ἕτε ἐν τῷ τῶ αἰῶνι ἕτε ἐν τῶ μέλλοντι.* Non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Quam sententiam in medio positam quidam inepris quæstionibus involvere maluerunt quàm simpliciter referre.

25. Homo somnus.

אדם שנוה, Homo somnus: sicut dicimus homo bulla. Homo somnus, quia vitam agit in somno, h. e. vanissimam Psal. 90. 5. *Quasi inundatione rapis eos, somnus sunt.* Homo enim ætatem quasi in somno traducit, majore parte vitæ per calamitates ademptâ. Sanè quidem

dem somnus mediam partem vitæ hominibus aufert, sed fortè melior interpretatio quæ apud Hieronymum.

26. *Homo somnium.*

Nam Hieronymus hoc in loco legit, ut somnium erunt. Cui lectioni firmandæ est Scholion Camii Ebræis somnus sunt. Vult dicere, ut somnium in somno. Porro somnia, præsertim à cibo & potu, vanissima sunt. Nec dissimilis vita humana. Quid enim eâ fragilius? quid fugacius? quid evanidum magis aut caducum? Ergò Æschylus apud Stobæum καπνὸς σκιάς, i. umbra fumi similem esse ait. Pindarus in Pythiis hymn. 8.

Τί δὲ τίς; τί δ' ἔστις;

Σκιάς ὄναρ ἀνθρώπου.

i. umbra somnium homo. Quod relatum à Scholiaste Sophoclis in Ajace mastigophoro.

27. *Leonina facies.*

פני אריה, *Vultus leoninus.* In proverbio est de generoso ac terribili, qualis est optimorum milicum, qui aspectu suo terrorem aliis incuriunt. Nam leonis vultus cum generosi & magni animi index est, tum etiam terrorem adfert ac formidabilis est intuentibus. Unde Ægyptii sacerdotes in hieroglyphicis leonem pingebant, cum significare vellent hominem horrendo ac terribili aspectu, cujus rei testis est Pierius. Quinetiam si quis somniasset se leoninum habere caput, cum onirocritæ terrificum fore hostibus denunciabant. Exstat 1. Par. 12.9. *Facies leonis facies eorum.* Hic glossa est à Salomone Gallo כארוה כפודודים, non minus terribiles ac formidabiles erant quàm leo.

28. *Fornax ferrea.*

כור חרזל, *Cainus ferri*, h. e. in quo ferrum liquatur: à Græcis χῶν, sive χωνέιον dicitur. Sic recentior interpretatio. Prius erat in aliorum editionibus, *fornax ferrea*. Sic legitur *virga ferri*, pro, *ferrea*. Porro ferrum in metaphora pro duro ponitur. *Fornax* ergò *ferrea* vocatur Ægyptus propter durissimam servitutem, quam ibi olim servierunt Israelitæ. Augustinus locutionum lib. 5. *Fornacem ferream duram tribulationem intelligi voluit. Secundum hoc & de Joseph dictum est in Psalmis, Ferrum pertransit animam ejus.* Sanè quidem fornax symbolum est rerum adversarum: nam ut fornax metalla explorat, sic res adversæ homines justos. Reperitur Deut. 4. 20. *Vos enim assumpsit Dominus, & eduxit è fornace ferrea ex Ægypto:* & 1. Reg. 8. 51. *Quos eduxisti ex Ægypto, è medio fornacis ferreae;* & Jer. 11. 4. *quo die eduxi eos è terra Ægypti, è fornace ferrea.*

29. *In ventum erunt.*

Jer. 5. 13. *Propheta erunt in ventum:* h. est evanescent, ad nihilum recident, & quasi in ventum abibunt. Aut erunt ventus, h. e. ventosi: aut vento similes, h. e. vani ac mendaces; q. d. Quæ prædicent, ea non evenient. Ita falsis Prophetis poena denunciatur quæ futura sit, vel inreritus interneciòque, vel prædictionum vanitas.

30. *Non dormiunt, nisi malefecerint.*

Proverbialiter declarat immodicam cupiditatem malefaciendi. Prov. 4. 16. *Non dormiunt nisi malefecerint;* & eripitur somnus eorum, nisi fecerint ut aliquis impingat. Dictum ut apud Aristophanem, *Non capit*

somnum nisi hoc vel illud fecerit. Vide Chiliades Erasmi. Simile est apud Virgilium,

Et si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

Huc refer ex Prov. 6. 4. *Ne dederis somnum oculis tuis, neque dormitationem palpebris tuis.*

31. *Dormietis nemine exterrente.*

ושכנתם ואין מחריד, *Dormietis, nec erit qui exterrereat.* Proverbiale de iis, qui in summa pace vivunt, & animo securi sunt. Quadrat cum illo, in utramque aurem dormire. Reperitur Lev. 26. 6. Affine est, *dormit & expergit scitur*, quod aliàs à me explicabitur.

32. *Umbra mortis.*

צל מור, *Umbra mortis.* Valet ut si diceretur, *Orci umbra.* Nam mors, ὁ ἄδης, interdum, ut in illo, *descenderunt in penetralia mortis:* quod exstat apud Salomonem libro de Proverbiis. Potest exponi & *umbra mortifera.* Usurpatur autem de ultimo discrimine, Psal. 23. *si ambulavero in medio umbra mortis:* & de crassa ignorantia earum rerum, quæ ad salutem pertinent. Jes. 9. 1. *habitantibus in terra umbra mortis.* Matth. 4. 16. *ἐν ᾧ ἔσται ἡ σκιά θανάτου,* i. in regione & umbra mortis. Vide Parallela nostra ad illum locum. Vide quoque Jer. 6. 2.

33. *Cor lapideum.*

Σκληρὸς καρδίας, *Cor lapideum*, de animo duro & intractabili, qualem Ovidius describit per hæc verba.

Natus es in scopulis, nutritus lacte ferino,

Et dicam silices pectus habere tuum.

& qualis est animus hominis non regenerati. Confulle Theodori annotationes 2. Cor. 3. 3. Legitur Sirach. 17. 16. item Ezech. 11. 19. ubi in Ebræo לב האבן cor lapidis: cui ex adverso responderet *cor carneum*; de quo aliàs. Vide,

34. *Cum Sole.*

עם השמש, *Cum sole*; valet autem, quamdiu sol durabit, nimirum perpetuò & sempiternis seculis, velut cum dicimus, *Coram luna.* Nam sol & Luna sempiterni sunt, ut incorruptibilia omnia, quorum species servantur in individuis, sive in singulis. Sic angeli tam boni quàm mali. Talium enim neque interitus est, neque generatio, Psal. 72. 5. *Timebunt te cum sole, & coram luna.* Hic locus, inquit R. David, non potest intelligi de Salomone, nisi per hyperbolen: sed verè ac propriè competit in Christum, quem pii augustè sanctèque omnes venerabuntur, quamdiu sol & luna cum luce suâ cuncta lustrabunt. Ambros. Hexaem. lib. 4. cap. 8. *Sapiens non cum luna mutatur, sed permanebit cum sole:* vult dicere, constans est ut sol, qui semper eodem vultu apparet.

35. *Ante Solem.*

Eandem sententiam continet, Psal. 72. 17. לפני שמש, *ante solem*: itaque recentior interpres elucidat *durante sole*: & Glossa ordinaria, *in aeternum.* Græcè est πρὸ τοῦ ἡλίου, quod Euthymius *supra solem*, h. e. *amplius quàm sol* exponit. Sed *ante* pro *supra* auctoritatem desiderat. Neque recta videtur illa Theodoretici observatio, *Particula ante solem & lunam vetustiore ipsam esse declarat.* Non enim hoc dicit, *fuit ante solem*, sed *propagabitur ante solem*, vel, ut Græci, διαμείνει, i. *permanet.* Placet ergò Ebræorum interpretum expositio, *Ante*

re solem, i. quamdiu sol durabit. Talia sunt, ante lumen, coram Arcturo.

36. A planta ad caput.

מכף רגל ועד ראש, A planta pedis usque ad caput. Urfurpatur ad notandum totum corpus ab imo ad summum, Jcf. 1.6. A planta pedis usque ad caput non est in eo integritas. Deut. 28. 35. Afficiet te Deus ulcere pessimo à planta pedis tui usque ad verticem tuum. Hic est קדקד in Ebræo, ut 2. Sam. 14. 25. à planta pedis ejus usque ad verticem ipsius non erat in eo vitium. Et Job. 2. 7. Affecit Jobum ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem. Sumpsit hinc B. Ambrosius offic. lib. 2. à vestigio pedis usque ad verticem. Hier. ad Domn. & Rogat. præfatione in libros Paralip. Denique cum à me nuper literis flagitassetis, ut vobis Paralipomenon Latino sermone transferrem, de Tiberiade quendam Legis autorem, qui apud Ebræos admirationi habebatur, assumpsi & contuli cum eo à vertice, ut ajunt, usque ad extremum unguem. Plautus Epidico,

Contempla, Epidice,

Usque ab unguiculo ad capillum summum est festivissima. Apulejus lib. 3. De alino aureo, Ab imis unguibus sese totam ad usque summos capillos perlinet. Petronius Arbitrator, à capillo usque ad unguem. Plutarchus, ἐξ ἀρχῆς καὶ φωνῆς ἀρχῆς ποδῶν. Cicero pro Roscio Comædo, Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum, si quam conjecturam adfert hominibus tanta corporis figura, ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totius videtur.

37. Ad fores esse.

Ad fores, sive pro foribus, esse dicitur, quod instat & in propinquo est. Sumptum à viatoribus, qui cum nobis imminent cum pro foribus sunt. Matth. 24. 23. Cum hæc omnia videbitis, scitote, ὅτι ἔγγυς ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, illum prope esse ad fores, Jac. 5. 9. ἰδὲ ἀγγελοῦ πρὸς τῶν θυρῶν ἐστὶν κεν, ecce judex pro foribus adstat.

38. Ad fores cubat.

Huc pertinet quod Gen. 4. 7. לפתח חטאת רבץ, Ad fores peccatum, (i. pœna peccati) cubat. Vulgata edit. statim in foribus peccatum aderit. Sensus est, si malè egeris, illic pœnas lues facti dignas. Aut significat peccatum ei insidiari, juxta illud Siracidis, ut leo feris insidiatur, ita maleficis peccatum. Sumptum à feris egredientem hominem ante fores expectantibus, ut dilcerant ac dilacerent. Adi ad Proverbium, Peccatores insequitur malum.

39. Toto ore.

בכל פה, Toto ore. Proverbiale est Jcf. 9. 11. comedunt Israëlitas toto ore: pro eo quod est avidissimè. Utiur & R. D. Pjal. 80. 14. in Comment. ita scribens, Porcus silvester, & animal agreste proverbii formam vocantur nationes comedentes Israëlitem toto ore. Dicitur autem toto ore, ut toto corde: cui cognatum, pleno ore; sicut dicimus, pleno ore aliquem laudare, h. e. effusè.

40. In foveam cadere.

In foveam decidere est decipi, induci. Plautus Persa, Vide sis, ego ille doctus leno penò in foveam decidi: & Pœnulo, Ita decipiemus foveam leonem Lycum. Bernardus, Vita foveam, in quam vides alium coram te ceci-

diffe. Et exitio addici, perire Matth. 15. 14. Quod si cæcus cæco dux fuerit, ambo in foveam cadent. Jcf. 24. 18. Qui vocem pavoris effugerit, in foveam cadet. Vide foveam fodere.

41. Foveam fodere.

Foveam fodere, aut cavare, proverbiali figurâ dicitur, qui de alicujus exitio cogitat, eique perniciem machinatur, sive apertè id faciat, sive occultè & per insidias, nihil refert. Vide quæ notamus ad proverbium, Qui foveam fodit, in eam cadet. Reperitur Psalm. 56. Foderunt ante me foveam: & 94. donec fodiat in imbro fovea. Ambrosius Hexaem. lib. 1. cap. 8. Simpliciter lege, ô homo, non tibi ipse foveam pravus interpres effodias: simplex sermo est, Quia fecit Deus cælum & terram. Prudentius Ptychomachia non parùm hanc locutionem illustrat, cujus ideò verba non pigebit adscribere.

Sed cadit in foveam præceps, quam callida fortè  
Fraus interciso suffoderat aequore furrim;  
Fraus detestandis vitiorum è pestibus una  
Fallendi versuta opifex, qua præscia belli  
Planiciem scrobibus violaverit insidiosis,  
Hostili de parte latens, ut fossa ruenteis.  
Exciperet cuneos, atque agmina mersa voraret.  
Ac ne fallacem puteum deprendere posset  
Cauta acies, virgis adopertas texerat oras,  
Et super imposito simularat cespitem campum.

42. Domus tineæ.

בית העש, Domus tineæ: purum purum proverbiale, quod, erues ex Job. 27. 18. & est idem cum illo, Domus aranei. Ergò, edificat sicut tineæ domum suam, cum ait Vir sanctus, innuit impij domum minimè futuram stabilem, aut diurnam. Nam tineæ deprehensa in veste statim excutitur.

43. Aquila nidus.

Aquila supra cæteras aves omnes altissimè nidificat: unde legimus Abd. v. 4. Si extuleris tanquam aquila, & si posueris inter sidera nidum tuum. Ex quo Proverbium facies, Aquila nidus, de ædibus in rupe aliqua locove edito extructis, cujusmodi erant arces Idumæorum, de quibus ibi sermo: quas rectè appellaveris nidos aquilinos, tum propter altitudinem, tum etiam quia in petris sitæ erant. Certè aquilam in petris nidulari, præter Plinium, etiam Aristoteles tradit ad hunc modum scribens, Nidificant locis non planis, sed celsis; præcipuè autem arduis saxis, & præcipitiibus: sed arboribus etiam. Dixi arces Idumææ sitas fuisse in petris. Docet perspicuè ex illo ipso Propheta, ubi sic ait; Superbia cordis tui decepit te, ô qui habitas in fissuris petrarum: & ex Jeremia, apud quem eadem fermè verba leguntur, cap. 49. v. 16. Decepit te superbia cordis tui, ô qui habitas in fissuris petrarum, qui occupas altitudinem collium: quod si extuleris tanquam aquila nidum tuum, inde te detrahā; dicit Dominus.

44. Lacte lotus.

Oculi lacte loti: h. e. puri ac nitidi, vel candidissimi. Exstat Cant. 5. 19. עיניו רחצות בחלב, oculos habet lacte lotos.

45. Nive lotus.

Tale est Job. 9. 31. Si lotus fuero quasi aquis nivae libus. Nam nix candida æquæ ac lac. Nive lotus כשלב Pertinet ad Proverbium, Nive candidior.

46. Oculi columbini.

Cant. 1. 15. עיניך יוני, Oculi tui columbarum: h. e. columbini. Nam subintelligitur, oculi. Sic Cant. 5. 13. Oculi ejus columbarum ad aqua alveos. Quidam accipiunt de vehementer pulchris & gratiosis. Meo iudicio oculi columbini dicuntur casti ac simplices, minimeque mali aut invidi. Hoc sensu usurpat Ludovicus Vives in Comment. super 14. Augustini De Civit. Dei cap. 8. ita scribens, Cum Philumena in lupanari invenitur, quid aliud simplici illi & columbino predicatoris oculo videri debuit quam meretrix?

47. Ex ore leonis.

מפי ארי, Ex ore leonis, proverbialiter dictum pro, è summo discrimine, & usurpatur ubi alicui ex insperato salus obtrigit. Nam quem leo ore prehenderit, quasi extra spem est liberationis. Joh. Leo in descriptione Africæ, Credat qui volet, quicquid leo prehenderit, etiamsi camelus foret, rostro aufert. Legitur Psal. 22. 22. Serva me ex ore leonis. Huic simile in eodem loco, E cornibus unicornium. Reperitur etiam apud Apostolum 2. Tim. 4. 17. ἐρρύσθη ἐν σόματι λέοντος, i. ereptus fui ex ore leonis: ubi Neronem significari putant, διὰ τὸ ὠμόθυμον, ob crudelitatem. Vide Eusebium hist. Eccles. lib. 2. cap. 22.

48. Homo bilinguis.

ἄνη διγλωσσός, Vir bilinguis, sicut dicimus vir duplex, aut duplici corde. Exstat in Græcè editis Prov. 11. 13. ἄνη διγλωσσός ἀποκαλύπτει βλαὰς ἐν συνεδίῳ, Vir bilinguis revelat consilia in confesso. Et apud Siracidem Eccles. 5. 9. ἄνθρωπος ἀμαρτωλὸς, Sic est peccator bilinguis. Adi hunc postremum locum, si vacat.

49. In foveam detrudere.

Vel, in foveam eversum precipitare: h. e. εἰς βόθρον ἀναστρέψαι. Valet perdere, exitio dare, perniciem adferre, Psal. 55. 24. Deturbas eos in puteum foveæ: & 140. 11. Detrudet eos in foveas, unde non emergant. Ecclesiast. 12. 15. Oculis quidem illacrymabit, sed animo deliberabit de te in foveam precipitando. Quod supra posui, in puteum foveæ, παράδειχλον est, ut Lutum cæni, Terra pulveris: nisi placet vertere, in puteum interitius.

50. Gens non gens.

Gens non gens. Formâ proverbii dicitur de nihili & abjecta gente, Rom. 10. 19. ἐγὼ παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπ' ἅνθρωποις, i. ego ad amulationem provocabo vos per non gentem. Eilet plenum ἐπ' ἅνθρωποις ἅνθρωποις; per gentem non gentem, ut Deuteron. 32. 21. unde hic locus adductus, בלא עץ per non populum; dicendum integrâ oratione בלא עץ, per populum non populum, sive per populum, qui non est populus. Ita vocabant Judæi, si non fallunt nos Interpretes, omnes populos profanos, propterea quod alieni essent à cognitione veri Dei. Sic non vivere dicuntur qui vitiis sunt addicti. Ipse Moses ita explicat, cum ait, per gentem insipientem irritabo eos. Nam quæ gens insipiens nisi qui Deos falsos colit? Cœterum pertinet ad classem eorum quæ per ἀντίφρασιν eferuntur. Quod genus est illud apud Catullum funera

nec funera. Sic Græci ἀδωγα δῶρα, dona non dona, ἀγάμους γάμους, quod verus quidam tragicus dixit, innuptas nuptias. Sic Cicero, in sepultam sepulturam. Ovidius Injusta iusta. Sic denique Ennius, artem inertem: cuius est illud.

Que scis,

In vulgum vulgas, artemque exponis inertem.

51. Consuere pulvillos.

Legitur Ezech. 13. 18. Va consuentibus pulvillos pro omnibus axillis manuum. Ebræa sunt רוי למתפרות וידי וידי כול אצילי ידי ubi כסתות positum mihi videretur simpliciter pro ידי Verus Interpres, va his qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs. Facit huic loco egregiam lucem D. Gregorius in Moralibus, per hæc verba, Quisquis ergo male agentibus adulatur, pulvillum sub cubito, vel cervical sub capite jacentis ponit, ut qui corripit ex culpa debuerat, in ea vultus laudibus molliter acquiescat.

52. Cervical sub capite jacentis ponere.

Vel, facere cervicalia sub capite universa at atis. Hæc verba habentur apud veterem Interpretem, loco quem diximus. In Ebræo est, ועשות חמספות על ראש קומה quod alius interpretatus est, & facientibus velamina super caput omnis statura: alius dixit, parantibus consibulas pro capite cujusque statura. Sensus pretendus ex verbis Gregorii supra memoratis.

53. Lutum absque paleis.

Proverbio dici potest de argumento quod non cohæret, sicut dicimus scopa dissoluta: aut de argumento prorsus invalido. Nam luteus paries, nisi paleæ admixtæ sint quæ lutum tenaciùs stringant, minime cohæret, planèque infirmus est; sic ad eum ut levi momento dirui atque everti possit. Quod declarat Hier. in Comment. Ezech. 13. ad locum, illi autem linebant eum luto absque paleis, per hæc verba, Ipsum parietem linebant Pseudopropheta absque temperamento, ut interpretatus est Symmachus, h. e. puro luto, & quod paleas non haberet, ut nec prabere posset aliquam fortitudinem. Et post paulò, ut quomodo cibus absque sale nullum habet saporem, ita & lutum absque paleis, quibus firmatur & stringitur, nil roboris possit prabere parieti.

54. Complicat manus.

ידים ידום, Complicat manus. Competit in pigrum qui præter modum somno ac otio indulget. Cohel. 4. 5. Stultus complicat manus suas, & comedit carnem suam. Figura loquendi sumpta est à gestu hominis ignavi & iomniculosi, qui manus suas non ad opus, sed ad somnum componit, eas conferendo complicandòque in pectus suum. Prov. 6. 10. Quousque piger cubabis? quando surges ex somno tuo? paululum somnorum, paululum dormitationum, paululum complicationis manuum ad cubandum. Nisi me fallit memoria, legi apud Erasimum, compressis manibus ex Livio, in otiosos & inertes.

55. Abscondit manus in sinu.

Affine est quod in Græcis cod. Prov. 19. 24. ἐγκρύπτει (aliàs ἐπικρύπτει) εἰς τὸν κόλπον αὐτῆς χεῖρας, abscondit in sinum suum manus, q. d. adeò piger est ut abdicas in sinu manus (gestus est ignavorum) ne quidem cibi causâ ad eos reterat. Sic Prov. 25. 16. κρύψας ὀνηρὸς τὴν

τὴν χεῖρα ἐν τῷ κόλπῳ αὐτῆς, ἢ δύναιται ἐπενέγκειν εἰς τὸ σόμα. *abscondens piger manum in sinu, nequit eam ad os referre.*

56. *Abdit manus sub axilla.*

Quod Græci referunt *in sinu*, id in Ebræo legitur תחבא: valet autem secundum nonnullos, *in lance*; aut secundum alios, *in tebetes, sive ahenò*. Utro modo legas, eadem manet sententia, quâ hyperbolicâ; extremam ignaviam designat: cum quis adeò segnis est, ut manum à lance, sive ahenò, ad os referre pigretur. Proprius ad superiora accedit, quod apud veterem Interpretem Latinum, *Abcondit manum suam sub ascella*. Nam talis gestus pigrorum. Thargum cæci (Si modo cæcus auctor edit. Chaldaicæ in Proverbia Salomonis) hoc loco edidit בשחאתיה. Quid hoc sibi vult? Scribo בשחאתיה, Aleph juvenandæ lectioni erat, cum nulla essent puncta: punctis additis videtur inducendum שחא sunt אצילות; h. e. *axilla, μάχάλα* haud dubiè à אשחא In Lexico Nathani שחי *axilla*. Recentiores dicunt בירת שחי, Arabes אלת שחי.

57. *Non relinquetur lapis super lapidem.*

Οὐ μὴ ἀφεθῆ λίθῳ ἐπὶ λίθον, *Non relinquetur lapis super lapidem*, Matth. 24. 2. Marc. 13. 1. Luc. 19. 43. & 21. 5. Usurpat Servator de urbis Hierosolymæ excidio, & est hyperbola proverbialis: cui similis, *Non relinquetur mingens ad parietem*, de qua suo loco. Ebraicè dicas, לא תשאיר אבן על אבן. Sciendum verò hujus usum esse propriè in ædificiis: illud autem locum habere in hominibus duntaxat.

58. *Lapides clamabunt.*

De re quæ nullo pacto celari potest, proverbiali hyperbolâ dixit Christus Luc. 19. 40. ἐάν τις σιωπήσωσιν οἱ λίθοι κερὰ ζωνῶν, *Si tacuerint isti mox lapides clamabunt*. Licet enim plerique ita intelligendum putent, (verba sunt ex Hieronymi Comment. in Habacuc) Si Judæi tacuerint, multitudo me gentium confitebitur: tamen hæc expressior & verior intelligentia, etiam si homines taceant, & signorum meorum multitudinem lingua invidens non loquatur, tamen lapides ipsi, & fundamenta murorum, & parietum ædificatio meam poterunt magnitudinem personare. Quod ut significantius fiat, ponamus literaturæ quoque secularis exempla: Crispus loquitur in historia, *Saguntini fide atque arumnis inclyti*, per mortalium studium majores quàm opibus: quippe qui etiam tum semiviruta mania, domus inrecla, parietesque templorum ambusti, manus Punicas ostentabant. Simile quid & Tullius ad Cæsarem pro Marcello, *Parietes mediusfidius, C. Caesar, ut mihi videtur hujus curia tibi gratias agere gestiunt: quod brevi tempore futura sit illa autoritas in his majorum suorum, & suis sedibus*. Hactenus Hieronymus. Huc referri debet ex Hab. 2. 11. אבן מקיר תזעק וגו', *Lapis è pariete clamat, & lacunar è ligno, sive materiaura respondet ei*. Quæ paulò aliter leguntur apud nostrum interpretem, *Lapis de pariete clamabit, & lignum quod in ter juncturas ædificiorum est, respondebit*. Mens Prophetæ, omninò patet omnibus regiam tuam ex rapina constructam esse, cum hoc lapides & laquearia palàm testificentur; quo sine dubio Deum excitabunt ad vindicandum injuriam quam facis iis, quibus

sua per vim extorques, ad construenda palatia tua. Usus est eleganter hoc loquendi genere & ipse Hieronymus epist. 47. quæ de vicando suspecto contubernio, *ipsique parietes, inquit, in me maledicta resonarunt*.

59. *Aves efferent vocem.*

Cogitationem habet cum superiore proverbio. ליהויה את הולך יוהי שמים, *Aves cæli efferent vocem*: cujus usus erit cum significabimus id quod dictum est diu latere non posse. Sic usurpat Salomo Cohel. 10. 20. *In cogitatione tua ne Regi maledicito, neque diviti in penetralibus tui cubilis. Nam vocem efferent aves Cæli, & rem indicabunt pennipotentis*. Hoc vult, Cave maledicos potentioribus ac fortunatis: nam si in eos aut cogitaveris quippiam, aut dixeris contumeliosè, protinus enuntiabitur ac palàm fier. Sunt enim, ut vulgò dici solet, ὅσα καὶ ὀφθαλμοὶ βασιλέων παροῖ, *multa Regum aures atque oculi*.

60. *Transferre montes.*

Videtur apud veteres proverbium fuisse de conatù qui humanas vires superat. Quare Dei potentia hoc modo declaratur Job. 9. 28. & Psalm. 17. Christus item Matth. 17. & Apostolus 1. Cor. 13. ad ostendendam fidei efficaciam, dicunt eà montes transferri, quod solius est Divinæ potentie.

61. *Accensa lucernâ querere.*

Luc. 15. 8. cum ait ὁ σωτήρ, *Quæ mulier si habeat drachmas decem, & perdiderit drachmam unam, non ascendit lucernam, &c. aut fallor aut respexit ad proverb. suæ gentis, לחפש בגרות, Scrutari lucernis: quod usurpant μὴ ζητεῖν ἐπιμελῶς καὶ ἀκριβῶς, si diligenter & cum cura aliquid querere*. Atque hoc quidem sensu dictum Soph. 1. 12. *Scrutabor Hierosolymam lucernis*.

62. *Non serunt, neque metunt.*

οὐ σπείρουν, ἢ δὲ θερίζουν, *Non serunt, neque metunt*. Proverbialiter dictum in Evangelio, pro nullum laborem exercent. Tale est ἢ κοπιᾷ, ἢ δὲ νέθει, *non fatigantur, neque nent*; de liliis agrestibus. Vide Matth. 6: 26. 28.

63. *Ad ultimum quadrantem solvere.*

Ad ultimum quadrantem solvere dicitur is cui de debito nihil remittitur. Germanum proverbiale Matth. 6. 26. ἢ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν, ἕως ἂν ἀποδώσῃς τὸν ἐσχάτον κορδάντην, *Non exabis illinc, donec persolveris ultimum quadrantem*. Quadrans nummus est, qui à quibusdam vocatur teruncius. Syrus habent שמונא: alibi λεπτήν ita vertit, ut Luc. 12. 59. Est autem Samuna, quemadmodum nomen arguit, octava pars Assir, quod est genus parvæ monetæ, ait R. Nathan, & vocatur שסיר in Resch Misna hacedaschim. Glossæ Arabicæ, *sumenet, obolus*. In Gemara, cap. 1. שסיר, duo oboli sunt in quadrante. Sic enim interpretor ex hoc loco, quo in Ebræo פרוטה לשומן ב', h. e. ad verbum, *duo Phruta (néquâ propriè i. minutæ æris) sunt in nummo qui suman vocatur*.

64. *Veltunicam odit.*

Dictum in Epistola Judæ pro, impenitè odit, videlicet vers. 23. μισῶντες καὶ τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιῶνα, *odio habentes vel eam, quæ à carne commaculata est tunicam*. Sumptum ut apparet, à mulieribus fan-

guine menstruo pollutis, quarum vestes etiam pollutæ censebantur. Goronides hist. lib. 1. cap. 4. *Odi eos odio magno, quemadmodum odit sapiens rerum naturalium peritus frustum panni inquinati, quo usa fuit mulier mensium profusio laborans.*

65. *Olla lotionis.*

Servitus hoc nomine significatur vilis & abjecta. Psal. 60. 10. מוֹאֵב סִיר רְחֵצִי, *Moab olla lotionis mea*: ac si diceret, serviet mihi pro vilissimo mancipio. סִיר רְחֵצִי, *vas in quo sordes eluuntur, cujusmodi est pel-luvium Festi, vel quod Cato appellat labrum cluacrum.* Bibeat uti (ita *matula* vocabulo usus est Plautus) in eum quem contemnimus. Græci vertunt, Μωαβ λέβητος τῆς ἐλπίδος, *Moab olla spei mea*: tanquam dicas, mea sperata servitia. Nam סִיר רְחֵצִי *sperare in lingua Chal-dæorum.*

66. *Prædicare super tecta.*

Id est palàm ac publicè. Quasi proverbiali tropo dixit Servator, *quæ auditis in aure, prædicate super domos.* Hier. in epist. ad Suniam & Freretam scribit δώμα in Oriente ipsum dici quod tectum. In Palastina enim, & Aegypto, inquit, non habent in tectis culmina, sed domata, quæ Roma vel Solaria, vel mæniana vocant, i. plana tecta, quæ transverfis trabibus sustentantur.

67. *Dies umbra.*

Vocabulum *umbra* frequens apud Autores in sensu rei fugacis & evanidæ: qualis est vita humana. Itaque lectum Job. 8. 9. צֶל יְמֵינוּ בְּאֶרֶץ, *Umbra dies nostri in terra*: & Psal. 102. 12. *Dies mei similes umbra inclinata*: rursus Psal. 144. 4. *Dies ejus similes umbra prætereuntis.* Sed Æschylus apud Stobæum ait vitam hominis similem esse καπνὸς σκιάς, quæ est *umbra fumi.* Sophocles in Ajace flagellivero,

Ὅρῳ γὰρ ἡμᾶς ἔδενόντας ἄλλο πλὴν  
Ἐιδώλ, ὅσοι πὲρ ζώμεθα, ἢ καὶ φησὶ σκιά.

*Video enim nos nihil aliud esse nisi  
Simulacra, quotquot vivimus, aut levem umbram.*

68. *Gladio & arcu.*

Proverbiale verbum Gen. 48. 22. *partem quam accepi è manu Amorrhæi gladio meo & arcu meo,* בְּחַרְבִּי וּבִקְשֵׁתִי quod valet, vi armatâ; ut Psal. 44. 7. *Non in meo confidam, non meus me servabit gladius, arcum & gladium posuit pro quovis genere armorum.*

69. *Mane in loco tuo.*

Hoc est, in vocatio ne tua, vel in statione, in quâ constitutus es. Ecclesiast. 11. 22. in vulgata versione Latina, *Ne manseris in operibus peccatorum, sed confide in Deo, & mane in loco tuo.* Viderur legisse ἐμενε τῷ τόπῳ σου, pro eo quod in libris editis, ἐμενε τῷ πόνῳ σου, *persevera in labore tuo, lectio non rejicienda.* Sic Cohel. 10. 4. *Si Spiritus dominantis accensus fuerit in te, locum tuum ne desere.* Idem fermè cum illo, *Nosce locum tuum*: quod enarramus class. 3. lib. 4.

70. *Vel puer describat.*

וְנָעָר יִכְתֹּב, proverbii formâ dictum, Jes. 10. 17. & reliqua arbores sylvæ ipsius pauca erunt, vel puer describat eas: estque sermo brevis pro numeret & describat: vel, numeratas describat. An melius *descriptas*

numeret? Nam pueri rarò numerant ultra decem. Vererum interpretatione vel puer describat eas valet, redigentur ad decem, quem numerum in Alphabeto signat Joth literâ minima: eam enim puer quantumvis parvulus facilè pingat. Sed hoc argutius. Simplex sensus, redigentur ad numerum valde exiguum.

71. *Dormit & expergiscitur.*

Nòn alienum est à natura proverbiorum quod aliquoties in sacris literis occurrit, καθεύδει καὶ ἐγείρεται, *dormit & expergiscitur*, de eo qui vitam ducit vacuum omni curâ omniumque expertem perturbationum: qualis esse solet vita eorum, qui à metu securi summâ animi æquitate ac tranquillitate dies noctesque transigunt. Marc. 4. 26. *Sic est Regnum Dei, ut si homo quispiam jaciât semen in terram & dormiat, & exsurgat nocte ac die, semênque germinet, & surgat in altum; quomodo ipse nescit.* Psal. 3. 6. *Cubavi & dormivi, expergefactus sum, quoniam Dominus me sustentat.* Psal. 4. 9. *Quiesce simul cubabo & dormiam, quia tu solus, Domine, in tuto me collocabis.*

72. *Ad collum usque.*

עַד צוֹוֹרֵךְ יָנִיעַ, *Ad collum usque pertingit.* Dici potest quando res in summum discrimen adducta est. Metaphora ab iis, qui in aqua merguntur. Affine est, *usque ad animam*, de quo aliàs. Legitur Jes. 8. 9. Vide Scholia Ebraica ad eum locum, Rursus Jes. 30. 28. *Spiritus ejus, ut torrens inundans, ad collum usque secat.*

73. *Jota vel apex.*

Joth apud Ebræos inter Alphabeti literas minima est: huic responderet ἰώτα Græcorum, ex quo illud Matth. 5. 18. ἰώτα ἐν ἡ μία κεραία ἢ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τῆ νόμου, *ëws ἀν πάλλα γένῃται, jota unum aut unus apex nequaquam præterierit ex Lege, donec omnia facta fuerint.* Sed quid apex? interpretes nonnulli referunt ad vocales & accentus, qui ex minutis quibusdam punctis & lineis constant: malè. Apicum facit mentionem Hieronymus, ut cum scribit *Resch & Daleth sola apice distingui.* Quid autem apex fuerit, docet Isidorus Orig. 1. 1. c. 4. *Inter figuras, inquit, literarum, & apices veteres dixerunt: apicem dictum pro eo (forte puto legendum) quod longe sit à pedibus, sed in cacumine literarum apponitur.* Est enim linea jacens super literam aqualiter ducta. Cæterum venustissimè usus hâc hyperbolâ Poëta ille nostri temporis videtur, qui dixit,

*Nescit Scriptura vel breve jota sacra:*

de quodam qui literarum sacrarum imperitissimus erat.

74. *Neque primus neque ultimus.*

*Neque primus neque ultimus*, proverbiali figurâ dicitur pro, nemo quisquam, aut, nemo unquam. Usus est Siracides de sapientia Ecclesiast. 24. 39. ἢ συνῆλεσεν ὁ πρῶτος ἢ γινῶναι αὐτὴν, καὶ ἔτι ὁ ἔσχατος ὅτι ἐξίχνιασεν αὐτὴν, *neque primus perfectè novit eam, neque ultimus item planè vestigavit eam.*

75. *Non invenit manus suas.*

Ubi quis viribus suis nihil proficit, Psalm. 76. 6. לֹא מָצְאוּ כָל אֲנָשֵׁי חַיִּל יְדֵיהֶם, *Non invenerunt ulli viri fortitudinem manus suæ: q. d. quamvis fortes essent, tamen non potuerunt resistere aut attentare quicquam, quod*

quod Græcè dicitur ἐπιχειρεῖν nisi meliùs חיל אנשי צהרי militares, Nam חיל etiam exercitus.

76. E pulvere

E genere proverbialium est מעפר E pulvere, pro, ex loco humili. Pſal. 113. 7. Qui erigit è pulvere tenuem. Habentur hæc verba & 1. Sam. 2. 8. in cantico Hannæ.

77. E sterquilinio.

Ejusdem generis מאשפת è fimo, quod vulgò reddunt è fimo, & LXX. ἐκ κοπρίας. Sed fimus דמן dicitur. Differunt enim hæ duo ut fimus & fimerum, stercus & sterquilinium. Græcè אשפת κοπρίων, & est singulare. Igitur perperam Hieronymus, de stercoreibus.

78. Virgâ ferreâ.

Ποιμανεῖ αὐτῶν ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, Reges eos virgâ ferreâ, Apoc. 2. 27. h. e. duriter ac severe. Nam ferrum in Metaphora usurpatur pro duro; & sciendum ῥάβδον aliquando dici baculum pastoris; ut Pſal. 23. id quod optimè quadrat cum verbo ποιμανεῖ pasceret: quo usi fuerunt præter Johannem Theolog. interpretes Græci Pſal. 2. 9. Alioquin in fonte habetur ad lectionem quæ nunc obtinet, confringes eos virgâ ferreâ: quod est תרעם. Porro autem virgâ & sceptrum appellatur; aut virgâ ferreâ, h. e. gladio: ita R. Salomo enarrat, nisi me fallit memoria.

79. Pro pari calceorum.

בעבור נעלי, Pro pari calceorum. Usurpatur in significatione vilis pretii; quale est, pro frusto panis, quod alio loco notamus. Amos. 2. 6. qui vendiderunt argento justum, & inopem pro pari calceorum: Similiter 8. 6. ut emanus argento tenues, & inopem pro pari calceorum: h. e. pretio vilissimo.

80. Montes, tegite nos.

Significatio miserimi ac deploratissimi temporis, quando homines extremis malis affliguntur, & mortem præ vita exoptant, est in eo quod habetur Hof. 10. 8. dicent montibus, Tegite nos: & colibus, cadite super nos.

81. Loris humanis trahere.

Funiculis humanis trahere, est humaniter aliquem habere. Sumprum à jumentis iis, quæ funibus & loris trahuntur. Hof. 11. 4. אדם אמשכם funiculis humanis (talis significatio vocis Adam in illo, Stultus hominum pudefacit matrem. Vide tractat. meos) traxi eos. Jonathan in epererat, ut trahi solent chara pignora. Scriptum autem in eo כמיגדת, quod potest esse à גדת: nisi legendum כמגדת, ut thema sit נגד trahere.

82. Funibus amori trahere.

In eodem loco sequitur בעבותות אהבה, Funibus amoris: repete, traxi eos. Sensus est, amice & benevolè tractavi eos. Idem cum superiore.

83. A filo ad solearum corrigiam.

Proverbiale genus dicendi est Gen. 14. 23. in illis verbis, Si à filo ad corrigiam calcei, h. e. si accipro quicquam ex omnibus, quæ tua sunt. Ubi nos posuimus, hoc est, ibi Ebræos scilicet legere copulam Vau positam in exegeſi, sicut quo ponitur in illo Virgilii,

Judicium Puridis spretæque injuria formæ.

Ergò à filo corrigiam solea, si accedat negatio, valet, ni-

hil quicquam. Quod genus est apud Sirachidem Eccl. 46. 22. de Samuele. χερμάτα καὶ ἕως ὑποδημάτων ἀπὸ πάσης σαρκὸς ἔειληφεν, pecuniam & usque ad soleas ab ullo homine non accepit. Sensus verborum, Ne soleas quidem ab ullo mortalium abstulit; vel ut habetur, 1. Sam. 12. לקח מיד איש מאומה, nihil quicquam abs quoquam abstulit.

84. Neque manum neque pedem elevare.

παρομιμακόν est & illud Gen. 41. 44. בלעדך לא ירים כף ידו ואת רגלו, Sine te non elevabit quisquam manum suam, aut pedem suum: h. e. sine tuo permisso aut imperio nemo quicquam audebit aggredi aut attentare. Cæterum admonet proverbii Abenezra. Oncelus de suo nonnihil addit: nam vertit hoc modo, Ego Pharaon, & sine mandato tuo non elevabit quisquam manum suam, ut sumat arma; aut pedem suum, ut conscendat equum, in tota terra Aegypti. Haud scio an conveniat cum illo proverbio, quod ex Cicerone notavit Erasmus, Digitum quæ proferat non habet; de eo cui nihil prorsus est quod dicat agatve. Certè recentior interpres, qui à Latinitate commendatur, locum Genesios sic transfert, & ita Pharaon vivam, inquit, ut nemo in tota Aegypto digitum contra tuam voluntatem proferet. Quid si per manuum pedumve elevationem intelligitur potestas, quæ à nullius pender imperio? Nam qui liber est, ea membra sustollere, cum vult, potest: qui vincit, non item. Sunt autem quasi vinciti qui alterius voluntati subditi sunt. Soli igitur Josepho data fuit à Pharaone potestas quidlibet in Regni negotiis pro arbitrio decernendi: Usus est hoc sensu Gorionis F. hist. lib. 6. cap. 61. de Archelav, Rege; Ab hoc tempore, inquit, attollet manum suam, & pedem suum in Regno, pro eo quod plenam omnium potestatem habebit. Similiter cap. 66. Non attollet quisquam manum suam, aut pedem suum ab eo die & ultra: cap. 73. Non amplius elevabit manum aut pedem, aut caput coram eo.

85. Manu elatâ.

ביד רמה, Manu elatâ. Proverbialiter usurpatur Exod. 14. 8. Filii vero Israel egrediebantur manu elatâ; quod alius dixit, manu excelsa. Cæterum valet ab interprete Chaldæo בראש גלי capite aperto: h. e. intrepidè. Ita usurpat aliquoties Josephus Gorione natus, ut lib. 5. c. 37. Sic lib. 4. c. 26. ויבא עליו ביד רמה venit ad obsidendum eum manu elatâ. Sed Num. 15. 30. Anima qua faciet manu elatâ, Jachio interpretante valet במויד i. e. protervè.

86. Uno ore.

בפה אחד, Ore uno. Hoc dicto indicant consensum animorum. Quod genus sunt, una anima; unum cor. A Græcis effertur, ἐξ ἑνὸς στόματος, Jos. 9. 21. Congregati sunt pariter, ut bellum cum Josua & Israelitis gererent ore uno. Interpres vulg. uno animo, eademque sententiâ; & Græci ἀπὸ πάλης. 1. Reg. 22. 13. ecce Prophetarum verba uno ore bona Regis prædixerunt. Quæ verba repetuntur 2. Par. 18. 12. Græcè utrobique, ἐξ στόματος ἑνὸς. Legitur & apud Gorionis filium.

87. Uno humero.

Simillimum est, אחד שכב, humero uno; sicut dicimus

mus *ἰσὼ ζυγῶ*, *pari iugo*. Metaphora à bobus paribus humeris idem plaustrum trahentibus, Exstat Soph. 3. 9. *ut ei seruiant uno humero*: ubi Græci *ἑπὶ ζυγῶν ἕνα*. Item Hof. 6. 2. Nisi quod hic compendio sermonis humero legitur pro humero uno. Certè Jonathan interpretatur *כְּתָף כְּתָף*: eodémque modo interpretatur locum Sophoniæ. Verba sunt, *Societas Sacerdotum in via cades faciunt humero*, *שְׂכַמְרָה* i. consensu.

88. *Caput canum.*

*ראש כלב*, *Caput canum*. Convitium proverbiale in hominem vilem & abjectum. Nam quos parvi æstimamus, eos canum custodiæ præficimus. Ponitur autem in Ebræo singularis pro plurali *caput canis*, pro canum, ut *Magister nauta*, Jon. 1. 6. quod est *רֹבֵחַ חֲכָל* pro naurarum, 2. Sam. 3. 8. *Nunquid ego sum caput canum tribus Juda?* Porro in nomine *caput* videtur esse allusio ad officium Abneris. Erat enim dux militum, & diu Sauli domum fuerat tutatus: quò indigniùs tulit reprehensionem Isbosethi, aded ut in memoratam vocem eruperit, innuens se ita viliter contemni, ac si hostilibus canibus, non autem Israelitarum copiis, præferret. Non me latet quosdam legere, *caput caninum*, exponereque de vilissimo mancipio, quod erat inter Judæos: verùm prior expositio magis aridet, quæ recepta vulgò cum loci circumstantiis meliùs congruit.

89. *Persequitur pulicem.*

*רָדַף אַחֲרַי פְּרַעַץ אֶחָד*, *Persequitur pulicem unum*. Quadrat in eum, qui rem aliquam vilem & infirmam, nec non captu difficilem, confectatur, 1. Sam. 24. 15. *Post egressus est Israelitarum Rex? quem tu tandem persequeris? canem mortuum, pulicem unum? est pòst 26. 20. quia egressus est Israelitarum Rex ad quarendum pulicem unum, ut si quis persequatur pulicem in montibus*. Verba sunt Davidis ad Saulem, quibus indicat se non minùs difficulter capi posse quàm pulicem, qui saltando tueretur seipsum, subinde ex uno loco migrans in alium; aut si capiatur, non admodum honorificum fore Regi Israelitarum, si necem inferat pulici, h. e. debilissimo & abjectissimo homuncioni.

90. *Heri nudius tertius.*

*Heri & nudius tertius*. Proverbialiter usurpatur pro antea, ut Græcè *χθὲς καὶ πρόην*. Caro de re rustica notatur eo sensu dixisse pridie. Catullus *hodie atque heri*, nempe in his versibus,

*Sordebant tibi villicæ,  
Concubina, hodie atque heri,  
Nunc tuum cinerarius  
Tondet eos.*

Gen. 31. 2. *Animadvertit quoque vultum Labano, quòd non esset erga se sicut heri nudius tertius*. 2. Sam. 5. 2. *Tam heri, quàm nudius tertius, cum regnaret super nos Saul, tu ducebas & reducebas Israellem*. Exod. 5. 14. *Cur non absolvistis pensum vestrum, conficiendo lateres, Sicut heri nudius tertius, etiam heri & hodie?* (Hinc patet non semper in *heri nudius tertius* includi diem hesternum.) Hanc paræmiam interpres Latinus convertit modò priùs, ut Exod. 5. 7. 8. 14. modò antea, ut Ruth. 2. 11. modò *heri & nudius tertius*, ut Gen. 31. 2. & Exod. 21. 29. Græci verò transferunt *χθὲς καὶ τριτην ἡμέραν*, Gen. 31. 2. *ἄπ' ἐχθὲς καὶ τρίτης*, Ruth. 2. 11.

*πρὸ τῆς χθὲς καὶ πρὸ τῆς τρίτης*, Exod. 21. 29. Ambros. epist. 64. *Duobus aut tribus testibus stat omne verbum, sed illis testibus, qui ante hesternum & nudius tertius non fuerint inimici*. Nazianzenus in *προσδιאלέξει* contra Eunomianos, *ὁ χθὲς καὶ πρόην ἐαυτῶ ἰσησαί θεῶς*. Athanagoras Apologia pro Christianis, *καὶ περὶ τῶν ἐπιόντων, ὅτι χθὲς καὶ πρόην γεγονόασιν, ὡς λόγῳ εἶπεν*. Irenæus *χθὲς καὶ πρόην, τὸ λεγόμενον, heri & nudius tertius, quòd dici solet*. Usus est etiam Eusebius hist. Eccles. lib. 1. cap. 9. & pro nuper admodum, lib. 3. cap. 38. Coeterùm Ebraicè effertur *תְּמוּל שְׁשׁוּם* Ruth. 2. 11. *תְּמוּל שְׁשׁוּם* Exod. 21. 29. *אתְּמוּל שְׁשׁוּם* 1. Sam. 4. 7. *גַּם אֲמוּל גַּם שְׁשׁוּם* 1. Sam. 10. 11. *גַּם אֲמוּל גַּם שְׁשׁוּם* 2. Sam. 5. 2. *גַּם אֲמוּל גַּם שְׁשׁוּם* Exod. 4. 10.

91. *Mejens ad parietem.*

*לֹא אֲשִׂיךְ מִשְׁתֵּיךְ בְּקִיר*, *Non faciam residuum mingentem ad parietem*. Genus est loquendi proverbiale; quo notatur internecio & excidium universi. 1. Sam. 25. 22. *Sic faciat Deus hostibus Davidis, & sic addat, si reliquero ex omnibus quæ habet, usque ad lucem matutinam, mejentem ad parietem*: & mox v. 34. *Nisi mihi obviam venire properasses, non relictus fuisset Nabali ad lucem matutinam mejens ad parietem*. Quid *mejens ad parietem*? ita vocatur canis, qui levato crure parietem commejere solet: vel, ut aliis placet (nam enarratores variant) masculus, qui lotium facit contra parietem. Huc pertinet quod 1. Reg. 14. 10. *Ecce ego adduco malum super domum Jeroboami, &c. excindamque Jeroboamo parietis committorem*: item illud 2. Reg. 9. 8. *peribit tota Achabi domus: excindam enim Achabo mingentem ad parietem*; q. d. *Ne canibus quidem parcam. h. e. ad unum omnes delebo, omnes occidione occidam*. Quo sensu etiam vulgò dicimus, *Ne canem quidem aut felem remansisse*, quoties domum aliquam funditus excisam esse innuimus.

92. *Labia osculari.*

*Labia osculari* est in alicujus familiaritatem recipi: aut coli aut observari à hominibus. Siquidem osculum amoris & reverentiæ signum est. Prov. 24. 26. *שְׂפָתַיךְ יִשָּׁק מִשֵּׁיב דְּבָרִים נְכֹחִים*, *Labia osculabitur qui respondet verba recta*. Mens Salomonis, Qui in dictis & responsis verax est, is in hominum ore familiaritatemque versabitur. Non dissimile in profanis literis *dexteram præbere*, pro, in amicitiam admittere. Ex quo illud apud Plutarchum, *μὴ παντὶ ἐμβάλλειν δεξιῶν, ne cuius porrigere dexteram*, Gen. 41. 40. *Tu præficietis domui meæ, tuumque os omnis meus populus osculabitur*. In Ebraeis cod. *עֵמִי כָל יִשְׂרָאֵל פִּיךָ יִשָּׁק* Sensus est, tuum imperium accipiet cum summa observantia. Hoc sensu *לְךָ* debet accipi pro *לְ* Alii sic, *Ad tuum os* (i. iussum) *universus meus populus armabitur*.

93. *Nescit eum amplius suus locus.*

*לֹא יָכִירָנוּ עוֹד מְקוֹמוֹ*, *Non agnoscit eum amplius locus ipsius*. Proverbii formà dicitur de eo, qui in loco ubi priùs exstiterat, non amplius comparet. Psalm. 103. 16. *Hominis dies quasi gramen, ut flos agrestis sic floret, Venius in eum transit & non est, nec agnoscit eum amplius locus ipsius*. Job. 7. 10. *Ut consumpta nubes abit, sic qui descendit in sepulcrum non ostendit. Non enim deinceps domum suam redit, nec agnoscit eum amplius suus locus*.

PROVERBIA SACRA.

locus. Eadem sententia est in illo Danielis 2. 35. כל אחר לא השתכח לחן  
 Nullus locus inventus est eis: Sensus est, ita contrita & dissipata fuerunt, ut ne locus quidem illorum usquam extiterit, ut nusquam apparuerit locus, ubi prius fuerant. Sic Apoc. 12. 8. ἔτε τόπος ἐυρέθη αὐτῶν ἐν τῷ ἔρανῳ, Neque locus eorum amplius inventus est in Cælo.

94. Ad hostes fugandos idoneus.

Compeit in hominem clamotum. Solent milites initio prælii clamorem edere, quo clamore hostes non solum terrent, sed etiam aliquando in fugam vertunt: proinde qui clamosi sunt, judicantur ad nullam rem aptiores quàm ad fugandos hostes: ex quo illud, γυνή μεγαλόφωνος καὶ γλωσσώδης εἰς πολεμίαν τροπὴν θεωρηθήσεται, *Mulier clamosa & loquax ad hostes fugandos exquiretur.* Verba sunt Siracidis Ecclesi. 26. 32.

95. Portio vulpium.

Psal. 63. 11. מנת שועלים יהיה, *Portio vulpium erant:* hoc significat, cadent in acie, & vulpes cæteræque bestiae agrestes comedent ipsorum corpora, quæ in sepulchra remanebunt. Quidam transfert, *Eandem cum vulpibus sortem subibunt:* sed perperam. Vide quæ scripsimus Miscell. cent. 1. cap. 90. Hic observabis vulpes cadaveribus vesci, quod notatum à Camio Ebraeo, in Comment. ad h. l. Affine est, *sepulchra asini sepelietur,* de quo aliàs.

96. Vel vulpes diruat.

Genus loquendi, qualia in Proverbiis aliis recensent. Reperitur Neh. 4. 3. his verbis ופיר שועל יעלה ופיר חומת אבניו, *Si ascenderit vulpes, diruet murum eorum lapideum.* Verba sunt Tobiae Ammonitæ irritationem Judæorum tanquam debilem & infirmam, & quam facillimè quis diruat.

97. Exitus & introitus.

*Exitum & introitum,* sive *ingressum,* proverbialiter vocant Ebræi humanæ vitæ actiones ac muneris cuiusque functionem, rei que tam publicæ quàm privatæ curationem, seu administrationem. Quomodo etiam *exire & introire* dicunt eum, qui in rebus gerendis versatur, vel quotidianum usum & quasi perpetuam consuetudinem, cum aliquo habet. Exemplis id clarum faciam, Deut. 28. *Benedictus eris in introitu tuo, benedictus in exitu tuo,* בבראך ובצאתך, & post aliquanto. *Maledictus eris in introitu tuo, maledictus in exitu tuo.* Rursus Deut. 31. 2. *Ego hodie natus annos 120 non possum amplius egredi & ingredi.* 1. Sam. 18. 17. *Constituit Davidem tribunum, qui exiit & venit coram populo:* & vers. 6. *Omnibus, tam Judæis quàm Israelitis, charus erat David; nam ipse exibat & introibat ante eos:* item cap. 29. v. 6. *ita Deus vivat, ut mihi placet exitus tuus & introitus tuus, qui mecum fuit in castris.* 2. Sam. 3. 25. *Ad cognoscendum exitum tuum & introitum tuum,* את מוצאך ואת מכתך. Quod sequitur, & ad cognoscendum quacunque facis, videtur ἐξήκιδν esse 1. Reg. 3. 8. *Ego puer parvulus nescio egredi & ingredi,* 2. Par. 1. 10. *Da mihi sapientiam & scientiam, ut egrediar coram populo isto, & ingrediar;* Psalm. 121. 8. *Deus custodiat tuum exitum, tuumque introitum.* Jes. 37. 28. *Exitum & ingressum tuum novi.* Joh. 10. 9. καὶ εἰσελεύσεται καὶ ἐξελεύσεται, καὶ νομὴν εὐρήσει, *Et in-*

trabit & exibat, & pasuum inveniet. Act. 2. 11. ἐν ᾧ εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθε ἐφ' ἡμᾶς ὁ Κύριος, *Quo Dominus Iesus ingressus & egressus est inter nos.*

98. Numerare possem omnia ossa mea.

Verba sunt Davidis, quibus significat se valde macilentum esse, sic adeo ut præ macie numerare posset omnia ossa sua. Eum adagionem (si adagio appellari debet) aliter extulit idem David, *Caro mea ossibus meis adhaesit:* & Comicus noster,

*Ossa atque curis sum miser à macritudine.*

99. Ex mensura.

*Ex mensura* sive *ad mensuram* fieri dicitur, quod fit modo quodam parcè ac sobriè. Joh. 3. 34. ἐγὼ γὰρ ἐκ μέτρων δίδωμι ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα, *Non enim ex mensura largitur Deus Spiritum.* Ebraicè effertur במשורה in mensura. In Avoch. cap. 6. *Adhunc modum se habet ratio Legis.* Etiam si panem cum sale edas, aquam cum mensura bibas, humi dormias, vitamque miseram vivas, dum operam navas *Legi, beatus es, & bene tibi erit; beatus es in hoc seculo, & bene tibi erit in futuro.*

100. Absque mensura.

*Sine mensura* fit quod fit modo immenso, benignè largiter, effusè. Græcè dicas ἀμέτρως. Ebraicè verò באין משורה, *absque mensura:* & est contrarium superiori. Latè autem in illis verbis, *Non ex mensura largitur Deus spiritum.* Nam sententia est, ut si diceret, *Largitur Spiritum ἀμέτρως, absque mensura;* h. e. copiosè ac largiter. Ita mihi videtur.

101. Neque bonum, neque malum.

Positum est Gen. 24. 50. pro nihil omnino. Ajunt Laban & Barhuel, *Hac res profecta est à Domino, non possumus tibi loqui bonum aut malum:* h. e. non licet nobis tibi quicquam contradicere. Sic Gen. 31. 24. *Cave ne loquaris cum Jacob à bono ad malum.* Sensus est, neque bonum neque malum: ac si diceret, vide ne dicto aut facto aliquo eum offendas. Non me latec varias hic esse interpretum sententias: verùm nostra ut simplicissima est, ita probari posse videtur ex verbis Labani, qui paulò post Jacobum allocutus ita fatuit, *Est in manus mea potestate facere vobis malum, sed Deus patrum vestrorum heri me monuit, inquit, Cave tibi ne à bono ad malum cum Jacobo loquaris:* q. d. possum ego quidem vobis nocere si velim; verùm quia Deus vetuit, idcirco nihil mali vobis nunc faciam. Cajetanus loqui accipit pro *facere:* quod non est necesse cum ex uno alterum intelligatur. Nam qui loqui prohibet quicquam, etiam prohibet facere, & quidem multò magis. Imò non à factis tantùm injuriosis, verùm etiam à dictis, quæ offensionem adferunt, abstinere voluit Deus. Verus translatio, *Cave ne quicquam asperè loquaris contra Jacob:* & mox, *Cave ne loquaris cum Jacob quicquam durus.*

102. Oculi manant rivis aque.

Hyperbola proverbialis de immodico flatu. Legitur Plal. 119. in littera Phe, פלגי מים ירדו עיני, *rivi aquarum descenderunt ab oculis meis.* Similiter Thren. 3. 16. פלגי מים תרדעני, *rivi aque manant oculus meus:* quod ita dictum quasi per hypallagen, pro, *rivi aqua manant ab oculis meis.* Simile est Joel. 3. 18. omnes

nes alvei Juda fluent aqua. Nam esset, aqua fuerit per omnes alveos Juda. Huc etiam facit quod Thren. 1. 16. Oculus meus manat aqua.

## 103. Oculos in capite gerit.

עֵינָיו בְּרֵאשׁוֹ, Oculos habet in capite. Quadrat in eum qui ventura longè ante prospicit, sicut de cordato & provido, Homerus inquit, ἀμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω λέγουσι. Sunt etiam qui Janum idèò bifrontem dictum fuisse referunt, quòd fuerit Vir prudentissimus, videritque procul ventura. Plautus quoque in Aulularia de anu versuta & quaquaversum speculante, *Que in occipitio*, inquit, *oculos habet pessima*. Cohel. 2. 14. *Sapiens oculos suos habet in capite suo*. In Græcis est, τὸ σοφὸν οἱ ὀφθαλμοὶ ἐν κεφαλῇ αὐτοῦ. Chald. Paraph. *Sapiens considerat in principio, id quod futurum est in fine*. Alascar in apologia pro Maimonide, *neque cerebrum in vertice, neque in capite oculos habet*. Immutit stultum & improvidum. Cui simile apud Varronem, qui *cacos consules dixit, ut improvidos denoraret*.

## 104. Manus contracta.

*Manus contracta*, h. e. כְּמוֹצֵר, vocatur illiberalis & ad largiendum restricta. Deut. 15. 7. *Ne obdura cor tuum, neve contrahes manum tuam à fratre tuo*. *Cor obdurat*, qui nihil dat: *manum contrahit*, qui parcè dat. Utrùmque proverbii speciem habet. Hoc sensu adagium reperitur apud Erasmmum, *Manum in sinu habet*. Vide.

## 105. Manus aperta.

יָד פְּתוּחָהּ, *Manus aperta*, i. larga, liberalis; unde בֵּיד פְּתוּחָהּ, *manu aperta*, i. prolixè, largiter. Hoc bene & Latine dicitur *plenà manu*. Psal. 104. 28. *aperis manum tuam, sariantur bono*. Deut. 15. 8. 11. *aperiendo aperi manum tuam fratri tuo*. Sensus est ac si diceret, largitor ei *apertà & plenà manu*.

## 106. Ollam contrahere.

Joel. 2. 6. כָּל פְּנִים קִבְצוּ פְּאוּרָה, *Omnes facies contraxerunt ollam*; h. e. nigrorem ollæ. Latina ver. *omnes vultus redigentur in ollam*: cujus declaratio in eadem translatione. Nah. 2. 10. & *facies omnium eorum sicut nigredo olla*: i. tam atræ quàm est olla. Pallor faciei metum indicat: nigror non simpliciter metum, sed talem metum qualis est, quibus mors ob oculos versatur. Morientis enim vultus ex metu nigrescit, & atritate repletur.

## 107. Sedebunt securè quisque sub vite sua, subque ficu sua.

Genus est loquendi quasi proverbiale apud Ebræos, quo utuntur cum altam pacem significare volunt: & est sententia velut si dicerent, *Quisque tu tò deget, & quietè fruatur bonis suis*. Nam in nominibus *vitis ac ficus* est *synecdoche* parris pro toto. Reperitur Mich. 4. 4. de tranquillitate postremi temporis, *Sedebunt quisque sub vite sua, & sub ficu sua, nemine exterrente*: item 1. Reg. 4. 25. de pace, quæ viguit sub Salomone, ubi Ver. interpres, *habitabitque Juda & Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, & sub ficu sua*. Quem locum æmulatus est Gorionis filius hist. lib. 4. cap. 26. *Seditque Israel securè omnibus diebus Jonathan, quisque sub vite sua, subque ficu sua*. Eadem sententia est 2.

Reg. 18. 31. in oratione quam Rabasces Regis Assyrii legatus ad Judæos habuit, in hæc verba. *Hæc dicit Rex Assyriorum. Facite mecum pacem, & egredimini ad me: tum quisque comedet de vite sua, deque ficu sua, & bibet aquas de cisterna sua*. Et Zach. 3. 10. *Eo die, inquit Dominus exercituum, clamabitis alii ad alios subter vitem, subterque ficum*.

## 108. Pactum salis.

בְּרִית מַלַּח, *Pactum*, sive *foedus salis*. *Fœdus salis*, i. salitum. Ebraismus notus: h. e. firmum, durabile, incorruptum. Nam sal incorruptionem rebus præstat, unde fit, ut ea quæ sale condita sint, diu durent incorrupta. Num. 18. 19. *Pactum salis perpetuum*. 2. Par. 13. 5. *illi & filiis ejus fœdere salis*.

## 109. Ignem in labiis habet.

De homine vehementer commoto, & quasi in ira efferato, qui vulgò dicitur *ignem pro malitia spere*, & à Græcis, πῦρ πνέειν. Salomo dixit, עַל שְׂפָתָיו כַּאֲשֶׁר צָרְכָה, *in labiis ejus quasi ignis ardens*. Prov. 16. 27.

## 110. Ventis alis vinciri.

*A vento vinciri* aut *constringi* proverbialiter dicitur qui vincitus citissime aliquo abripitur. Ventis enim nihil velocius; unde Virgilianum illud,

*Et ventis & fulminis ocyoralis.*

Exstat Hof. 4. 19. צָרָה רוּחַ אֶתָּהּ בְּכַנְפֵיךָ, h. e. ad sententiam Camii Patris, *ligavit ventus eam alis suis*: Significat autem fore ut natio Ephraimitarum (nam de ea loquitur) aurà citius in exilium deportetur. Huic affine, *à vento depasci*, de quo supra.

## 111. Ventum ligat.

Locum modò citatum Camius filius post Abenezram construit & legit, *ligavit ventum ipsa* (sc. congregatio Ephraimitarum) *in alis suis*. Id enarrat in hanc sententiam, *Ut homo qui ligat ventum alis suis, & postea cum solvit alas suas, nihil quicquam invenit*: Sic Ephraim apprehendit cultum vitulorum, & expectat inde aliquem fructum, sed frustra. Non enim certè consequetur quicquam præter damnum & egestatem. Hæc R. David, *Quæ si vera sunt, ligare ventum, ut, persequi ventum, calli laboris est, & unde nulla utilitas manat*.

## 112. Montes fluent vino, &amp; colles lacte.

Copiam vini & lactis, imò rerum omnium affluentiam, significant hæc hyperbolà, *in die illo stillabunt montes musto, & colles fluent lacte*. Legitur Joel. 3. 18. *Dictum autem quasi per hypallagen pro lac fuerit per colles, vinum stillabit per montes*. Sic Amos. 9. 13. *Stillabunt montes musto, & omnes colles liquefient, sive dissolventur*.

## 113. Cutem &amp; carnem detrahere.

Pro expilare & diripere ita ut nihil reliqui facias, & rem auferas, ut dici solet, cum pulvisculo. Mich. 3. 2. *qui ab illis cutem diripiunt, & ab ossibus eorum carnem*: notantur gubernatores reip. Israelicæ, quòd extremis exactationibus vexarent miserum populum.

## 114. Percutere in maxillam.

Turpis pœnæ & dedecorose cladis significatio est; Psal. 3. 8. in illis verbis, *percussisti omnes hostes meos in maxillam*. Similiter Mich. 5. 1. ubi hæc habentur, *Virgâ*

Virgâ percusserunt in maxillam iudicem Israel: declarat illatam ignominiosè injuriam ei, qui repub. Israelitarum tum administrabat.

115. *Dentes infringere.*

Dentes infringere dixit in eodem loco David, pro eo quod est vires infringere: & est Metaphora sumpta à bestiis, quas naturâ dentibus armavit. Verba sunt שני שנתים שנתים, dentes improborum confregisti.

116. *Pulverem lingere.*

Utuntur ad declarandam abjectæ servitutis humilitatem: aut erat signum reverentiæ & obsequii, quod Regibus præstari solebat. Mos enim in Asia olim, qui etiam nunc obrinet, cum ad Regem adirent, eumque salutarent, ut terram deoscularentur. Mich. 7. 17. *Lingent serpentum more pulverem.* Jes. 49. 23. & *pulverem pedum tuorum lingent.* Psal. 72. 9. & *hostes ipsius terram lingent.* Se humi prosternebant in terram, quod προσκυνεῖν dicitur.

117. *Saccum induere.*

Saccum induere aliàs propriè sumitur, nam erat certa vestis quam lugentes induebant: aliàs proverbialiter denotat in squalore & fordibus versari. Psal. 35. 13. *Cum ipsi agrotarent, mihi vestimentum erat saccus; & 69. 12. posui vestem meum saccum.* Jes. 50. 3. *Induam cælum atritate, & saccum ponam operimentum ejus.* Contrà,

118. *Saccum solvere.*

Est luctu & mœrore aliquem levare Psal. 30. 12. *Vertisti luctum meum in chorum, mihi solvisti saccum meum, accinxisti me gaudio.* Ebraicè לִי פָתַח שָׂקִי Sensus est, tu mihi non solum læticiam & voluptatem concessisti, verum etiam omnem mœrorem ac lugendi causam abstulisti.

119. *Comedit cinerem.*

Cinerem edere dicitur, qui totus est in luctu & squalore. Ductum à more lugentium, qui cinere caput conspergebant, sèque in pulvere volutabant, Psal. 102. 10. כי אפר כלחם אכלתי, Nam cinerem quasi panem comedi. R. exponit משל ררך h. e. proverbialiter, quod panis in ejus ore veluti cinis esset, h. e. non magis quam cinis saperet. Græcè, σποδὸν ὡσεὶ ἄρτον ἐφαγον. Quòd facit & illud Thren. 3. 16. הכפישני כאפר, quod Ver. Interpres post LXX. enarrat, cibavit me cinere: prius enim erat, ceterè in Græcis codicibus, ἐψώμισέ με σποδόν.

120. *Cedarena tentoria.*

Cedareni populus Arabiæ. Degunt in tentoriis ut Scenitæ, nec alias domos habent. Causam nominis indè ducunt nonnulli, quòd colore sint fusco. Alii à Cedar filio Ismaelis dictos tradunt Cedarenos. Ut ut sit certum tentoria eorum fusca fuisse; ex quo simile apud Salomonem Cant. 1. 5. *nigra ego ut tentoria Cedar:* nec solum tentoria fusca erant, sed etiam ipsa gens. Hinc lucem facies Davidi Psal. 120. 5. ubi ait שכנתי קדר, *habito cum tentoriis Cedar.* Nam per tentoria Cedar, meo animo significat ipsos Cedarenos; hoc primum. Deinde Cedarenos voluit intelligi, non nomen proprium, sed homines improbos & pravis moribus imbutos. Nigrum enim in metaphora idem quod pravum. Docet hoc vulgaris versiculus,

*Hic niger est, hunc tu Romane, caveto.*

Quò valde facit proverbium, *An mutabit Aethiops cutem suam?* Nam quia nigri Aethiopes, idè eo nomine vocantur qui tales sunt, Ergò in inscriptionem Psal. 7. de verbis Chus, h. e. Aethiops, partim interpretum de Saule Cis filio explanant, quem ajunt *Aethiopem* ibi nuncupari propter morum improbitatem; rectè an sciscus iudicii eorum esto, qui hæc intelligunt.

121. *Neque pars, neque fors.*

Aët. 8. 21. ἄν ἐστὶ σοὶ μέρος ἢ δὲ κληρὸς ἐν τῷ λόγῳ τῷ τῷ, *Non est tibi pars neque fors in hoc negotio.* Dicitur illa, neque pars neque fors ex Ebræorum lingua proverbialis est. Dicunt etiam, *neque pars neque hereditas.* Gortonides hist. 6. cap. 42. *Non est tibi pars neque hereditas in terra Iehuda,* q. d. Nihil tibi quicquam rei aut juris est. Ebræa sunt אין לך חלק ונחלה. *Que nobis amplius pars aut hereditas in lege Domini, & lib. 6. An est tibi pars aut hereditas in regno?* Elias Levit, *Ultra calcei corrigiam non est tibi pars, neque hereditas.* Verba sunt pictoris ad lutorem temerè nimis iudicantem de arte sua: q. d. *Ne futor ultra crepidam.*

122. *Aquila juventa.*

Sim vanus, si non lateret proverbium Psal. 103. 5. in illis verbis, תתחדש כנשר נעורכי, *renovas sicut aquila juventutem meam;* ut sensus sit, ita renovas juventutem meam ut comparari possit cum aquilæ juventa, quæ robusta, florens ac vivida est: ergò significat vires suas ita redintegratum iri, ut de se dici possit, *Aquila juventa.* Placeret magis hæc sententia, nisi in aliam irent omnes interpretes, quam neque refellere in animo est, neque pro vera ac certa obtrudere: eam alii aliter narrant. Hieronymus ita, *Aquila,* inquit, *ubi consenuerint, gravantur penna; quarit illa fontem, erigitque pennas, calorem in se colligit: eo modo sanantur oculis in fontem se ter mergit, atque ad juventutem redit.* Aug. ad hunc Psalmum, *Dicitur, ait, aquila, dum senio gravatur, rostri immodicè crescentis unco non posse os aperire, nec cibum capere: unde languescens natura vi collidit rostrum ad petram, cujus atritu excusso quod redundabat, ad cibum redit, atque ita reparatur ut juvenescat omnino.* R. D. scribens in eundem Psalmum, *Ajunt, inquit, aquilam quoque decennio rejuvenescere, & novas vires resumere: de qua re scribit Saadias doctor illustris; Aquila altius, volat ceteris avibus ferturque sublimis in supremam aëris regionem usque ad spheram ignis: inde se precipitat in mare præ nimio aestu, & renovatur pennis recrescentibus, reditque ad dies juventutis suæ quoque decennio, donec pervenit ad centesimum annum: tum ex alto de more se precipitat in mare, ibique moritur.* De hac eadem re vide inter Epistolâ Hieronymi eam quæ de cereo paschali.

123. *Non movebit canis linguam suam.*

לֹא יחרץ כלב לשונו, *Non movebit canis linguam suam.* Utuntur ad significandam silentii quietem & tranquillitatem, ut Exod. 11. 7. *Non movebit canis linguam suam contra ultum hominem aut bestiam:* q. d. summum silentium maximæque tranquillitas futura est apud Israelitas. Quòd pertinet & illud, Jos. 10. 21. *Non movit contra Israelitas quisquam linguam suam: quod vetus interpres retulit, Nemo contra filios Israel mutire*

*mutire ausus est*, Ergò ne linguam quidem movet, proverbiale, sicut dicimus, *ne hiscere quidem, aut mutire quicquam audeat*. Græci apud Mosen legunt, *ὅτι γέυξεν κών τῆ γλώσση αὐτῆ*. Latinus Interpres, *non mutiet canis linguam suam*. Est autem γέυξεν idem quod mutire, hiscere, grunnire. Videlicet à γεύ voce fuilla: unde proverbiale *μὴ δὲ γέυ negry quidem*, pro nihil quicquam.

124. *Nemo apud nos adest.*

אין איש עמנו, *Nemo est nobiscum*, Gen. 31. 49. paciscitur Laban cum Jacobo in hanc sententiam, *Quod si meas filias affliges, aut alias præter eas duces, nemo est nobiscum: vide, Deus testis inter te & me*: q. d. etiam si hic nemo adsit, tamen hujus rei Deus erit testis. Quidam non ita pridem sensum effecit planè proverbiale, hoc modo, si tu filias meas durius habebis, Deum contestor, hæc pacta tum perinde fore ac si nemo hic adesset: i. fore irrita. Nam ut pacta hominum testimonio confirmantur; ita eadem, si nemo adsit testis, negari possunt. Hæc sententia mihi non valde placet: at tamen si quis velit proverbialiter uti, poterit eo sensu, quo Latini dicunt, *quod scis, nescis*: quoties videlicet quod dictum aut factum erit, taceri voler perinde ac si nesciretur, aut perinde ac si nemo adesset. Chaldaicè effertur לית איש עמנו. Græcè verò, ἄδεις μεθ' ἡμῶν.

125. *Ex gladiis ligones.*

Non memini legere sine negatione. Eâ additâ significat rectâ incedere, ita ut nullam in partem à lege deflectas. Vide quæ scripsimus lib. 1. hujus Classis ad illud Salomonis, *Ne deserte ad dexteram aut sinistram*. Locutio est merè proverbialis, quæ sumpta à viatoribus. Quippe Lex quasi via quædam est recta & plana: à qua, qui decedit, vel ad dexteram vel ad sinistram, declinationem facere debet. Declinatio quævis à Lege peccatum est. Idèd peccare verat simpliciter, qui verat à Lege ullam in partem declinare. Hier. cap. 2. Malachiae paulò subtiliùs, *Declinare ad dexteram, inquit, est abstinere à cibis, quos Deus creavit ad utendum, condemnare nuptias, & in illud incurrere quod in alio loco scriptum est, Ne sis nimium justus. Ad sinistram verò divertere est, cum quis luxuria se tradat & libidini, & scandalizat multos in Lege*. Idem Zach. 12. *Nec ad dexteram nec ad sinistram declinabimus, viâ regiâ gradiemur. Via dextera peritias est, quam Græci πεδολίας vocant: Sinistra luxuries: mediâ rectâque frugalitas*. Reperitur hæc locutio proverbialiter usurpata, cum alibi tum Deut. 5. 32. item 17. 17. 20. & Jos. 1. 7. tum etiam 2. Par. 34. Aliquando propriè, h. e. sine figura proverbii usurpatur, ut Deut. 2. 27. & 1. Sam. 6. 12. & 2. Sam. 2. 19.

127. *Viâ regiâ incedere.*

*Viâ Regiâ* cujus superiùs facta mentio, est via lata & publica, quæ & consularis, & prætorîa militarisque dicitur, legibus sacra. Ebraicè דרך המלך. Augustinus viam regalem appellat de Civit. Dei lib. 10. cap. 32. Hier in Comment. super Ezech. cap. 40. *Qui introductus est, divinis sensibus fuerat eruditus, & nec dexteram noverat, nec sinistram, sed viâ regiâ ingrediebatur*. Theodoretus in Baruc. c. 5. *ut non declinemus ad dexteram vel sinistram sed incedamus viâ regiâ, qua ducit ad vitam*.

128. *Animam in manu gestare.*

Est periculum vitæ adire. Reperitur Jud. 12. & 1. Sam. 19. 5. & Job. 13. 14. Ex quibus locis lux accedet Psalm. 119. 109. נפשי בכפי תמיד, *Anima mea in manibus meis semper*. Sensus est, quæquam in perpetuo vitæ periculo verlor, & animam quasi in manu porto, tamen non depono memoriam Legis tuæ. Græca Ecclesia (obiter noto) legit ἐν ταῖς χερσίν σου. Sed perperam. Corrupta enim lectio est ex non intellecta Phrasi Ebraica, & autoribus libris melioribus reponendum משׁ pro σου. Consule Hieron. epist. ad Suniam & Frerelam & Arnobium in Comment. ad h. l. Vide quoque Observat. nostras.

129. *Ex eadem petra vel rupe.*

מצור אחד, *Ex eadem petra*: proverbiale sicut dicimus, ἐκ μιᾶς πέτρας, *ex eodem lare*, pro eo quod est, *ex eodem principio*. Unde *ex eadem petra exsecti esse dicuntur*, qui eundem generis autorem habent, ut Israelitæ, quorum pater omnium & communis Pater Abraham. Itaque Propheta Jesajas 51. 1. postquam dixisset, *intuemini petram ex qua exsecti estis*, seipsum quasi explicans subinde ait, *intuemini Abrahamum Patrem vestrum*.

130. *Ex eodem puteo.*

בבור אחד, *Ex eodem puteo*. Valer ut si dicas, *ex eadem matrice*. Nam בור aliquando *matrix, vulva*. Quod etiam R. D. agnoscit. Ita sumitur in illo, *Bibe aquas è puteo tuo*. Ergò *ex eodem puteo effossos intelligemus eos, qui ex eadem matre nati sunt, nempe ex illo Jel. 51. 1. intuemini cavum putei, ex quo effossi estis*: quod mox ita elucidat, *intuemini Saram genetricem vestram*.

131. *Librum obsignatum legere.*

Prove bii simile, *Librum obsignatum legere*, sicut dicimus: *Januam clausam pulsare*, de casto & inani conatu. Quod eives ex Jel. 29. 11. *Erítque vobis omnis visio quasi verba libri obsignati, quem qui legere volet, etiamsi literarum peritus erit, non poterit, quia obsignatus est*. Ebraicè dices ספר חתום קרא, *legit librum obsignatum*.

132. *Citra vinum ebrietas.*

אֹיִן מִבֵּינֵי, *Citra Vinum ebrietas*. Interpretantur ut significet gravitatem pœnæ, Jel. 51. 21. שכרת ולא עייף, *Ebria absque vino*: quasi quæ ad ebrietatem potaverit calicem iræ divinæ. Itaque Jonáthán παραφραζέει, *Qua ebria es calamitate & non vino*: ac si dicat, quam res adversæ aded consternatam reddunt & percellunt, ut ebrii more non sit apud se. Simili figurâ dictum, *Fortunâque dulci ebriâ*. Quòd pertinet 63. 6. *Inebriabo eos irâ meâ*: sed magis quod 29. 9. *Ebru sunt absque vino, turbant absque sicera*. Nam significat eos ebrii more parùm constare mente, sive propter magnitudinem pœnæ quam sustinebant, sive propter malitiam & improbitatem morum. Quò valde facit vulgi dicitur apud Belgas, *ebrius pane*, jaci solitum in hominem protervum & arrogantem.

133. *Ossa cuti adherent.*

Insignem maciem declarat, aut tabem. Nam in tabe, consumptâ penitus carne, ossa cuti adhærescunt. Psalm. 102. 6. דבקה עצמי לבשרי, *Adhæsit os meum carni mea*

mea. Quidam enarrant, *cuti mea ut carni mea*. Sed sciendum *carnem* hic pro *cute* sumi, ut Job. 19. 20. *Cuti mea & carni mea adhaerent ossa mea*. Nam hæc duo se invicem explicant: itaque Job. 12. 13. *Comedit cutem meam*. Sensus est *carnem meam*, aut potius *carnem cum cute*. Glossæ Nicolai apud Davidem, *Hic accipitur caro pro cute, secundum quod dicit Hieronymus & Ebrai: quia tam ex fame quam ex animi anxietate caro tabescebat, & sic cutis ossibus adhaerebat*. Sed hoc Proverbium propriè non est. Quare nolo ut in censum veniat cum cæteris. Quamquam alia sunt in hoc libro non pauca, quæ à me posita quòd proverbii proxima essent, magis quàm quòd vera proverbialia esse judicarem. Hoc semel dictum sit, ne quis mihi propterea controversiam faciat. Satis est si pleraque pars titulum tueri potest. Nam & Salomo librum suum eodem modo inscripsit, cum ibi sint plurima, quæ nihil habent commune cum proverbiiis.

134. *Digitum protendere.*

Jes. 58. 9. *Si amoveris è medio tui lorum, & digiti protensionem, & sermonem vanum*. Ubi nos posuimus *protensionem digiti*, codex Ebræus habet *והאצבע* i. verbum è verbo, *mittere digitum*: aut, ut Verus Interpretes edidit, *extendere digitum*. Quæritur autem quid sit *mittere digitum*. Et verò quidam exponunt, *extendere ad opus improbum*. Alii putant innuere gestum hominis minitantis. Aliis denique est, *litigare, rixari, contendere*: nam qui inter se rixantur manus & digitos crebrò movent ac porriciunt. Imò alter alteri digitum in os intendit, ut David Interpretes prodit. Glossa ordinaria elucidat, *Digitum extendere, i. proximum notare, eique detrahere*. Jonathanis, qui Jesajam Chaldaicè convertit, *innuere per digitum*, (nempe in Proverbio, *Digitum loqui*) quod est signum fastus & superbiæ, ut alibi dictum. Ergò *si amoveris è medio tui nutum digitorum*, i. gestus superbos. Nihil enim Deo ita odio est ut superbia.

135. *In sinum venire.*

Prov. 16. edit. LXX. in extremo, *εις κόλπος πάντων* *επιερχομαι τοις ἀδίκτοις*, *In sinus veniunt omnia injustis*: expono, omnia illis in sinum redeunt, sicut dicimus *malefacta redire in caput auroris*.

136. *In sinum redire.*

Psal. 35. 13. *תפלתו על חיקי תשוב*, *Oratio mea in sinum meum redeat*, h. e. ad me redeat: q. d. mihi obtinuat quod illis precatus sum. Ita dico, quæ perii à Deo ut illis impertiret, id velim mihi impartiat, ne quis putet me clam illis imprecatum fuisse aliquid mali. *In sinum*, *εις τον κόλπον*, germanum proverbiale.

137. *In sinum rependere, aut reddere.*

Huc ferri debet quod Jes. 65. 6. *Rependam in sinum eorum, pro rependam eis*. Sic Jer. 32. 18. *patrum scelera reddis in sinum filiorum*: rursus Jes. 65. 7. *Remetiar opus eorum pristinum in sinum eorum*. Hic lectum *אל חוקים*: scriptum *על חוקים* in libris Ebræorum. Cohel. 7. 11. *Indignatio in sinu quiescit stultorum*. Potest exponi ex jam dictis, apud stultos. Hem, penè exciderat. Psal. 79. 12. *Redde ergò vicinis nostris septuplo in sinum ipsorum*.

138. *Venti alis.*

In usu proverbiale est pro, *ocysissime*: nam ventis nihil *ocysus*. Præterea *alæ* symbolum erant *velocitatis*. Ergò Psal. 18. 11. Ubi Vir sanctus ita canit, *וידא על כנפיו*, *Volavit super alas venti*, incredibilem Divinæ mentis celeritatem elegantissimo dicto expressit. Vide proverbium, *Aventovinciri*.

139. *Equitat in Cherubo.*

Idem valet *על כרוביך*, *Equitat in Cherubo*: nam Cherubin alati erant: q. d. pennigeris cælitibus insidens *ocysissime* omnia exsequitur.

140. *In mensura (Latinè mensurâ, vel ex mensura.)*

*Ἐν μέτρῳ*, *Ex mensura* suprâ exposuimus, *parcè, frugaliter*. Aliter capies Psal. 80. 6. *πολιεὶς ἡμῶς δάκρυον ἐν μέτρῳ* nam contrarium censum habet: valet enim largiter, *ἀμέτρως*, *copiose*. Discrimen ecce manifestum apud Ebræos, *ἐν μέτρῳ*, *parcè*, i. *במשורה*: *ἐν μέτρῳ*, *largè*, i. *בשליש*. Est autem *שליש* certum genus *mensuræ*, puta *τριεὺς*, aut *trimodium*, aut *tricongius*: vel, quod verius puto, *mensura magna*, q. *τρίμετρον*, ut *τρισημείγιστος*, *ter quartæque beatus, ter purè leëto*. In quibus omnibus numerus ternarius ponitur pro magno. Quamquam Menahem homo Ebræus censet esse è valis portoriiis quod *schalisch* dicitur. Usus est hæc voce, Jes. cap. 40. v. 12.

141. *Fumus in naribus.*

Jes. 65. 5. *אלה עשן באפי*, *Isti fumus sunt in naso meo*: vult dicere, *fumum conciant in naribus*: h. e. mihi bilem movent, stomachum faciunt. Aut *עשן* *ἐπιπλωσ* positum pro *עשן* *tanquam fumus*; & *באפי*, *in ira mea*. Ergò, inquit, *in ira mea eos consumam*, ut si fumus essent. Harum declarationum ultra melior vera sit, aliis judicandum relinquo.

142. *Excutere pulverem pedum.*

Est ita discedere, ut nihil quicquam ex alienis rebus auferas, sed ipsum etiam pulverem pedum soleis adherentem relinuas. Mos antiquus quem usurpârunt aliquoties Apostoli, qui discessuri excutiebant pulverem pedum suorum, ut ostenderent nihil se auferre secum. Meminit Erasmus in adagio, *Cum pulvisculo*.

143. *Facie ad faciem.*

In usu est pro, *coram & familiariter*. I. Cor. 13. 12. *πρόσωπον πρὸς πρόσωπον* Ebraicè *אל פנים אל פנים*: quod reperies Exod. 33. 11. Pro eodem dicunt, *פה אל פה*, i. *ore ad os*.

144. *Non cadet pilus ex capite.*

*לא יפול ראשו ארצה*, *Non cadet ex capillis capitis, ipsius in terram*: vel, *ne pilus quidem cadet ex ipsius capite in terram*: h. e. ne tantillum quidem lædetur, aut amittet de suo. Proverbialis loquendi formula per hyperbolen, quæ reperitur I. Sam. 14. 45. tum 2. Sam. 14. 11. & I. Reg. 1. 52. Sed & Luc. 21. 18. *καὶ θριξὶ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν ἢ μὴ ἀπόληται*, & *pilus ex capite vestro non peribit*: & Actor. 27. 34. *οὐδὲν ἐξ ὑμῶν θριξὶ ἐκ τῆς κεφαλῆς πεσέτω*, *nullius vestrum capillus ex capite cadet*.

145. *Ad Cælum.*

*In Cælum*, ad *nubes*, proverbialia Hyperbolæ sunt, quæ

quæ S. Scriptoribus in frequenti usu. Gen. 11. 4. *Exstruamus nobis Urbem & turrim cujus fastigium in Cælum pertingat.* Cicero pro domo sua, *Ad cælum tamen exstruxit villam visceribus ararii.* Deut. 1. 28. *Civitates magna & munita in Cælum.* Ezræ. 9. 6. *Delictum nostrum crevit usque ad Cælum.* 2. Par. 28. 9. *Occidistis eos favore, qui ad Cælum pervenit, i. maximo furore.* Virgilius, *Et clamor cælo.* Horatius, *attingit solum Jovis.* Psal. 36. 6. *Benignitas tua in Cælum; sub. assurgit, aut magna est, ut Psal. 57. 11. Magna usque ad cælum benignitas tua.* Jer. 51. 9. *Pertingit ad Cælum.* Huc pertinet epitheton Homericum, *ἄραονες*, & illud Synesii, *ἀράσσει τῆ κεφαλῆ τὸν ἄρανόν cælum vertice ferit: & Val. Max. l. 2. c. 4. partarum rerum cumulus cælo equatus.* Porro *in Cælum, i. בשמים: ad Cælum, i. לשמים, aut אל השמים, usque ad cælum, עד שמים, aut לשמים עד, quod postremum reperies Ezræ 9. 6.*

146. *Ad nubes.*

*עד שחקים, Usque ad nubes.* Psal. 108. 5. *Usque ad nubes veritas tua.* Jer. 51. 9. *Judicium ejus elevatum est ad nubes.* Job. 20. 6. *Si ascenderit in Cælum, & capite nubes attigerit.* Hic est לעב in Ebræo, ut si dicas, ad nubem assurrexerit. Huc refer,

*Caput inter nubila condit.*

147. *Ad inferos deprimi.*

*Quemadmodum ad Cælum extolli, Sic dicebant ad inferos deprimi, aut descendere.* Utrumque hyperbolam continet in forma quadam proverbii. Jes. 14. 15. *veruntamen ad Inferos deprimeris, ad latera putei.* Matth. 11. 23. *Et tu Caphernaum, qua usque in Cælum sublata es, usque ad inferos deprimeris.* Quod Ebraicè transferas ex Jesaja, *אל שאול תורד*, Græcè verò legitur in Matth. *ἕως ἁδύς καὶ αὐβιβασθήσῃ.*

148. *In abyssos descendere.*

Eandem planè vim habet Psal. 107. 26. *Ascendunt in Cælum, descendunt in abyssos.* Ebraicè תרדו תהומות. Confimili hyperbolâ ulus est Erasmus in Naufragii colloquio, ubi pericula navigantium in maris tempestate ita describit, *Quoties tollebamur in altum, licuisset lunam digito contingere: quoties demittebamur, videbamur dehiscente terrâ rectâ ire in Tartara.*

149. *Facies collapsa.*

*Facies collapsa, vel, si mavis, vultus demissus.* Habitus est hominis affecti vel pudore, vel tristitiâ. Pudorem innui hæc locutione, scribit Abenezra, cui assentior, ut tamen dolorem non excludam; nam conjuncta hæc ferè sunt. Nam quos facti alicujus pudet, aut qui animo sunt mæsto, si ferè vultu demisso & in terram inclinato incedunt. Seneca epist. 11. *Artifices Scenici, qui imitantur affectus, qui metum & trepidationem exprimunt, hoc indicio imitantur verecundiam, dejiciunt vultum, verba submitunt, singunt in terram oculos & deprimunt.* Gen. 4. 5. *Iraus fuit Cain valde, collapsaque est facies ejus: & v. 6. למרה נפלו פניו, quare concidit vultus tuus? Cajetanus ad h. l. Demissione vultus tanquam non audentis suspicere in Cælum significatur tristitia interna, ex qua animus incandescit.* Judith. 6. *μη συμπερέτω σε τὸ πρόσωπον, ne concidat vultus tuus.*

150. *Attollere faciem aut vultum.*

*Geitus est hominis læti, fidei atque, nec ullius sibi*

conscii culpæ. Job. 11. 15. *תעלה פניך ממום, tunc attolles faciem tuam à macula.* Sensus est, tunc lætus & alacer, ut pote à macula purus seu intemeratus, & erecto vultu incedes, 2. Sam. 2. 22. *Quomodo sustollam faciem meam ad Joabum fratrem meum? Luc. 18. 13. Publicanus procul stans nolebat oculos in Cælum attollere.* Huc referunt nonnulli quod est Gen. 4. 7. *הלא תיטיב שאת.* Antea sciscitatus erat Deus à Caino cur esset facie sublapsa; nunc subjicit, *An non si rectè fecisti, attollere* (in finit. pro futur. i. attolles faciem tuam? q. d. certè si rectè fecisti, debes esse lætus & bono animo, non autem incedere mæsto ac demisso vultu. Vel, si rectè facies, attolles vultum, quod erit signum tuæ innocentia: seu expiatæ noxæ. R. David ad hunc sensum accommodat Psal. 3. *extollens caput meum.* Nam interpretatur, qui facis ut erecto vultu incedam, h. e. ut sim alacer & lætus, nec pudore suffundar.

151. *Secus pedes.*

Gen. 49. 19. *Αὐτὸς δὲ περιελεύσει αὐτὸν κατὰ πόδας.* Ambrosius de benedict. Patriarch. & ipse tentavit eum *secus pedes, h. e. continuo & sine ulla deliberatione.* Idem de Christo respondenti ex tempore Pharisæis, *sed non est mirum si secus pedes respondebat, qui ante pedes videbat.* Simile est, *ἐκ ποδῶς*, quod usurpant pro itarum, sicut Latine dicimus *è vestigio.* In lingua Magistorum מיד, *è manu, idem planè valer.*

152. *Quantum Oriens ab Occidente distat.*

*כרחק מורה ממערב, Sicut distat Oriens ab Occidente, h. e. longè latèque.* In usu est cum ingens interval- lum significamus, Psal. 103. 12. *Quam procul distat Oriens ab Occidente, tam procul removet à nobis scelerata nostra.*

153. *Quantum Cælum supereminet terram.*

*כגבה שמים על הארץ, Quam altè Cælum eminet supra terram.* Legitur v. 11. Psalmi supra citati: Sic Homerus Iliad. 8. de Tartaro,

*Τόσσον ἕνεκα δ' αὐδῶ, ὅσον ἔρανος ἐς ὑπὸ γαίης.*

& Virgilius,

*Bis pateat in præceps tantum, tenditque sub umbras.*

*Quantum ad atherum cæli suspectus olympum.*

A centro terræ ad Lunam Astronomi numerant miliaria Germanica 16340. & usque ad sphaeram stellarum fixarum 17269660. Siracides verò negat altitudinem Cæli ab ullo demetiri posse. Sic etiam sapiens meus, *Cælum, inquit, altitudine, & terra profunditate, & cor Regum non est pervestigabile.*

154. *Cor ad dextram vel ad sinistram habere.*

*Cor ad dextram habere intelligitur sapiens, quia dextrè ac promptè omnia agit.* Nam in dextera plus virium & agilitatis. Cohel. 10. 2. *Cor sapientis ad dextram ipsius: contra lectum in eodem loco, Cor stulti ad sinistram ejus: q. d. cor sinistrum habet, & per consequens sinistrè omnia facit.* *Cor hominis, ait Abenezra, neque est in dextera, neque in lava; sed in medio pectore paululùm vergit ad latus sinistrum.* Quare intelligit non ipsam Cor, sed actiones, quæ ex corde inirium ducunt.

155. *In caput, super verticem.*

*In usu proverbiale est eo sensu quo dicimus in sinum,*

ut Abd. v. 15. retributio tua revertetur in caput tuum. Esth. 9. 25. revertatur cogitatio ejus pessima, quam cogitavit contra Judæos, in caput ipsius, & super verticem ejus iniquitas ipsius descendet. Apud Tullium est, quod illorum capiti sit. Sic Græci dicunt imprecantes, εἰς τὴν κεφαλὴν σου, cum in autorem malum retorquetur, quod notatum ab Erasmo. Fortè sumptum ab Ægyptiis: nam apud eos moris erat ut caput hostiæ diris devoverent, eique ad eum modum imprecarentur, ut si quid mali aut ipsis immolantibus aut universæ Ægypto futurum esset, id in caput illud converteretur: imprecatione facta projiciebant caput in fluvium, aut Græcis mercatoribus vendebant, si copia erat: cujus rei autor Herodorus lib. 2. Abenezra existimat inde esse ut dicant in caput, super verticem, quoniam bona & mala omnia è cælo descendunt: nam quod inde descendit, id primum in caput recidere: itaque aliàs in bonam partem usurpari, ut Prov. 10. benedictiones super caput justi. Non displicet hæc postrema sententia.

156. Ore ad os.

Στόμα πρὸς στόμα. Ore ad os. Proverbii formâ dictum pro, familiariter. Num. 12. 8. בּוֹ אֵלֶיךָ אֲדַבֵּר, Ore ad os loquar ei: quo modo & Apostolus dixit, facie ad faciem, pro, coram. βλέπομεν γὰρ ἀλλήλους δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, videmus nunc quasi per speculum in enigmate, tunc autem coram videbimus. Hujus & supra meminimus.

157. Fluctus à vento agitur.

Κλύδων ἀνεμιζόμενος. Fluctus à vento agitur. Proverbium animi inconstantis ac dubii. Germanum illius, Calamus à vento agitur. Jac. 1. 6. Qui disceptat similis est fluctui maris à ventis agitato & jactato.

158. Synagoga Satanae.

Proverbiale, ut Caiapha concilium, de coetu hominum improborum. Græcè συναγωγή τῆς Σατανᾶς. Apoc. 2. 14. & 3. 9. Ebr. בְּנֵי הַשָּׁטָן.

159. Aes resonans.

1. Cor. 13. 1. Γέγονα χάλκη ἢ χυῶν, ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον, factus sum aes resonans, aut cymbalum rinniens. His Proverbiiis significat Apostolus inanem ac futilem garrulitatem. Cymbala in lingua Ebræorum כַּלְצַל, aut כַּלְצַלִּים. Syrè כַּלְצַלִּים. In eodem loco.

160. Linguis Angelorum loqui.

Ἐὰν ταῖς γλώσσαις τῶν Ἀνθρώπων λαλῶ, καὶ τῶν Ἀγγέλων, i. מַלְאָכִים, q. linguis angelicis. Porro angelicum quicquid in suo genere excellit. Aut ἀγγελῶν, i. מַלְאָכִים, linguis divinis, excellentibus. Fortè sensus est, si linguis hominum loquar & angelorum: h. e. quibusvis linguis, sicut dicimus, sive alius quis hominum deorumve, cum loquimur de ignoto. Apagite verò qui de linguis angelorum nescio quid ad hunc locum commenti estis.

161. Manus ad os apponere.

τὴν χεῖρα ἐπὶ τὸ στόμα τίθεσαι. Aliàs est tacere, aliàs gestus eorum, qui silentium imperant. Ita enim vulgò fit ab iis, qui jubent aliquem silere. Sic Harpocratem finxit antiquitas manum ori admoventem, ut silentio innueret colendum esse summum Deorum. Mich. 7. 15. פִּה עַל יָד, ponent manus ad os. Jud. 18. 19. tace, appone manum tuam ad os tuum. Job. 21. 5. & 39. 37.

manum meam apposui ad os meum, לְמוֹפִי Sirach. 5. 14. εἰ ἐστὶ σοὶ σύνεσις, ἀποκριθήμι τῷ πλησίον· εἰ δὲ μὴ, ἢ χεῖρ σου ἐσὼ ἐπὶ τῷ στόματι σου. si rem intelligis, responde proximo; sin, pone manum tuam super os tuum. Cæterum in Latino comprimere os, & digito compescere labia, eundem sensum habent. Manum verò ad os apponere is dicitur qui significat se scire quod nolit effari. Autor Erasmus, quem vide, si orium & lubido.

162. Corde caret.

Corde carere, sive cor non habere dicitur qui despicit. Nam in corde sapientiæ sedes, secundum Ebræos. In qua sententia & eos fuisse significat Cicero Tuscul. lib. 1. qui prudentes cordatos vocaverunt, ex quo etiam, inquit, excordes, vecordes, concordésque dicuntur. Lactantius, Quidam sedem mentis in pectore esse voluerunt, Lucretius lib. 3.

Consilium quod nos animum mentemque vocamus:

Idque situm mediâ regione in pectoris heret.

Prov. 17. 16. Quorsum pretium in manu stulti ad comparandam sapientiam, cum cor nullum habeat? Hol. 7. 11. columba simplex carens corde. Codex Ebræus habet לֵב לֹא לָהּ cui non est cor. Quod respexit Tertullianus Adv. Marcionem lib. 4. cap. 10. cum ita scriberet, Facilius invenias hominem natum cor non habere, vel cerebrum, sicut ipsum Marcionem; quam corpus, ut Christum Marcionis.

163. Corde deficit.

Similiter corde deficere intelligitur, qui mente ac intelligentia caret. Ebraicè לֵב הֶסֶר: unde occurrit apud Salomonem Prov. 7. 7. adolescens deficiens corde, de impudico: quomodo Comicus de meretrice,

cui pectus sapiat,

Nam cor non potest, quod nulla habet.

Dicimus etiam מוֹחַ הֶסֶר, Vacuus cerebro. Prov. 11. 12. Qui contemnit proximum suum, corde deficit. Alius Interpretres dixit, amens est. Aliquando לֵב הֶסֶר significat defectum cordis, h. e. amentiam, ut Prov. 10. 21. Stulti defectu cordis morientur. Vide etiam Prov. 6. 32. & 10. 13. & 12. 11.

164. Lumbos discernere.

In lumbis virium sedes: unde lumbos discernere pro exarmare ac debilitare: elegans dictio, nec abhorret. Jes. 45. 1. וּמַתְנִי מַלְכִים אֶפְתָּח, & lumbos regum dissolvam. Hoc sensu capies Dan. 5. cingula lumborum ejus soluta sunt, pro, imbecillior factus est, vires ejus minutæ vel fractæ sunt. Affine est cum discernendi vocantur homines molles, & elumbes, qui à robore minùs firmi sunt.

165. Claudicare in utramque partem.

Sive in utrumque crus. Est ambiguum esse religionis, & tam in hanc quam in illam propendere, quod Irenæus dixit, Neque intus neque foris esse. Sic accipies apud vetustum Interpretem, 3. Reg. 18. 21. Usque quò claudicatis in duas partes? q. d. quousque tandem in dubio eritis quam Religionem potissimum sequamini? Declarant hoc peripicuè sequentia, si Jehova est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini eum. Cæterum in Ebræo habetur עַד מַתִּי אֶתְּךָ פּוֹסְקִים, quousque vos claudicaturi estis in duabus istis cogitationibus? eadem sententia.

166. *Ad animam.*

נפש נפשי, *Ad animam*, sicut dicimus *ad colum*: ubi quis de vita periclitatur. Psal. 69. 2. *Venerunt aquae ad animam usque*. Allegoria sumpta ab iis, qui in aqua demerguntur.

167. *Etiā & non.*

Ναι καὶ ἔ, *Etiā & non*. Proverbium inconstantiae & levitatis. Ejus usus de sermone, ut 2. Cor. 1. 18. *Sermo noster ad vos non fuit etiā & non*; h. e. non fuit varius & inconstans, sed prorsus idem: ita Theodorus enarrat, & rectè. Potest etiā usurpari de homine ex Festo in Naucus, *Quidam*, inquit, *ex Græco deducunt, quod sit vai καὶ ἔχι, levem hominem significari volentes*. Nec inscitè aptabis in mendacem. Nam talis nunquam sibi constat: modò negat, modò affirmat.

168. *Frusto panis.*

E genere proverbialium est לחם פת להי, *Frusto*, aut *bucca*, panis, quod Græci reddunt ψωμὸν ἄετος, pro levissimo emolumento, seu mavis, pro munere vilissimo. Quo sensu à Carone dictum de Caelio, *Frusto panis concludi potest, vel ut taceat, vel ut loquatur*. Exstat Prov. 28, 21. *Frusto panis peccaret vir*. Affine est pro pari calceorum, quod alibi explicatum. Huc refer ex edit. Græca, τιμὴ πόρνῆς ὄση, καὶ ἐνδὸς ἄβη, *Pretium meretricis quantum vel unius panis*: h. e. vilissimum est.

169. *Puritas dentium.*

נקיון שנים, *Puritas dentium*. Explicatur Amos. 4. 6. *Dabo vobis puritatem dentium, & penuriam cibi*. Nam & exegeticon eò loci; ergò *puritatem dentium*, h. e. penuriam cibi. Puros enim dentes habent qui esuriunt, cum deficient iis rebus, quibus dentes immundiores fiunt. Dicimus autem *puros dentes*, ut *locum purum*: quod postremum usitatum auctoribus Latinis. Hier. ad h. l. *supporem dentium* (ita post Græcos vertit etiā Jonathan, ac si esset נקיון שנים) *Aquila & Symmachus interpretati sunt Munditiam dentium, ut per mundos dentes famis magnitudinem demonstrarent, juxta illud, Et caro adhuc in dentibus eorum.*

170. *Dies Cæli.*

Baruch. 1. *יִחַי אֱלֹהֵינוּ אֵל הַיָּמִים אֲנֹתָן כֹּס אֵל הַיָּמִים תֵּבֵן עָרֵב. Ut sint dies eorum sicut dies cæli in terra.* Vult dicere, ut vivant quamdiu Cælum volvitur supra terram. Simile in Latio, *Vivat Nestoreos annos*: quod elegantius non possis efferre Ebraicè quàm hoc modo, יהיו ימיו כימי השמים *Sint dies ejus sicut dies cæli*,

171. *Halimum succidunt.*

קוטף מלוח, *Succidit halimum*. Quadrat in eum, qui tenuiter vivit. Nam halimo famam sedabant pauperiores: est autem olus salsum, unde nomen Job. 30. 4. *Qui succidunt halimum secus arbusta*. De Halimo Ruellius, *Frutex est similis rhamno, foliis olea, sed latoribus, gustu sub acerbo & salsedinem referente: mirè famem ledit*. Ideò tenuiores eo utuntur olerum vice. Hodie in Mauritania & res & nomen retinetur, vocatur enim in Mollochis. R. Tanchuma in libro qui *Pesicta* vocatur, de Messia, *Qui credit in eum, comedet halimos & radices juniperorum*: qui verò non credit in eum, & sequitur nationes hujus seculi, occiderur.

172. *Extra lutum.*

Ἐκτὸς πηλῶ, *Extra lutum*. Valer extra periculum; qua-

le est, ἔξω βέλῳ, *Extra reli jactum*. Psal. 40. 3. *Eduxit me ex luto cæni, sive canoso*: h. e. ex summis difficultatibus, quibus quasi luto immensus & involutus eram. Quadrat cum illo, *Extra lutum pedes habet*, quod Græcè dicitur, ἐκτὸς πηλῶ ποδῶν ἔχει, & explicatur in collectaneis Arcerii ex Zenodoro, Tarrhaō, & aliis, ἐπὶ τῶν ἔξω κινδύνα καθεστώτων, *De iis qui extra periculum constituti sunt*.

173. *In petram, sive rupem, constitutus.*

In eodem loco, *Et statuit pedes meos super petram*: h. e. in loco firmo, ubi licet consistere: vel in tuto, & extra periculum submersionis. Tractum ab iis, qui ex aqua educti ropem conscendunt in littore. Aut est Metaphora, ab iis qui belli tempore in petras confugiunt, quò tuti sint ab hostium incurso. Prius verius. Huic ex adverso responder, *Demersus in alto limo*: de quo aliàs.

174. *Mel & lac.*

*Mel & lac sub lingua tua, cum ait Salomo, Cant. 4. 11.* significat ejus Orationem mirā, suavitatem conditam esse. Sic Plautus Truculento,

*In melle sunt lingua si a vestra atque orationes  
Lactēque*

*Nec ovum ovo similis quàm hæc duo loca inter se.  
Mel & lac.* דבש והלב.

175. *Favum stillant.*

Idem declarat, נפת תטפרי, *Favum stillant*, ut in loco citato, *Favum stillant labia tua*: & Prov. 5. 3. *Favum stillant labia extranea*. Græci Scriptores idem expriment vocabulo *nectaris*, unde νεκταρός ἄζει, *stillat nectar*, de vino apud Eubulum: &

Ἄδὸ ἢ νεκταρός ὄσδει, apud Theocritum.

176. *Gaudium in messe.*

שמחת בקציר, *Latitia in messe*. Phrasi Ebraicà dicitur pro lætitiâ messis, ut *crustulum in melle dominatus per diem, latrones per noctem*, & alia in op. sculis meis observata. Est autem *latitia messis* lætitia eorum, qui lætantur in messe, sicut *latitia domus* læticiam significat eorum, qui in domo sunt: vel potius lætitia ea, quâ homines afficiuntur cum messis ampla & copiosa est, secundum illud Davidis, *Indidisti latitiam cordi meo majorem quàm tempore messis aut musti eorum, cum multa sunt*. Cæterum proverbii specie usurpatur pro gaudio magno, quòd in ampla messe homines supra modum gaudere soleant. Exstat alibi apud Prophetam Jesajam.

177. *Alis aquilinis.*

In Proverbio est pro, quàm velocissimè. Nam aquila volatu imprimis poller. Legitur Exod. 19. 4. *Sustuli vos alis aquilinis*. In fonte est על כנפי נשרים, *Alis aquilarum*. Affinitatem habet cum adagio, *Alis venti*. Hier. in Marcum cap. 4. quando *velocem desideramus intelligi, venti aut avibus comparamus*.

178. *Capillus è capite vestro non peribit.*

*Capillus capitis vestri non peribit*: & *capilli capitis vestri numerati sunt*. Inignes hyperbolæ in Evangelio, ad demonstrandum Dei providentiam, qui etiam minima nostra curæ habeat. *Sed quid mihi prodest*, inquit Ambrosius, de spiritu lib. 2. in prologo, *si Deus omnes meos novit capillos? Illud mihi redundat & proficit*

ficat, si bonorum operum pervigil testis remunerationem gloria donet aeterna. Ex dictis solvi posset quaestio, quam Augustinus movet de Civit. Dei. lib. 22. cap. 12. *Quamvis & de ipsis capillis, inquit, possit quari, utrum redeat quicquid tondentibus decidit? Quod si rediturum est, quis non exhorreat illam deformitatem? nam hoc & de unguibus videtur necessarium secuturum, ut redeat tam multum quod corporis cura defecuit. Et ubi erit decus, quod certe majus, quam in ista esse corruptione potuit, in illa jam immortalitate esse debet? Si autem non redibit, ergo peribit, Quomodo ergo, inquit, capillus capitis vestri non peribit?*

179. Sepulcrum patens.

קבר פתוח, *Sepulcrum patens, sive apertum.* In usu est de certo ac repentino exitio: itaque Abenezra exponit מיד מיד אסון מיד, h. e. subita, repentina. Psal. 5. 10. *Sepulcrum patens guttur eorum.* Jer. 5. 17. *pharetra ejus similis apertis sepulcri.* Quidam referunt ad odorem, qui deterrimus pestilentissimusque ex apertis monumentis efflatur.

180. Ad frustum panis.

טע ככד לחם, *Ad buccam panis.* Graecè dicas εως κλάσματα & ἀρτα. Exstat Prov. 6. 26. *Propter mulierem meretricem ad frustum panis: sub. homo devenit, h. e. ad summam inopiam, vel ad mendicitatem: q. d. eò redigetur, ut cogatur stipem petere & mendicare frustum panis.* Hoc modo Abenezra enarrat. Simile in Latino, *ad incitas: ubi lineas subaudiendum.*

181. Ventum parere.

Jes. 26. 18. כמו ילדנו רוח, *Ac si peperissemus ventum.* Quid *parere ventum?* Proverbiale est frustratae spei, ab uterum gestantium irrita partu, qui hinc nomine *venti* intelligitur, ut Graecè κήμα ἀνεμειστον, sive ἀνεμίδων, aut ὑπηνέμιον q. *vento conceptum*, è quo gigni nihil potest: partus subventaneus aut Zephyrius.

182. Dies palmi, sive palmares.

*Ecce palmares posuisti dies meos,* cum ait Vir sanctus Psal. 39. 6. proverbiali figurâ loquendi *palmares* dixit, ut brevissimos denotaret. In codice Ebraeo est, הנה טפוחות נתת ימי, *Ecce palmos posuisti dies meos.* Sic enim Ebraea sonant ad verbum, quae Graeci nimis quam eleganter exprimunt interpretantes, ἰδὲ παλαισῶς εἶς τὰς ἡμέρας μς. Dicitur autem παλαισῆ ἡμέρα, *palmus dies:* ut apud Athenæum vetus quidam Poëta dixit, δάκτυλῳ ἡμέρα, *digitus dies.* Utremur appositè cum indicabimus vitæ spatium perpusillum: nam palmus genuse est mensuræ parvæ quaternos digitos spatio complectentis. Qui palmus propriè minor dicitur: nam major est duodenum digitorum, sive palmorum trium, h. e. mensura dimidii cubiti. Quæ mensura locum dedit adagio σπιθαμὴ τῆς βίης, *dodrans vita:* quod in Ebraeam rectè convertas זרת החיי: nam dodrans in ea lingua זרת dicitur.

183. Proverbio esse.

*Proverbio esse, sive in parabolam, quod Ebraicè dicitur למשל, est differri sermonibus ira ut sis vulgi fabula.* Graeci reddunt, εἰς παραβολήν, Hesychius, εἰς παραβολήν, εἰς γέλωτα, h. e. *in risum, imò irrisum.* Psal. 69. 12. *fui eis proverbio.* Deut. 28. 37. *Eris in stupore, in parabo-*

*lam. & in dicitur.* Job. 17. 6. *statuit me ut sim parabola populorum.* Vetus interpres hic legit, *posuit me in proverbium vulgi.* Sic Job. 30. 9. idem habet, *factus sum eis in proverbium,* pro eo quod in Ebraeo לחם לחם in sermonem. Latine hoc dicas eleganter, *fui eis fabula.* Quale est, eris dicitur, nempe ex Ebraeo לשנינה. Huc etiam referendum & nunc canticum eorum fui, i. חננינה, ex Job. 30. 9.

184. Hortus clausus.

גן נעור, *Hortus obseratus.* Proverbium pudicitiae & castitatis ut R. Salomo annotat. Nam *hortus* appellatur natura muliebris. Adi Miscellanea mea si placent.

185. Porta clausa.

גל נעור, *Porta obserata.* Idem aliis verbis, גל in hoc significato Aramæum est: unde in Thalmud גלי שרקי, *claudite portam.* Consule Scholia Ebraica ad h. l. Quidam hic legunt, *fontes obseratus: alii scaturigo clausa.* Non damno.

186. Fons obsignatus.

מעין חתום, *Fons obsignatus.* Cant. 4. 12. *Hortus clausus, soror mea sponsa: porta clausa, fons obsignatus.* Vocabulum fontis usurpat, quemadmodum putei voce usus est Prov. 5. 15. in illo, *Bibe aquam è puteo tuo.* Vide quæ scripsimus ad proverbium, *Ne bibito ex alieno fonte, quod invenies* Claf. 1. lib. 4. adag. 51.

187. Lumbos succingere.

*Lumbos succingere* est se ad iter aut opus aliquod parare. Sumptum ex vetusto more. Cum enim prælongis vestibus uterentur, non poterant nisi succincti opus aut iter facere. Hinc illud Christi Præceptum, *sint lumbi vestri præcincti.* Proverb. 31. 17. הרגל בעז מתנייהו, *Succingit robore (aut validè) lumbos suos.* Apostolus Petrus eleganter ad animum transtulit; 1. Pet. 1. 13: *Διὸ ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας ὑμῶν, quapropter succincti lumbis mentis vestrae.*

188. Vultus flammeus.

פני להבים, *Vultus flammæ:* i. flammeus: Proverbii speciem habet de vultu rubore suffuso. Est autem rubor pudoris signum: unde Comicus, *faciam ut pudeat; nam in ruborem te totum dabo.* Vetus interpres, *facies combusta vultus eorum: expono, facies atræ, ut si flammâ ustæ forent.* Id quadrat cum illo, *omnes vultus contraxerunt ollam.* Exstat, Jes. 13. 8. *vultus flammæ vultus eorum.*

189. Calceum jacere.

Positum videtur pro, *immittere pedem, & in possessionem vendicare.* Psalm. 108. 10. על אדום אשליך, *Ad Edom projiciam calceamentum meum.* Hic עלי quidam ajunt esse *vinculum ferreum, quo pedes constringuntur, ut dicat, projiciam compedes meas:* sed præfero *calceamentum meum:* Estque παρομοιακόν de iis, quos in nostram potestatem redegimus. Calceus enim signum erat possessionis veteri jure Ebraeorum. Vide Deut. 25. 9. & Notas meas. Ruth. 4. 7.

190. Caput & Cauda.

Παρομοιακόν est & illud Jes. 9. 13. *Excindet Dominus ex Israele caput & caudam: cui Propheta mox interpretationem facit, senex & honoratus, is est caput: Propheta verò docens falsa est cauda.* In libris Ebraeo-

rum ראש זונב. Sumptum à bestiis quibus natura caudam largita est.

191. *Ramus & juncus.*

In eodem loco כפה ואגמון, *Ramus & juncum.* Grammaticis interpretatur, *fortem & infirmum.* Meo judicio proverbiale est pro, omnes: cui simile, *parvi properemus & ampli.* Sumptum à plantis.

192. *Tam anima quàm corpus.*

Hoc ab homine sumptum, cujus partes totum constituentes, ut loquuntur, sunt anima & corpus. Usurpatur παρομοιωδώς, Jef. 10. 18. מנפש ועד בשר יכלה, *ab anima usque ad carnem consumet:* loquitur de Assyrio. Omnino, inquit, totam gloriam exercitûs ipsius conficiet. Ubi notabis *carnem sumi pro corpore;* quomodo fumitur in illo, *erunt duo caro una,* & aliàs nonnunquam.

193. *Labrum velare.*

Labrum obvelabant lugentes: sed proverbialiter positum videtur Mich. 3. 7. pro, in luctu & mœrore esse, וְעָשָׂה עַל שַׁפּוֹם כְּלָם, & *regent labrum suum univ. si.* Sermo est de falsis Prophetis. *Obvelatio labrorum* ut luctum designet, non ita omnibus notum. Doceri potest ex libro Musar. In eo enim libro, cap. 9. scribit Author R. Jacob duas portas fuisse exstructas in templo à Salomone, quarum una vocabatur *porta sponsorum,* altera *porta lugentium.* *Inter has duas portas,* inquit, populus sedebat; & intranti per *portam sponsorum,* (הַחַתִּינִים est in Ebræo) dicebat, *Qui hanc ad eam inhabitat, reddat te letum prole Parentem: intranti verò per portam lugentium, si labrum obvelatum erat, dicebat, Qui habitat in hac aede consoletur te, & læticia afficiat: si nudam & apertam, ei dicebat, Qui habitat in aede hac, indat animo tuo, ut audiat verba socii tui, &c.* Hi peculiariter המְנוּדִים vocabantur, quibus labrum nudum erat; quâ solâ nota discernebantur à lugentibus, i. האבליים, qui labrum perpetuò velatum habebant.

194. *Ad gigantes.*

אל רפאים, *Ad gigantes.* Valer, ad mortuos, sive ut Plautino verbo utar, *ad plures,* πρὸς τὸς πλείονας vel potius ad locum ubi gigantes sunt, h. e. ad inferos, quemadmodum vetus editio habet. Sermo est planè proverbialis, qui reperitur Prov. 2. 18. ubi de meretrice, *Nam vergit ad mortem domus ejus, & ad gigantes orbita ejus.* Tale est, *ad generum Cereris.* Ad hunc sensum capies, Prov. 21. 16. בקהל רפאים ינוח, *in cœtu gigantum quiescet.* Vide Quæstiones meas.

195. *Arbor Vita.*

*Arbor vita.* vocatur ea res, quæ vitam conciliat, non hanc temporaneam, quæ mors est, non vita; sed illam æternam ac immortalem, Prov. 3. 18. *Sapientia est arbor vita tenentibus eam;* & alibi, *fructus justus est arbor vita.* Potest etiam intelligi *arbor vita* dicta sapientia, quia vitam præstat corpori, h. e. sanitatem & bonam valetudinem. Aliquando *arbor vita* est res suavis, jucunda, salutaris, Prov. 13. 12. *vita arbor est, cum adsumt optata:* & cap. 15. 4. *lingua sana est arbor vita.* Ebræicè עץ חיים: quod veterum editiones referunt, *lignum vita.* Proverbii origo ex historia commemora-

ta apud Mosen Gen. 2. de arbore vitæ: quæ sic appellata fortasse, quòd vitam præstaret edenti, i. bonam valetudinem. Hoc pono, non statuo.

196. *Faciem obfirmare.*

Est pudorem excurere: quod Plinius dixit *perfricare faciem,* & Quintilianus ex Calvo, *perfricare frontem.* Prov. 7. 13. הָעֵזָה פָּנֶיהָ, *Obfirmavit faciem suam.* De meretrice loquitur, cui gen e si propria impudent. Atque hinc Proverbium.

197. *Frons meretricia.*

מִצַּח אִשָּׁה זֹנוּהָ, *Frons mulieris meretricis:* pro impudente ac perfricta. Usus est Propheta Jeremias, c. 3. v. 4. *frons mulieris meretricis erat tibi, renuisti pudere.*

198. *Ex saphiro exsculptus.*

ספיר גזרתו, *Sapphirus excisio eorum.* Valer ut si dicas, ex Saphiro excisi aut exsculpti sunt. Usurpat Jeremias Thren. 4. 7. de Naziræis, proverbiali sermone innuens eos vehementer pulcros, & specie corporis decoros fuisse. Hujus contrarium, *ex quercu exsculptus,* quod eleganter ad animum refertur, & significat hominem stupidum.

199. *Nubes testium.*

Proverbiale, *Nubes testium:* i. multitudo, frequentia, densitas. Reperitur Hebr. 12. 1. Nubes proprio vocabulo עָבִים appellantur à densitate.

200. *Dare manum.*

Sermo est παρομοιωδώς, ut *dare herbam,* pro, victum se fateri, imperiumque agnoscere, ac supplicem fieri. Jer. 50. 15. *Dedit manum suam, ceciderunt, fundamenta ejus.* Thren. 5. 6. *Aegypto dedimus manum.* Vide Miscell. cent. 1. cap. 30. *Manus dare* usurpat etiam Tertullianus in lib. De Trinitate, cap. 11.

201. *Ponere tanquam sigillum.*

Est sigilli loco habere, h. e. charissimum. Hag. 2. 24. וְשַׁמְתִּיךָ כְּחוֹתֶם, *Et ponam te tanquam sigillum,* q. d. ut in anulum signatorium, ita in te ero animatus, nunquam mihi ex animo excides aut efflues, excubabo animo diligenter tuâ tuarumque rerum causâ, erisque mihi in summo honore & pretio. Hoc enim vult, ait R. David, se assiduâ curâ & providentiâ rebus ipsius prospicendum. Cant. 8. 6. *Pone me tanquam sigillum super cor tuum, sigillum super brachium tuum.* Sumptum ab annulis sigillatoriis, quorum singularem curam gerimus ne excidant, pereantque. Alibi est, *sigillum in manu dextera.* Consule.

202. *Recto pede incedere.*

*Recto pede incedere,* quod Græci dicunt ὀρθοποδεῖν, est ingenuum esse, & sincerè agere cum hominibus. Contra certè, qui simulatè agit, is non *recto pede incedere* dicitur. Hoc sensu usurpat Apostolus Gal. 2. 14. *cum vidissem eos non recto pede incedere, ut veritati Evangelica congruebat.*

203. *E manu canis.*

מִיַּד בֶּלֵב, *E manu canis,* vel *ex unguibus caninis.* Positum videtur Psal. 22. 21. pro, è magno discrimine: & est proverbiale, sicut dicimus, *ex ore leonis.* Aut, è *manu canis,* i. canum: Ita vocat adversarios suos per contemptum: vel ut impudentiam eorum notaret. Nam

canis vox est convitii, quæ impudentibus inimicis obijci solet. Vide quæ scripsimus in *Canis*.

204. *Os in Cælum ponunt.*

פתח כשמים שנתו, *Ponunt in Cælum os suum*. Quid est in Cælum ponere? an de rebus divinis fidentius & arrogantius loqui quàm par est? An potius in Deum Cœlitæve petulantem linguâ debacchari? Legitur Psal. 73. 9. *Ponunt in Cælum os suum, & lingua eorum inambulatur in terra*: q. d. Deo hominibusque obloquuntur, tam superis quàm inferis maledicunt. Nam Cælum pro Deo sumitur, ut in illo, *peccavi in Cælum*. Notum est, Atticus apud Hier. in dial. contra Pelagianos, *Itaque da exemplum, qui absque peccato fuerint in perpetuum: aut si dare non potes, confitere imbecillitatem tuam & noli ponere in Cælum os tuum, ut per esse, & esse posse, stultorum illudas auribus.*

205. *Cum Deo bellare.*

Θεομαχῆν, quod ab aliis in hunc numerum refertur, significat cum Deo pugnare, Deo resistere. Reperitur Act. 23. 9. *μη θεομαχώμεθα, ne cum Deo pugnemus*: & 5. 39. *μη πολεῖτε καὶ θεομάχοι ἐνγεθῆτε, ne cum Deo pugnare comperiamini*. Hinc sumptum Terrull. ad scapulam scribens cap. 4. *Non te terremus, qui nec timemus: sed velim ut omnes salvos facere possimus monendo, μη θεομαχῆν*. Licebit uti de conatu temerario, ut significemus eum in irritum & frustra futurum: nam frustra bellum geritur cum Deo. Dei enim decretum nullo humano consilio, nullis viribus impediri aut infringi potest, dicente Salomone, *Nec sapientiam, nec prudentiam, nec consilium esse contra Jehovam*, Prov. 21. 30. Tractum putatur à fabula gigantum, duos cum Deo belligerasse credidit aliena à veri Dei cognitione antiquitas. Cicero, *Quid est enim aliud gigantium more cum diis bellare, quàm natura repugnare.*

206. *Populus Gomorranius.*

עמורה, *Populus Gomorranius*, (ad verb. *Populus Gomorra*) vel, si mavis, *Gomorrhæus*. Nam utrumque reperio apud Autores. Dicitur proverbii formâ de populo planè improbo & profligantissimo. Nam tales describuntur à Mose cives Gomorrani. Usurpat Jesajas de populo Judaico & Jerosolymitano, *Jes. 1. 10. Ibidem est*,

207. *Principes Sodomitani.*

De proceribus Jædæorum, eò quòd moribus referrent Principes olim Sodomæ; h. e. quòd non minùs turpiter ac flagitiosè viverent. Nota historia de Sodom. Nam & more Sodomitani in proverbium abierunt deperditis ac profligatis. Verba Prophetæ sunt, *Audite verbum Domini Principes Sodomitani*. Quæ sic interpretatur Jonathan Uzielis F. *Audite verbum Domini Principes, quorum opera tam prava quàm Principum Sodomitarum*. Memoriam proditum Esajam olim terrâ dissectum fuisse à Judæis, quòd *Principes Sodomitanos, & populum Gomorrhæum eos appellasset*; cujus rei meminit D. Hieronymus in Comment. ad h. l. Proinde dicunt, *Ne aperiat homo suum os Satanae*, significantes non esse maledicendum Principibus. Nam eum *Satana os aperire*, sibi que exitium & perniciem creare, qui hoc faciat. קציני סדום ad verbum *Principes Sodoma, vel Sodomi*; nempe à recto *Sodomus*, Sicut

dicimus *Gomorrus*. Solinus cap. 28. *Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrurum*. In Ver. Latina, *principes Sodomorum*. Sic, *poma Sodomorum*.

208. *Ad satietatem usque.*

ἕως κόρης, *Ad satietatem usque*. Græcum adagium est notatum ab Erasmo, quod Ebraicè dices לשבע לשבעה.

209. *Mare & aridam circumire.*

Proverbialis hyperbole est Matth. 23. 15. περιάγει τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηρὰν ποιῆσαι ἓνα προσήλυτον, *circumitis mare & aridam ut faciatis unum profelytum*. Quæ sic in Ebræum sermonem converti possunt, תסובבו את הים ואת היבשה לעשות גר אחד.

210. *Deo, coram Domino.*

לאלהים, *Deo*. Adhibetur in proverbii forma ad auxesin, ut Jonæ 3. 3. *Civitas magna Deo*. Sensus est, longè maxima. Sic Act. 7. 20. καὶ ἦν ὡσεὶ τῷ Θεῷ, *erat venustus, sive formosus Deo*. Vult dicere, in pefè venustus supra modum formosus. Eundem usum habet יהוה לפני coram Jehovah, vel Domino. Gen. 10. 9. *robustus coram Domino*. Luc. 1. 6. δίκαιοι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, *justi coram Deo*. Vide tractatus meos. Huc refer ברוך ליהוה, *Benedictus Domino*: & similes locutiones.

211. *E cornibus unicornium.*

מקרני רמים, *E cornibus unicornium*: elegans proverbiale. Simile, *ex ore leonis*: utrumque legitur Psal. 22. 22. *Serva me ex ore leonis, è cornibus unicornium exaudisti me*. Vult dicere, cum versarer quasi inter cornua unicornium, h. e. in maximo discrimine. Quidam hîc legunt, *exaudi me*, ut petat se liberari è præsentis periculo, in quo tunc versabatur. Pro *unicornium*, ut hoc obiter notem, in Psalterio Romano reperi *unicorniorum*: & in Ebræo רמים formâ contractionis, pro ראמים; cujus singularis ראם, *fera unico cornu armata* quàm Græci μονοκέραλον vocant. Hoc cornu acutum esse fertur & altissimum, unde nomen. Non ergò Rhinoceros qui ראם dicitur. Nam Rhinocerotis cornu, quod in nare unicum habet (unde *rhinoceros unicornis* apud Tertul.) minùs altum est. Taceo de altero cornu, quod supernè prominere, ut notatum à Pausania, & ab iis qui eam feram Romæ viderunt. Vide Pierii hieroglyphica lib. 2. in extremo.

212. *Ad nervum.*

Psal. 31. 24. *Rependit ad nervum agentes superbè*. על יתר. R. Salomo explicat, *ad nervum*, h. e. aprâ mensurâ. q. d. *rependit eis mercedem ipsorum factis dignam*. Sumptum à nervo arcûs ad quem sagittæ adaptantur. Aliter idem explicat, *ad nervum*, pro exactè, accuratè: sicut dicimus, *ad amissum, ad normam, ad perpendicularum*. Ejus verba sunt, ככל כנגד הכל מודר, *funiculus pro funiculo, mensura pro mensura*. Vult dicere, par pari- יתר *amissis regula*. Pro nervo arcûs reperitur Psal. 11. 2. Non me latet quosdam aliter locum superiorem enarrare. Sed ut alias interpretationes non damno, ita hominis Ebræi sententiam, quam posui, aspernendam non puto.

213. *Oculo ad oculum.*

Jes. 52. 8. וְאֵין בְּעֵין יוֹאֵר, *Oculo ad oculum videbunt.* Valer clare & perspicue videbunt. Genus sermonis non abhorrens à natura proverbiorum; qualia sunt, ore ad os, facie ad faciem; quæ antea recensuimus. A quibus diverso in sensu, quasi per speculum in anigmate, & apud Comicum, quasi per nebulam.

214. *Linguam dividere.*

לְשׁוֹנָם פִּלְגַּל לְשׁוֹנָם, *Divide linguam (i. sermonem) eorum* figurâ proverbiali dictum Psal. 55. 10. pro frange conatus eorum, effice ne possint improba & nefaria consilia ad exitum perducere. Ita dico, objice impedimenta ne longius iniquè cogitatis ac malefactis procedant. Locutio sumpta mutuò ab historia ædificantium turrim Babylonis: quorum consilia Deus impedivit immissâ linguarum divisione, cum alter alterum non intelligeret.

215. *A fundamento.*

Ἐκ θεμελίων, Sicut dicimus, ἐκ πίλων, *ab radice.* Proverbiale ab ædificiis quæ solo æquantur & funditus evertuntur, Psal. 137. 6. *Nudate, nudate, donec fundamentum in ea.* Sic Græci, ἕως τῶν θεμελίων αὐτῆς. Quod ita demum proverbium erit, si longiusculè transferatur, velut si dicas aliquem periisse à fundamento, vel, *ad fundamentum usque.*

216. *Cervix ferrea.*

De populo Israelitico dixit Esajas 48. 4. גִּיד בְּרוּזִי נֶרְפֶּד, *nervus ferreus cervix tua,* Moïsem imitatus, qui ut significaret populum intractabilem esse, prius eum appellaverat *populum dura cervicis.* Enimverò *cervix ferrea & dura cervix* se invicem explicant. Quod perspicue ostendit interp. Chald. Jonathan, cum interpretaretur, *dura ut ferrum cervix tua.*

217. *Frons ærea.*

In eodem loco וּמִצְחָךְ נְחוּשֵׁר, & *frons tua ærea.* Quibus verbis designat animi obstinationem in malis. Quid dico? potius impudentiam designat. Certè homines perfrictæ frontis, Græci σιδηρῆς vocant: ex quo illud ἀναισθητὴς ἢ ἄν σιδηρῆς τὸν ἀνήρ, *impudens cum esset ferreusque vir.* Quorum imitatione Catullus quoque dixit *ferreum os* pro inverecundo. In Chaldaicis est, *frons tua dura ut as.*

218. *Es spinis auferre.*

Non minùs proverbiale est quàm illud, è flamma ra-

pere: à quo in sententia non multùm divertit. Legitur Job. 5. 5. *cujus messem famelicus comedit, & è spinis recipiet eam;* (vel, quàm è spinis receperit: ) i. summis molestiis, maximisque difficultatibus. Coeterùm in Jobo est מַצְנִיִּים אֵל מַצְנִיִּים pleonasmò particularum pro מַצְנִיִּים è spinis: nisi magis ut sit transpositio. Nam dicimus מַצְנִיִּים מֵאֵל צְנִיִּים pro eodem.

219. *Amanè ad Vesperam.*

מִבֶּקֶר לְעֶרֶב *Amanè ad vesperam usque.* Proverbialiter dictum pro, totos dies, Job. 4. 20. *Amanè ad vesperum usque contunduntur.*

220. *Die ac nocte.*

Ab eo non valde discrepat וְיוֹמָם וְלַיְלָא, *Interdum ac noctu:* valet enim perinde ac si dicas, semper assidue, sine intermissione: & est proverbiale, ut *dies noctesque* apud authores profanos. Sic legimus

*Nocturnâ versate manu, versate diurnâ.*

Exstat Psal. 1. 3. & 55. 11.

221. *Sedere & surgere.*

Figurâ proverbiali designat omnes vitæ actiones, Psal. 139. 2. *Tu nosti sessionem meam, & surrectionem meam,* וְקוֹמוֹ שִׁבְתִּי וְקוֹמוֹ Simillimum est, *Exire & introire.* Vide quæ scripsimus ad illud proverbiale.

222. *Ire, cubare.*

Fallor, aut eadem sententia est in eo quod sequitur: אֶרְחִי וּרְבִיעֵי זְרִית, *Iter meum & accubationem meam odoratus es:* nisi potius sit vertere אֶרְחִי *iter meum, incessum meum.* Nam potest esse nomen ex infinito. Prov. 6. 27. *cuntem te deducet, cubantem custodiet.* Ebraicè est בַּחֲתָלְכֶתֶדָּךְ *cum iter facies,* aut, *in incessu tuo:* בְּשִׁכְבְּךָ *cum cubabis, aut in accubatione tua.*

223. *Ex toto corde.*

בְּכָל לֵב, *Toto corde, vel, ex toto corde,* ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, Valer integrè, sincerè, bonâ fide, ex animo: nempe id quod Græci dicunt παντὶ θυμῷ, & magistri Latinitatis, *toto pectore.*

224. *Ex tota anima.*

Eandem planè vim habet בְּכָל נַפְשׁוֹ *ex tota anima,* ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς. Quod aliter dicunt ἐξ ὅλης τῆς διανοίας, *ex tota mente.* Nec longè hinc abit בְּכָל מְאוּרָךְ, *ex omnibus viribus tuis,* ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος. Legitur Deut. 6. 5. Matth. 22. 37. Marc. 12. 30. Vide Notas meas in Parallela sacra.



JOH. DRUSII

# PROVERBIORUM

## CLASSIS SECUNDÆ:

LIBER IV.

1. *Spina aut sentes.*

סלנים, *Spina*. Sic vocat Ezechiel homines ob nequitiam molestos, & accedentibus obnoxios. Nam spina lædunt eos qui ipsas tractant. Simile notamus Quæst. I. 1. q. 2. ex Plauto, qui coquos *sentes* dixit, designans rapacitatem eorum, *Quia quod retigere, illicò rapiunt; si eas ereptum, scindunt.* Locus Ezechielis est c. 2. v. 6.

2. *Scorpionès.*

עקריים, *Scorpionès*, vel *scorpii*: de iis qui sunt corde indomabili. Hoc modo enarrat Hieronymus Ezech. 2. 6. Ego simpliciter homines perniciosos significari putato, ut alibi *serpentis* & *viperæ* vocabulo. Apulejus, *Non si quendam barbarum nostræ Civitatis decurionem, quem scorpionem præ morum acritudine vulgus appellat.* Exstat Terulliani liber hoc titulo, *Scorpiacón adversus Gnosticos*: id ajunt significare remedium vel potionem contra scorpiones: & hoc nomine Gnosticos denotari, eo quòd *scorpii in morem* (ut or verbis depromptis ex eo libro) *arcuato vulnere in Ecclesia corpus venena diffunderent.* De natura scorpii videndus ibi Terullianus in principio. Interim admonemus vocem עקריים Ebræos eo loci accipere *pro spinis*, non *pro serpentibus*. Nam disertè ad eum locum R. David, *scorpionès sunt spina mala, in illo, Castigabo vos scorpionibus*: cui expositioni favet dictio præcedens סלנים *sentes* designans.

3. *Myrica.*

ערער, *Myrica*, vel *tamarix*. Græcè *ἡ μυρική*. In proverbio est de homine abjecto & humili, quive nullo in pretio habeatur. Est enim myrica genus humilis virgulti: ex quo Virgilius, *humilisque myrica*. Psal. 102. 18. *Respexit ad orationem myrica*: h. e. interprete Pagnino *eorum qui sunt velut myrica*. Nec malè Græci ad sensum, ἐπίβλεψεν ἐπὶ τὴν προσευχὴν τῶν ταπεινῶν, *respexit ad orationem humilium*. R. David ad h. l. *Vocatur Israel Myrica* eo quòd *in exilio similis esset myrica deserti*: & mox *myrica est arbor crescens in deserto*. Nam lego ערער *qua crescit*, non autem ערער *arbor magna*. Eadem verba obvia sunt in libro Radicum. In libro nom. Ebr. *Aroer, myrica*. Sic etiam Glossæ veteres.

4. *Agnus.*

*Pasce agnos meos.* Ita suos appellat Christus διὰ τὸ ἡμεῶν, i. *propter mansuetudinem*. Nam hoc animal est

egregiè mansuetum. Sed & purum ac simplex. Festus Pompejus, *Agnus dicitur à Græco ἀγνός, quod significat Castum, eo quòd sit hostia pura & immolationi apta.* Cyprianus de livore, *Christus plebem suam Agnos vocat, ut agnorum naturam simplicem simplicitas mentis imitetur*: Vide in *Ovis*.

5. *Fermenti expers.*

ἄζυμος, i. e. *Fermenti expertes*, vocantur ab Apostolo Corinthii, 1. Cor. 5. 7. quòd veterem corruptionem deposuissent, Spiritu innovati. Metaphora à panibus non fermentatis, quos Græci ἀζύμους nuncupant. Constat autem fermentum ex acore & corruptione massæ fieri: ac proinde malitiam designare, ut dictum est in Proverbio, *Paulo fermenti tota massa fermentatur*: Sed & falsitatem designat. Hinc intelliges quid sit *fermentum Phariseorum*. Sic enim Christus appellat, cum falsas eorum glossas, tum corruptelam vitæ ac morum. Huc refer quod 1. Cor. 5. 8. *Itaque festum agitemus, non fermento veteri, nec fermento malitiæ & nequitia: sed non fermentatis panibus sinceritatis & veritatis.*

6. *Marculus.*

מפוי, *Marculus*, vel (*cestra*: is malleus erat ferreus quo cataphracti equites utebantur. Sic Jer. 51. 20. *Tu mihi cestra fuisti.*) Vox Ebræa appellationem habet à *dispergendo minuendove*. Nam mallei proprium est ita comminuere ut partes rei comminutæ hinc inde dispergantur. Jactabatur olim in calumniatorem & falsum testem. Meminit Salomo Prov. 25. 18. & explicat de eo, qui falsum testatur adversus aliquem. Verba sunt, *Marculus & gladius, & sagitta acuta est is, qui dicit contra proximum suum testimonium falsum.* A marculo sive martulo (quidam censent rectius scribi *marculus*, quod à *Marte* derivant) est martellus, formâ diminutionis: unde Carolus Martellus appellatus, teste Barlando, quòd robusta esset & ferrea natura, quam in subigendis hostibus egregiè ostendit.

7. *Marculus Dei.*

Interdum *Marculus* vocatur is, cujus operâ ad aliquem domandum pulsandumve utimur. Ergò Deus quia per Babylonem multarum gentium imperia subverterat, idè ipsam sic alloquitur ad Prophetam Jeremiam 51. 20. *Tu mihi Marculus fuisti, instrumenta belli, ut per te gentes dissiparem, per te Regna disperderem.* Ex hoc loco *Marculus Dei* appellari

lari poterit quilibet tyrannus, quemadmodum Tamerlanes avorum memoriâ se appellabat *iram Dei*, magno fortunæ ludibrio plurimarum gentium imperio potitus: adeo ut ut *terror gentium* diceretur à nonnullis, & *orbis vastitas* atque *calamitas*.

8. *Orbis malleus.*

מטש כל הארץ, *Malleus totius terræ*: & Græci σφύρα πάσης τῆς γῆς. Usurpatur Jer. 50. 23. de Babylone. Mallei proprium est ferrum in incude tundere, aut lapides cædere. Rectè igitur Babylon appellatur *malleus totius mundi*: nam imperiò suo premebat orbem terrarum, Deo per eam gentes populòsque cædente ac contundente. Hier. epist. ad Lætam, *si sollicita es ne filia percutiatur à vipera, cur non eadem curâ provideas ne feriatur à malleo univèrsa terræ, ne bibat de aureo calice Babylonis?* Intelligit, nisi fallor, diabolum, qui est malleus Dei tundendis ac ferendis reprobis.

9. *Macula, labes.*

Σπίλοι, καὶ μῶμοι, *Macula ac labes*, de hominibus vitiosis, qui se gerebant pro Ecclesiæ membris, cujus erant maculæ ac labes, quippe in agapis Christianorum, h. e. inter charitatis ac fraternitatis convivia, crapulæ luxuque turpiter indulgentes. Legitur in epistola Petri altera, c. 2. v. 13. Pro eo Judas Apostolus dixit, ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλιάδες, *in agapis vestris macula*. σπιλιάδες, *macula*, i. σπίλοι. Sic ver. Interpres. In lexico Hesychii σπιλιάδες, μεμιασμένους, i. *polluti, maculati, coinquinati*. In eodem Lexico Σπιλιάδες, πετράε: & Σπιλιάδες, αἱ περιεχομένηαι τῆ θαλάσσης πέτραι, i. *scopuli qui in mare prominent, ad quas impingentes naves sæpe naufragium faciunt*.

10. *Spermologos.*

Σπερμολόγος & avicula est ejus nominis, sic appellatur à legendis sive colligendis seminibus, quasi *seminilegam* dicas. In Theophylactis, σπερμολόγον πλὴνὸν εἶναι φασὶν ἐπιλέξασθαι, τὰ ἐν τοῖς τριώδοις καλεσθεῖσιν ἀσπιδία τῶν σπερμάτων ἐιωθὺς συλλέγειν, *Spermologum aviculam ajunt esse vilissimam, semina in rivis dispersa colligens solitam*. Ceterum in Proverbii usu est de garrulo ac futili nihilique homine, qui quam ex trivio vel ex auditionibus nescio quibus adeptus est scientiam, passim deblaterat. In eodem Theophylacto, ἐπειδὴ ἂν ὀρεῖν ἐστὶν ὁ σπερμολόγος βραχὺ, καὶ ἄτε πρὸς βρώσιν, ἄτε πρὸς τέρψιν ἐπιήδειον, τὰς ἐπιλείς σπερμολόγος ἐκάλειν, *Quoniam igitur Spermologus avicula est parva, neque ad cibum, neque ad delectationem idonea, propterea viles ac nihili homines hoc nomine afficiebant*. Consimilia leguntur in collectaneis Oecumenii, quæ brevitatis causâ omitto. Act. 17. 18. *Quid vult Spermologus iste dicere?* Obiter noto variare hic codices edir. Latinæ: nam quod in aliis *seminiverbis*; in aliis est, *Seminator verborum*. Neutrum fatis bene: nam esset λογοςπόρος hoc sensu. Vide Theodorum. Arator, citante Cameraario, qui hunc librum in Latinos versus transtulit, nihilo melius.

quibus, inquit, ab oris.

*Verborum fuit iste sator? Plebs nescia Paulum, Semina ferre vocat, fruiturque errore magistro Vera loquens,*

11. *Cerva amabilis.*

אילת אהבי, *Cerva amorum*, i. *amabilis vel amantissima*. Usus habet inter amatoria, cujus generis est, *caprea gratiosa*. Siquidem amata Uxor, *cerva* & *caprea* vocabatur, vel quod hæc animantia Regibus olim in deliciis essent, vel quod amor cervi erga cervam, item capreae maris erga fæminam singularis memoretur. Notatum quoque animalia felle carere. Olim apud eas gentes quæ falsos Deos colebant, qui Junoni nuptiali seu pronubæ sacrificabant, ii fel non cum reliqua conficiebant victima, sed exemptum abjiciebant apud altare: quo instituto legis author oblcure innuebat à conjugio semper debere bilem iramque abesse, cujus rei testis est Plurarchus. Et certè matris familiâs esse oportet austeritatem, ut & vini utilem, suavitateque conditam, non fellis in morem acerbam. Quod ergo illo ritu profanæ gentes, idem significabat olim populus Dei per appellationes *cerva* & *caprea*: nam cum felle nihil amarius sit, bilis quoque locus & sedes ponatur in felle, felle autem careant hæc animantia, haud obscure significabant, cum uxores *cervas* & *capreas* nuncuparent, eos ab ira omnique adeo amaritudine puras immunè que esse debere. Ad hæc celebrata in divinis literis cervorum caprearumque velocitas; usque adeo ut in Proverbii consuetudinem venerint *Pedes cervini*, de velocibus, & *Caprea velocior* dicatur quicumque cursu valet. Admonet hæc conditio conjuges ad mutua officia præstanda celeres ac promptas semper esse debere: nam ea res fovet & alit maximè. mutuam charitatem. Dixi capreas felle carere, ut etiam cervas: nam ubi apud Plinium lib. 11. cap. 37. *cervi, caprea*, legendum *caprea*. Siquidem capras fel habere testatur ipse Plinius lib. 27. cap. 10. ex notis Dolecampii.

12. *Caprea gratiosa.*

ין תלמי, *Caprea gratia*, i. *gratiosa*. Jam explicatum est. Prov. 5. 19. *Cerva amabilis, capreaque gratiosa, ubera ejus inebrient te omni tempore*. In his verbis pleonasmus Ebraica esse putatur. Nam Latinè diceretur, *Cerva amabilis, capreaque gratiosa, ubera inebrient te omni tempore*. Quidam hunc versum cum superiore connectunt hoc modo, *Latere de uxore juvenutis tua, cervam amabili, capreaque gratiosa: ubera ejus, &c.* Alii subaudiunt verbum substantivum: nam legunt, *sit cervam amicissima, & rupicapra gratiosa: ubera ejus inebrient te omni tempore*. Mihi hoc postremum non displicet, ut reperatur *ין* sit, *אִתּוֹ כוֹיִם*, ex præcedentibus videlicet.

13. *Hædi.*

*Hædos* divinæ literæ appellant injustos & reprobos. Causam ponunt interpretes, quia hædos est animal peculcum & olidum. Sic enim legimus in Glossa ordinaria; *Hædos est animal peculcum & olidum, qui pro peccato offerebatur in Lege, & significat peccatores*: & apud Nicolaum, per *Hædos intelliguntur improbi propter eorum nequitiam, Hædos enim quando crescit est animal fætidum & luxuriosum*: unde & in lege Hircus offerebatur pro peccato principis, ut habetur Levit. 4. Theophylactus verò in eo Commentario quem super Acta reliquit, τὰ ἐπιφια, inquit, ἐπὶ τὰς ἀνομιωνήτας καὶ ἀμειλότους, *Quorum verborum hic sensus est, Hædi per*

per tropum vocantur homines avari ac tenaces, qui nihil communicant, nec largiuntur ex suo. Idem in Comment. in Evangelium Matthæi, ἐπιφύσ δὲ καλοῖ τῆς ἀμαρτωλῆς καὶ ἀνημῶν γὰρ βαδίζουσι, καὶ ἀτακτοὶ ἐστίν, ὡς ὁ ἐπιφύσ. *Hædos vocat peccatores, quoniam vadunt per loca præcipitia: nec ordinem ullum servant, & intructuosi sunt ut hædi. Exstat hoc sensu Matth. 25. 32. Aliter sumit Theodoretus Jes. 11. 6. ad locum, Pardus cum hædo. Nam sic ibi scribit, Hædo similes sunt, quibus ingenium simplex, & omnis malitiæ expers.*

14. Ovis.

Ovis animal est insigniter mansuetum, & omnis doli expers. Proinde oves vocantur qui tales sunt. Hoc vocabulo Christus plebem suam ubique appellat, non solum quia ipse pastor earum dicitur; sed quia naturam ovium referunt. Loquor de vera plebe Christiana; nam, hypocritæ, qui cum vestimentis ovium incedunt, & pro ovibus se gerunt, oves revera non sunt. Non enim mites ac sinceri, ut oves. Quin sub ovina pelle lupum tegunt. Itaque lupi veriùs quàm oves. Ergo oves cum dicimus, significamus homines mites ac placidos, fraudisque expertes, h. e. verè justos, verè Christianos. Theodoretus Cyri Episcopus in Comment. nondum edito Jes. 11. *Per mansuetas, aggressesque animantes, humanorum morum differentiam docuit. Nam lupo quidem rapaces comparat, ovi verò mansuetos ac mites.* Theophylactus Matth. 25. 32. scribit ovium appellatione significari sanctos propter mansuetudinem: & quia inquit, fructuosi utilisque sunt ut oves, quæ lanam ac lac suppeditant. Cyprianus de Livore, meminisse debemus quo vocabulo Christus plebem suam appelles, quo titulo gregem suum nuncupet. Oves nuncupat, ut innocentia Christiana ovibus aquetur. Agnos vocat, ut agnorum naturam simplicem simplicitas mentis imitetur. Hesychius quoque Theologus ovem in divinis libris esse ait hominem admodum simplicem, qui nemini noceat & à perperam factis absteineat. Addam pro collario, quod à Pierio relatum, etiam in factis Ægyptiorum literis per ovem hujusmodi hominem significatum fuisse, nimirum simplicem, mansuetum, imbellem, purum, immaculatum.

15. Alites.

Appellatio proverbialis est Jes. 46. 11. in voce ויף quâ exercitus Cyri significatur, à festinati itineris velocitate. ויף enim alites. Aut singulariter alitem, i. Cyrum, qui tanquam ales advolabit, & ocysimè veniet. Aut positum ויף pro כעץ, ut alitem. Voco, inquit, Cyrum Regem, virum consilio meo destinatum, qui veniat tanquam ales, h. e. velocissimè. Sic Psalm. 11. 1. Fuge in montem vestrum avis: plenum est, tanquam avis. Hier. in Marcum cap. 4. *Cum velocem desideramus intelligi, ventis aut avibus comparamus.*

16. Raca.

רָקָא, Raca. Convicium vulgare in eum, qui cerebro, i. mente ac intelligentiâ, vacat Matth. 5. 22. *Qui dixerit fratri suo Raca: aliàs racha: sed raca scribendum ex libris Græcis, ρακᾶ.* Editio Syriaca id ipsum confirmat. Adi Comment. nostrum ad voces Ebraicas N. T. cap. 3. Hier. in Matthæi hunc locum, Raca dicitur κενός, i. inanis aut vacuus, quem nos possumus vulga-

tâ injuriâ absque cerebro nuncupare. Idem adv. Pelagianos lib. 2. *Raca interpretatur vanus & absque cerebro.* Putaret hic aliquis legendum, vacuus & absque cerebro: mihi non displicet vanus, i. κενός. In lib. nom. Ebraic. Raca vanus. Meminit hujus de doctrina Christiana lib. 2. cap. 18. S. Augustinus ita scribens, *sunt quedam verba certarum linguarum, que in usum alterius lingue per interpretationem transire non possunt. Et hoc maximè interjectionibus accidit, quæ verba potius motum animi significant quàm sententiæ concepta ullam particulam. Nam & hæc duo talia esse perhibentur. Dicunt enim Raca indignantis esse vocem, ofanna letantis. (Raca vox hominis indignantis, & nihil significans: hoc displicet; illud non item.) Thalmudici scribunt רָקָא Raca, quæ forma nominis Chaldaica, Ebræi dicerent קָרָא à quo plurale קָרָא לְקָרָא lectum Proverb. 12. 11. & 28. 19. Sed alio significato, videlicet pro hominibus, segne otium tempusque conterentibus, quos otiosos interpretantur.*

17. Mōmōi.

Mōmōs Adag 9. in hoc libro reddidimus labes. Ostendimus quoque in epist. 2. Petri proverbialiter accipi, ut significet homines luxui deditos turpemque vitam ducentes, qui in agapis Christianorum erant ut labesive maculæ in vestimento. Nam sicut macula vestem dehonestat, sic illi dehonestabant pios illos Cœtus. Porro macula in lingua Ebræa vocatur מַטְמָה. Crediderim ergo Græcum μῶμῶς inde originem habere, ab eoque ἀμωμων dictum, qui sine macula. Interdum μῶμῶς est ὀνειδῶς, ut verti posset μῶμοι probra, dedecora; sicut Homerus dixit Εὐπέπωνες, καὶ ἐλέγχουσα. Sed prius magis placet. Quidam exponunt μῶμοι, reprehensores, sarriones, nam Momus etiam dicitur, qui omnia carpit ac reprehendit. Non discedo à priori sententiâ. Hæc postrema omnium maximè displicet.

18. Ventosus.

Venti metaphorâ usitatâ passim pro re nihili, vana, inani, instabili. Inde est Latinum epitheton ventosus: quod interpretes exprimunt Hof. 9. 7. וְשֵׁר רוּחַ Vir ventosus. Et Job. 16. 3. כְּבָרִי רוּחַ, verba ventosa. Rursus Job. 15. 2. דַּעַת רוּחַ Scientia ventosa. וְשֵׁר רוּחַ aliter exponas. Vir spiritus; i. Propheta. Fortasse melius.

19. Duces cæci.

Ὁδηγοὶ τυφλοὶ, duces cæci. Sic nuncupantur, qui aliis præeunt in via veritatis quam ipsimet ignorant. Itaque de Pharisæis dicitur Matth. 23. 16. *Va vobis, duces cæci: & 24. duces cæci, qui percolatis culicem, camelum autem deglutitis.* Et de gentibus veri noticiam nondum assecutis, Tertullianus lib. de resurrectione Carnis, *Quid cæco duci inniteris, si vides? q. d. Quid resurrectionem negas iis argumentis, quibus utuntur non Christiani, cum sis Christianus? ut enim cacos dicimus, qui rerum ad salutem pertinentium ignorantiam detinentur, ita contra videre intelligimus eos, quibus lux Evangelii aliqua affulsit. Aliquando cæcus accipitur pro improvido. Quod significat Salomo cum ait, stultum in tenebris ambulare? nam sensus est, ac si diceret eum cæcum esse. Cæco enim semper tenebræ sunt. Hoc sensu cacos consules dixit Varro de vita Pop. Rom. lib. 3. i. improvidos, ait Nonius.*

## 20. Cor liquefactum.

לב נמס, *Cor liquefactum*, pro pavido ac metu percusso. Jos. 7. 5. *Liquefactum* (aut *dissolutum*) est cor populi, & fuit in aquam. Gotionides lib. 4. cap. 20. *Cor tuum quale cor leonis, quod non liquefit* (aliàs *dissolvitur*) neque terretur.

## 21. Lupus solitudinum.

זאב ערבות, *Lupus solitudinum*, sive *desertorum*: hoc est, solitudines ac deserta incolens. Hi lupi, ut plurimum sævi esse solent, ac crudeles famelicique, eò quod in locis vastis ac desertis degant. Jer. 5. 6. *Lupus solitudinum vastabit eos*. Hic Græci referunt, λύκος ἕως τῶν ὀνύχων, ut credam eos legisse בית עד divisiim, & Daleth pro Resch, i. usque ad domum, vel usque ad domos. Sed codices Ebræi omnes nullo excepto ערבות legunt, i. solitudines; cujus singulare ערבה *desertum, solitudo*. Nisi verior interpretatio, *lupus vesperarum*, ut sit plurale à ערב vocabulo *vesperam* denotante. Hoc modo enarrat R. David. Ante ipsum Hieronymus quoque verterat, *lupus ad vesperam vastavit eos*: & Jonathan Uzielis filius, *Occident eos populi qui fortes sunt, ut lupi vesperini*: i. דת קיפין כדיבי רמשא. De lupis vesperinis dictum fuit alio loco.

## 22. Cor durum.

*Cor durum* habere dicuntur homines intractabiles, duri & indociles. Συληροκαρδεις, vocant: unde συληροκαρδία, quam Tertullianus *duricordium* dixit, novo vocabulo & miro. Ebraicè קשי לב, *homines duro corde*. Ezech. 3. 7. *Frater hujus, cor lapideum*. Utroque significato animi in malis obstinatio pertinaciæque.

## 23. Adamantinus.

Ab adamantinis indomita natura factum est *adamantinus*, quod significat duriciem inenarrabilem. Nam adamas duritiã nulli rei cedit: unde etiam nomen Græcâ appellatione accepit. Nam dicitur *adamas*, q. *indomitã* vi præditus, pollensque. Ergò *cor adamantinum* antea exposuimus cor indomitum ac penitus intractabile. Similiter *vincula adamantina*, quæ solvi nullo modo possunt. Sic *murus adamantinus*, murus inexpugnabilis, & *frons adamantina*, frons longè durissima, nec ullo pudore separabilis. Quorum prius illud invenies apud Theodoretum Jer. 5. *Posui ei terminos non murum adamantinum, sed arenam levissimam*. Alterum exstat Ezech. 3. 9. *Sicut adamantem fortio rem petra reddidit frontem tuam*. Cæterum Codex Ebræus habet שמיר: in qua voce non consentiunt interpretes. *Adamantem* referunt post Hieronymum Santes & Arias. Recentiores è Germania *lapidem perdiurnum*. Nam שמיר *servare*. Sed quis iste lapis perdiurnus? nam ab etymo argumentum fallax, nisi cum re consentiat. Adhæc lapides hujusmodi, qui videlicet diu servantur, & perdurent, plures esse possunt. Jam verò quid est, *Lapidi diurno similem reddo frontem tuam*? An significat frontem diu duraturam? nam ea mens Prophetæ. Erat ergò certus lapis reddendus. Ebræi ajunt fuisse animalculi genus, quod *Samir* dicebatur. Id in hunc modum describit R. Moses Maimonis F. שמיר הוא שרץ קטון חוצב האבנים הגדלות בעברו עליהם, *Samir est reptile parvum, quod lapides secat*,

*dum per eos transit*. Quin fabula est apud eos, quæ refert Salomonem hoc vermiculo dissecuisse ingentes lapides illos, quibus ad Templi structuram urebatur. Sanè quidem cap. 6. lib. 1. Regum legimus nullum ferreum instrumentum additum esse, cum Templum exstrueretur. Meminit hujus Nicolaus per hæc verba, *Ut adamantem, & silicem dedi faciem tuam*. In Ebræo habetur, *ut vermem fortiorem rupe dedi faciem tuam, & per vermem secundum eos intelligitur hic sanguis cujusdam vermis, quo sine sonitu incidebantur lapides in adificio templi Salomonis, sicut dictum est ibidem*. Hactenus Lyra. Dixi Hieronymum *Samir adamantem* referre. Verba ejus hac de re sunt in Comment. Zach. 7. quæ produximus in proverbio *Cor adamantinum*: non repeto. Hoc significato capiendum putâtim apud Josephum Gotionis F. lib. 2. cap. 11. Ubi narrat Alexandrum accepisse dono à Candace coronam ex *Samir*, ponderantem duo talenta auri. Verba Ebraica עשרת זהב i. ex adamantibus.

## 24. Cornua unicornium.

קרני ראמי, *Cornua unicornium*. Hoc quasi proverbio significant maximum & invictum robur. Deut. 33. 17. *cornua unicornium cornua ejus*. Hic ראמי lectum in Ebræo pro ראמיים. Nam monoceros unicum tantum cornu habet: à cujus altitudine vocatur ראמי, videlicet ראמיים רום *altum esse*. Est enim cornu longissimum, fronte mediâ eminentem cubitorum duum, ut Plinius scribit Hist. nat. lib. 8. cap. 21. Proinde Num. 23. 22. ubi alii referunt *vires monocerotis*, non spreverim, *altitudines monocerotis*, ut de cornu intelligatur. Sic Psal. 92. 11. *atrollis tanquam monocerotes cornu meum*. Græcè ὡς μονοκέρωτος. Albertus Magnus in historia monocerotis asserit cornu ejus splendore pulcrum, quatuor pedes longum, & acutum esse. Petrus Bellonius Observat. lib. 1. cap. 13. scribit cornu quod est apud S. Dionysium in altitudine habere pedes septem: ponderare libras tredecim & uncias quatuor, figurâ cereali. Idem autor ait frustum cornu hujus venire trecentis ducatis: nam resistere, inquit, putatur venenis, quod veteres planè latuit.

## 25. Ventres.

Dictum proverbiale in homines edaces ac ventri deditos. Epist. ad Titum 1. 12. γαστέρες ἀργαί, *ventres pigri*. Ita cum antiquitate & vulgo hujus ævi, Syrus quoque interpretatur: sed doctissimus Canterus mavult, *ventres avidi, voraces, edaces*, novo invento, quod mihi non valde probatur. Ait autem *ventres pigri*, quia pigritia ferè conjuncta est luxuriæ. Vide Prov. 23. 20.

## 26. Gehenna.

גיהנם, *Gehennam*, vel Græca declinatione *Gehenna*. Proverbialiter adhibetur pro loco damnatorum, qui Orcus dicitur & Inferi. Quod autem legimus aliquoties *Gehenna ignis*, accipiendum, meo animo, pro *ignis Gehenna*. Scribit enim David Grammaticus in *gehenna* loco prope Jerusalem (ubi olim immolabant saturno, qui Moloch nominatur, q. ξυὸς ἑσθίτης) *perperum ignem fuisse comburendis cadaveribus & corporibus pollutis quæ illo projiciebantur*. Si hoc verè scribit Gramma-

Grammaticus ille, non dubium quin respexerit ad eum ignem ὁ Σωτῆρ Matth. 5. 22. & 18. 9.

27. Battologia.

Battologia vocatur proverbiali sermone importuna loquacitas, à Batto quodam inepto Poëta, cui solitum facere hymnos longos, & multis versibus constantes, in iisq; iterare eadem crebrius, Suidas, βαττολογία, ἡ πολυλογία, ἀπὸ Βάττιδος μακρῆς καὶ πολυσίχης ὕμνης ποιήσαντος, ταυτολογίας ἐχούσας. Theophylactus βαττολογία, φλυαρία item, βατταρισμός, inarticulata vox qualis puerorum, βαττολογεῖν, ταυτολογεῖν, quando sæpius eadem repetuntur.

28. Vires monocerotis.

כַּוְרַת רַחֵם, Vires monocerotis. In proverbio est de maximis & infractis viribus. Qui de natura hujus animantis scripserunt, negant eam capi vivam. Albertus author captum se interimere præ indignatione. Quomodo autem capiatur docet idem Albertus lib. De animalibus 22. tractat. 2. Item Pierius Hieroglyph. lib. 2. Plinii, ait, monoceros eum signat, quem vultus Halicornum vocat, quem ajunt pudicitia adeo amantem esse, ut non nisi puella virginis ope capi possit, quam venatores ibi statuerunt sedentem, quò animal ad potum pabulati vve se conferre animadvertent. Accurrere enim unicornem ad puellam hujuscemodi, inclinatúmque caput in ejus gremium collocare, altissimòque mox occupari somno: signòque venatoribus à puella dato appropere eos, & feram nullo negotio capere. Hæc Pierius. Nunc ad propositum. Num. 23. 22. ut vires monocerotis ei. Sic habet editio recentior: nec dissentiant Ebræi. Est tamen cur malim, quasi altitudines monocerotis, ut de cornu intelligatur. Porro autem cornu in metaphora signat robor. Significatur ergò Dei robur invictum, aut Israelis (nam ambiguus locus) maxima potentia, cui resisti non possit. Vide quæ scripsimus in proverbio, Cornua unicornium: & in Quæst. nostris lib. 3. quæst. 49. Verus editio, cujus fortitudo similis est rhinocerotis (i. Unicornis, secundum aliquos. Secundum Ebræos est animal simile bovi, magnæ fortitudinis, quod vocatur Gallicè buffle: ex Glossis Nicolai ad h. l. Alia litera, sicut gloria unicornis ei: ex glossa ordinaria.) ad sensum non malè: nam rhinoceros eo robore est ut in pugna elephantem vincat, cujus ventrem, limato priùs ad laxa cornu, perforare perhibetur: dico ad sensum; nam כַּוְרַת potius monocerotem, h. e. unicornem denotat. Multi putant rhinocerotem & unicornem eandem feram esse. Errant, nam Plinius perspicuè discriminat, unicornem describens cap. 21. rhinocerotem verò c. 20. l. 8. hist. nat. Ad hæc rhinoceros cornu gerit in nare: monoceros in fronte media. Præterea rhinocerotis cornu breve est, comparatum ad cornu monocerotis: nam monoceros cornu habet longissimum. Taceo quod præter Pausaniam alii multi annotarunt, videlicet rhinocerotem (hunc Pausanias vocat *Aethiopicum taurum*,) præter cornu, quod à nare prominet, alterum habere supernè exiguum, aded ut gemino cornu armatus sit. Quod confirmat Martialis his versibus,

Namque gravem, cornu gemino sic extulit ursum,  
factat ut impostas taurus in astra pilas.  
Siquidem rhinocerotem significat.

29. Leones.

Leones vocant homines Generosos, ut, *Esto potius cauda leonum, quàm caput vulpium*. Siquidem leo animal est omnium generosissimum. Et feroces, unde illud, *in pace leones*. Et potentes. Nam vis peculiariter leoni tribuitur, ut vulpeculæ dolus atque astutia. Et crudeles. Siracides, *Ne esto leo domi tuae*. Hoc sensu Apostolus dixit, *Ereptus sum ex ore leonis*. Neronem significans propter lævitiã & crudelitatem. Nam leo crudelissimus est in eos quos invadit. Et regnandi avidos. Theodoretus in Comment. Jes. 11. *Eodem modo leoni similes facit superbos & imperitandi avidos: tauro feroces & audaces*. Quò valde facit quod memoriæ proditum de aninia Cambyfæ Regis Persarum, quam Pythagorici deprehendisse se ajebant in leone: unde ei animus imperii cupidissimus fuerit, & maxima quæque semper appeterit.

30. Equi emissarii.

In eos congruit, qui libidini rebûsque venereis intemperanter dediti sunt, quos Græci scriptores ἵπποβίους vocant. Reperitur in Latina vulgata Jer. 5. 8. *Equi amatores in feminas, & emissarii facti sunt*. Ad quem locum Hier. pro Emissariis, inquit, in Ebraico scriptum est כַּוְרַת רַחֵם, quod omnes voce consonâ ἑλκοντες (leguntur ergò כַּוְרַת רַחֵם) i. Trahentes transtulerunt, ut ostendatur magnitudo genitalium, juxta illud Ezechielis, *Quasi afinorum carnes, eorum carnes*.

31. Arare.

Arare, ut diximus aliàs, in proverbio, *Alienâ vitulâ arat*, Ebræa phrasis est, pro, moliri. Ea utitur Salomo Prov. 3. 29. *Ne arato (aliàs, Ne machinare, quod à fabris sumptum) contra proximum tuum malum*, cujus imitatione Siracides quoque dixit, *Noli arare mendacium adversus fratrem tuum*, pro eo quod est, noli fraudem ei facere. Sic arare improbitatem. Hof. 10. 13, est facere improbè. Huic affine, *serere iniquitatem*; de quo alio tempore.

32. Androgynus.

Ἀνδρόγυνος proprie qui utrumque habet sexum, maris & fæminæ, quem alio vocabulo ἑρμαφρόδιον, *hermaphrodyum* vocant: sed proverbialiter ponitur pro molli & effæminato signòque. Prov. 18. *Ψυχὴ δὲ ἀνδρόγυνων πεινάσσει*, *Anima andragynorum esuriet*. In Ebraico, nisi fallor, נַפְשׁ רַחֵם, *anima ignava*. Sic cap. 19. *דַּלְיָהּ כַּלֵּיחַי אַנְדְּרוֹגִינוֹן*, *ψυχὴ δὲ ἀεργῶν πεινάσει*, *ignavia occupat androgynum, anima verò pigrorum esuriet*.

33. Vipera.

Ἐχιδνα, *Vipera*. Proverbiale de homine pernicioso: ad quem significandum etiam ὄφις adhibetur. Vide in *serpens*. Sed & Myræna. Hefychius, *μύραϊνα ἐπὶ τῷ κακῷ ἐλέγῳ, ὡς ἔχιδνα*, *Myrama de homine malo dicebatur, ut vipera*.

34. Progenies viperarum.

Ad hunc locum pertinet γενήματα ἑχιδνῶν, *Progenies viperarum*; quod non unus dixit, *genimina viperarum*. Vox est Christi acerbè increpantis Pharisæos, ut pessimorum parentum pessimam prolem. Reperitur Matth. 23. 33.

35. *Serpens.*

Jam dictum est. Adhibetur ad significandum hominem perniciosum, ut vipera, videlicet δια τὸ ἰοεόλον, ut observat Theophylactus. Ergo Christus in loco citato Phariseos nominat ὄφεις, venenatam malitiam eorum proverbiali Schemate declarans. Hinc fortè manavit vulgi convicium *Serpens*, jaci solitum in malam mulierem.

## Appendix.

Δια τὸ ἰοεόλον) h. e. Propter virus quod ejaculantur serpentes, cui par malitia morum, in hoc ramentum dispar, quod malitia æquè noceat improbis ac iis, quos illi persequuntur, cum venenum aliis tantum exitiale sit, non serpentibus ipsis.

36. *Equi saturi.*

מיוני סוסים, *Equi pasti*, vel *saturati*. Quadrant in homines vehementer libidinosos: nam equi post pabulum liberalius sunt libidinosiores. Nam saturitas accendit libidinem. Unde vulgò dicimus, de libidinoso & petulante eum plusculum hordei comedis. Quod absque dubio ab equis sumptum, quorum furor sive infania, vel, ut alii loqui amant, generosus animus, in feminis ineundis tantus est, ut Græci hinc fecerint nomen quod est, ἰππόβιν, ad significandum hominem qui ad insaniam usque libidinosus sit. Nec minor est equorum furor: quod discas ex Virgilii hisce notissimis & elegantissimis versibus,

*Scilicet ante omnes furor est insignis equarum,  
Et mentem venus ipsa dedit, quo tempore Glauci  
Porniades malis membra absumpsere quadrigæ  
Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem  
Ascanium superant montes, & flumina tranant, &c.*

Solent autem equi suam intemperantiam hinnicu proderè. Proinde sequitur apud Prophetam, alii ad aliorum uxores adhinnunt.

37. *Equi insipientes in feminas.*

Θηλυμανής est insanus amator feminarum: unde ἰπποὶ θηλυμανεῖς, equi insano equarum appetitu incenssi, sive, ut Hieronymus exposuit, equi insipientes in feminas: aut, ut est apud interpretem Irenæi lib. 4. cap. 80. furentes circa feminas. Sic vocantur homines ad libidinem plus æquo proclives. Verba Hieronymi hac de re habentur in Comment. Jes. 18. *Mores hominum in diversis animantibus monstrantur, sicut Pharisei & Sadducei propter nequitiam appellantur Germina viperarum: & propter dolos Herodis vulpes dicitur: & luxuriosi pronique ad voluptatem, Equi appellantur insipientes in feminas.* Declarat idem Basiliius Homilia in Psal. 44. ita scribens, ἰπποὶ θηλυμανεῖς, οἱ ταῖς γυναῖξιν, τῶν πλησίων ἐπιμαίνοντες, equi θηλυμανεῖς vocantur, qui uxores aliorum insane appetunt, velut significantiùs loquar, depereunt. Sed & Theophylactus, an potiùs Chrysostomus, in iis collectaneis, quæ exstant in Acta Apostolorum, ἰπποὶ θηλυμανεῖς, inquit, ἐπὶ τῶν φιληδόνων, h. e. competit in libidinosos ac deditos voluptatibus. Exstat Jer. 5. 8. in libris Græcis: ubi ex Ebræo alii reddunt, equi pasti.

38. *Columba simplex.*

יונה פותרה, *Columba simplex*. Simplex vocatur & qui nemini nocet, & qui facile decipitur. Unde & in laude hoc nomen ponitur, & in vitio. In laude ponitur,

si simplicitas cum prudentia conjuncta fuerit, juxta illud Christi, *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba*: dico prudentes, ne ab aliis circumveniâmini; & simplices, ne aliis noceatis. Sine prudentia simplicitas stulticia est. Nam stulticiæ est non cavere ea, quæ cavenda sunt. Talis erat Ephraim, cum in Ægyptum, vel ad Assyrios mitteret, qui opem ab iis peterent. Nam gentes illas semper hostes expertus fuerat: præterea hoc facto Deum vehementer offendeat. Itaque legimus Hof. 7. 11. dicente Prophetâ, *Et fuit Ephraim sicut columba simplex, (alii seducta, vel stolidus) carens corde.* Conveniet dici de homine stolido, qui per insipientiam id facit quod sibi exitio est. Aut de homine injuriis aliorum exposito; quomodo Galli pigeon, Plautus Pœnulo hominem peregrinum prædæ & injuriis leonis expositum palumbem vocat, his versibus.

*Nos tibi palumbem ad aream usque adduximus,  
Nunc te illum melius capere est, sic captum esse velis.*

39. *Columba gemens ob amissos pullos.*

In dicto loco Hofæ, ubi nos vertimus, *columba simplex*, & alii, *columba stolidus*, aut *fatua*, ibi in Chaldæorum Thargumin legitur, *Columba gemens ob ablatos pullos.* Autor illius interpretationis est Jonathan Uzielis F. Cur פותרה ita verterit, non video causam, nisi forte legerit פותרה ultimâ H. Heth. Quærant amplius, quibus otium est, & hæ res curæ. Verba Chaldaica sunt יונה שריחה דאתנסיבו בנחה, *Columba plorans*, eò quod ablatis sunt pulli ejus. Munteri לֵעֵזֶס, שריחה, simplex, stultus: perperam. In Lexico Thalmudico שריחה plorans & lacerans faciem suam: melior interpretatio. Nam & apud Arabes mulier plorans & discerpens lamentis faciem שרחה vocatur. Cæterum Hieronymus autor Columbam pullos ablatis non dolere, nec requirere. Verba ejus adscribam, fidei meæ causâ. In Comment. ad h. l. ita scribit, *Aves cetera pullos suos etiam cum periculo vita protegere festinant, & cum ad nidum suum accipitrem colubrum, corvum sive cornicem accedere viderint, huc illucque volitant, & immittunt se morsu, & unguibus lacerant, & dolorem parentis querula voce testantur: sola columba ablatis pullos non dolet, non requirit.*

40. *Apes.*

Apes in ore mel habent, in cauda aculeum, ut habetur apud Gregorium. Apes ergo non inscite appellaveris eos qui nos blando sermone aggrediuntur ut fallant ac decipiant; sive qui linguâ blandiuntur, & latenter ex malicia feriunt. Ex Psal. 118. *Circumdederunt me sicut apes.*

41. *Columba.*

Columbam animal simplicitatis & innocentie appellat Tertullianus: & meritò. Nam inter aves innocua maximè & simplex columba. Proinde Symbolum erat hominis innoxii, h. e. qui nemini noceret, neminem injuriâ afficeret. Ad hæc animal est insigniter mansuetum: unde hominem talem πρώτοτερον περιεργασ, *columba mitiorem* proverbio dicimus. Id adeò verum ut sint qui eam corporaliter ipso felle carere scripserint. In his est Cyprianus, cujus locum modò producã. Sed & Tertullianus hoc disertè asserit, & ex Ebræis R. David Hofæ 7. 11. Jam verò usurpatur quoque inter

inter amatoria. Sanè in Cantico Salomonis sponsus aliquoties sponsam quasi blandiendo columbam appellat. Quod sumptum haud dubiè à natura columbarum: nam & se mutuiter osculantur, & castitatem servant, communemque domum, ut Plinius tradit. Quin se invicem amant aded ut περισερῶν Græco vocabulo dictum existiment, ἀπὸ τῶ περισερῶν ἐρῶν. Non omnittendum in columbæ forma olim Spiritum S. apparuisse. Quod sic notatum est à Cypriano in iis quæ adversus Novatianum composuit, *In columba venit Spiritus sanctus simplex animal & lætum, non felle amarum, non morsibus sævum non unguium laceratione violentum: cujus ingenium est hospitia humana diligere, unius domus consortia nosse, cum generant simul filios educare, cum commeanat volatibus invicem coherere, communi conversatione vitam suam degere, oris osculo concordiam Pacis agnoscere, circa omnia demum humanitatis omnem implere Legem.*

42. Vultures.

Hæredipetæ, & qui defunctorum bonis inhiant, vultures dicebantur. Seneca epist. lib. 15. *vultur est, cadaver expectat.* Martialis,

*Amisit pater unicum Silanus;  
Cessas mittere munere, Oppiane?  
Heu crudele nefas, malaque Parca:  
Cujus vulturis hoc erit cadaver?*

43. Aquila.

Et aquila, Orig. Hom. 7. in Levit. *Ego puto & illos in his nominari qui alienis imminent moribus, & arte quadam ac fraude testamenta subjiciunt. Hujusmodi enim homines Vultures & Aquila meritò appellantur, velut mortuorum cadaveribus inhiantes.*

44. Pardus.

Pardo vel panthera similis est homo variis moribus. Nam interpunctum hoc animal, & maculosum, ait Theodoretus in collectaneis patrum Græcorum *Jes. 11. 6. Pardus Ebraicè נמר & Græcè πανθήρ. Unde Panthera.*

45. Lupus.

Lupus, de homine malo qui ad nocendum duntaxat natus esse videatur, ut, *Homo homini lupus.* Præcipuè autem in lupo celebrata rapacitas, unde rapaces lupos dicimus. Theodoretus *Jes. 10. lupo quidem rapaces comparat, agno verò mansuetos ac mites, Matth. 10. 16. Ecce mitto vos sicut oves in medium luporum. Act. 20. 29. Ego hoc novi, post discessum meum lupos graves non parcentes gregi ingressuros esse in vos. Lupos vocat pastores, quorum aut doctrina falsa, aut vita improba: vel qui gregem Dominicum, quem pascere deberent, deglubunt, atque aded devorant. Rursus Matth. 7. 15. Cavete vobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos cum vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

46. Erinacei.

Theophylactus in Acta Apostolorum cap. 10. *Οἱ ἐχθροὶ τροπολογιῶν ἐπὶ τῆς πλησίον, ἕως ἀπὸ τῶν ἰδίων ἀκαθάρτων συμπύγναι τὸν λόγον καὶ ἀκαρπὸν ποιῆν ὁ Κύριος & εἰρηκε, h. e. Erinacei tropicâ locutione dicuntur homines opulenti ac divites, quos Dominus dixit suis ipsorum spinis sermonem profocare, & infrugiferum efficere.*

47. Jumentum.

בהמה, *Jumentum, vel bestia.* Quadrat in hominem bardum ac stupidum. Galli dicunt *une beste.* Itali, *pecore, i. pecus.* Psal. 73. 22. *Jumentum eram coram te.* בהמה, q. d. immane jumentum. Job. 18. 3. *cur reputamur pro jumentis?* בהמה; Iterum Psal. 49. 13. *Homo qui in honore est, non permanet, similis fit jumentis intereuntibus.* Irenæus lib. 5. cap. 11. *Qui in suis concupiscentiis irrationabiliter ambulant, eos Prophetæ jumenta & feras dixerunt: consuetudo autem pecora interpretata est: & rursus, Homo assimilatus est jumentis irrationabilem emulans vitam. Sed & nos hujusmodi homines in consuetudine jumenta & pecora irrationabilia dicimus.*

48. Baar, sive Brutus.

Metaphora proverbialis est in בער, quæ à jumentis ducta. nam jumentum בער dicitur. Significat autem stupidum, ut Psal. 92. 7. Prov. 12. 1. Et alibi. Idem significat בור, sive בורא: & in Latio *brutus, baro, babarrus.* Glossæ Isidori, *Baburrus, stultus, ineptus.* Si licet divinare, *baro* est à BAAR: nam contractè dicimus BAR, ut *Bel* pro *Beel*: inde *baro*. Sic *baburrus* factum ex BUR, geminatis syllabis, ut תור THOR, *turtur*: בר BAR, *babarrus*. Hoc tamen arbitrarium esse volo, nolo sit certum. בורא reperies Prov. 12. 1. in libris Chaldæorum, & compendio dicitur, meo judicio, pro בעורר: nam solitum veteribus hoc modo elidere Ain in medio.

49. Equus.

Per equum significant Ebræi hominem libidinosum & mulierem appetentem. Qua de re dictum in proverbio, *equi pasti, & in proverbio, equi insanientes in feminas.* Scribit verò Aristoteles l. 6. de Hist. anim. cap. 22. *equum salacissimum esse omnium, tum foeminarum, tum marium, homine excepto: nec ullum certum tempus habere quod observer in foemina ineunda; sed quovis tempore id facere, nisi hominis ingenium arceat vel vinculo, vel alio instrumento. Equas quoque salacissimas esse vel illud argumento est quod foeminam luxuriosam & maris plus æquo appetentem vulgari convicio equam appellamus, quod notatum ab Alberto in hist. anim. tract. 3. cap. 1. cap. 61. eol. 2. Ergo equus denotat hominem luxuriosum. Rursus per equum significant hominem ferocem, & rebus secundis sibi præidentem, qui tanquam fræno in gyrum rationis reducendus sit. Unde legimus apud Davidem Psalm. 32. 9. *Nolite similes esse equis aut mulis, vel, ut in Ebræo est ad verbum, Ne estote sicut equus, sicut mulus.* Ceterum equus & mulus, quia rationis usu destituntur, fræno & lupato coercendi sunt, ne nos invadant, ut etiam equus appellari possit homo stultus & intelligentiâ cæcus, qui le regi non patitur nisi plagis & verberibus, apud quem verbis nihil proficitur, juxta illud sapientis, *ferus non emendatur verbis.* Secundum Euthymium David aliud sibi vult, nempe, *Nolite amore mulierum furere, velut infranes equi, quasi insaniam libidinis ibi veraret duntaxat, & non in genere nos commonefaceret, quia rationis participes sumus, ut potius rationi pareamus ac disciplinæ nos libenter subjiciamus, neve ferociamus rebus secundis, more equorum, præliorum ferocitate exsultantium, quos domitoribus tradere solent,**

lent, qui fræno & came eos coerceant, ne mordeant, aut calcibus perant, denique ut iis facilioribus uri possint.

50. *Mulus.*

Convicium proverbiale in stolidum. Catullus, *Mulle nihil suntis*: quo pertinet illud quod supra produximus, *Nolite similes esse equis aut mulis, in quibus non est intelligentia*. Certè de brutis ac vecordibus interpretatur Hieron. lib. 3. Comment. in Ezechielem cap. 9. Quamquam Euthymius existimat magis prohiberi iis verbis, *ne similes mulis*, hoc est, ad virtutem penitus infructuosi, simus; *Muli enim*, inquit, *Semina virtutis nulla concipiunt, nec fructum aliquem producunt*: & hoc partim quidem malicia causa, partim verò inertia, quam ad exercendas virtutes præ se ferunt.

51. *Vulpes.*

*Vulpes* & *vulpecula* dicitur homo vafer & versutus, qualis erat Herodes, quem Christus idè *vulpem* nominat. Luc. 13. 32. πορευθίντες, εἰπάτε τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ, *profecti, dicite vulpi huic*. Vide Irenæum, lib. 4. cap. 80. Basilium in Psal. 44. Hieronymum Elaj. 18. & Ezech. 2. Theophylactum in Acta Apostol. cap. 10. De vulpe Epiphanius Physiologo, *Vulpes versutum est animal*. Cum enim esurit ac cibocaret, aprica loca adit, & humi strata, animamque continens, ac simulans se mortuam, supina jacet, oculis ac pedibus sursum erectis. *Aves itaque delabuntur ut ipsa vescantur*: illa verò arripit eas subito, ac pro libitu devorat. Ambrosius Serm. 79. *Vulpes animal est fallax, & insidiis semper intentum, rapinâ fraudes exercens, quod nihil tutum, nihil otiosum, nihil patitur esse securum, quod inter ipsa quoque hominum domicilia prædam requirat*. Idem in eodem loco, *omnis Christianus qui sua vult peccata celare, hic spiritaliter vulpes est*, & quæ sequuntur ad finem usque. In clausula admonemus à vulpe exstare nomen apud Apuleium, quod est *vulpio*, pro asturo ac veteratore. Locus est in Apologia. *Etiâ cum matriblandirerè, tamen jam tunc vulpionem & impium fuisse*.

52. *Vermis.*

*Vermis* vile & contemptum animal proverbio locum fecit ut dicatur *vermis* & non homo, de eo qui abjectissimus est, & quasi hominis nomine indignus. Psal. 22. 7. *Ego vermis, & non homo: opprobrium hominum, contemptus populorum*. In Ebraico ורמ וולעא Verba sunt Davidis, querentis quòd ad eò despectui & contemptui esset Judæis, ut ne inter homines quidem ab eis computaretur. Huc refer Jer. 41. 14. *Ne metue, vermis Jacob*. Quo in loco Ebræi annotant innui maxime infirmitatem. Nam exilium, inquiunt, bella, famæ, cæteræque vexationes sic debilitaverant Judæos, ut viderentur vermibus quàm hominibus esse similiores. Sed aliòne spectat quod Job. 25. 6. *Filius hominis, qui vermis & lumbricus est*? Ebraicè רמה ותולעת Nam ex corpore humano vermes oriri scilicet,

53. *Canis.*

Hoc nomine convicium fieri solet impudentibus inimicis. Basil. Hom. in Psal. 44. ὁ ἀναδὴς κύων προσλογεῖται, *ὡς Νάβαλ ὁ καρμηλί*, *qui impudens est canis appellatur, ut Nabal Carmelius*. Psal. 22. 17. *Circumdederrunt me canes, cæcus malignorum circumvallatus*

*vit me, & v. 21. è manu canum unicam meam*. Sed hoc alibi aliter enarramus. *Canes* etiam vocantur pastores per contemptum, & *canes muti*, qui viso lupo os aperire non audent. Sic Apollolus, *cavete canes, cavete malos operarios, cavete concisionem*. Est enim canis animal vilissimum, & contemptissimum: idèoque in Legge Deut. 23. 18. cavetur ne quis canis pretium, ullum ob votum, in Templum inferat. 2. Reg. 8. 13. *Quid est servus tuus canis ut faciat rem magnam istam*? Verba sunt Azaelis ad Prophetam narrantem quantis malis affecturus esset Israel, q. d. nam quis ego sum abjectissimus homuncio, ut rem tantam faciam?

54. *Canis mortuus.*

Canis per se animal vile, si mortuus fuerit, hoc vilior fit. Est enim conditio mortuorum vilissima & miserima, secundum illud, *Canis vivo melius quàm leoni mortuo*, Aut additum mortuus, ad significandam virium infirmitatem. Canis enim mortuus, quod dici solet, neminem mordet. 1. Sam. 24. 15. *Quem persequitur Israelitarum Rex? quem tandem insectaris? canem mortuum?* 2. Sam. 9. 8. *Quid est servus tuus ut respicias ad canem mortuum, qualis ego sum?* Rursus 2. Sam. 16. 9. *Cur maledixit canis iste mortuus domino meo Regi?*

55. *Sigillum in manu dextra.*

חותם על יד ימיני, *Sigillum super manum dextram*. Hoc dicitur de eo quem charissimum habemus, videlicet eo loco quo solet haberi annulus sigillatorius. Vide *Ponere tanquam sigillum*. Jer. 22. 24. *Vivo ego, dicit Dominus, si erit fechoniah hic sigillum in manu dextra mea*. Græcè legitur apud Sirachidem ὡς φραγίς ἐπὶ δεξιᾶς χειρὸς. Eccles. 49. 19. *quo pacto extollemus Zerobabelem? cum ipse fuerit quasi sigillum in manu dextra: prætulerim, in dextra manu Dei*. Nam de Deo hoc intelligendum esse, patet tum ex testimonio mox citato ex Jeremia, tum ex iis verbis quæ habentur Hag. 2. 24. Nam quin Sirachides eò respexerit nullum mihi omninò dubium est.

56. *Via Cainina.*

Judæ v. 11. *Va ipsis*: nam *viam ingressi sunt*. *Via Cain* sive *Cainina*, ut suspicor, est via odii plena in fratres; quam qui insistit, eos falsis delationibus & calumniis infamat, ac tantum non occidit: nam occidit non solum is, qui vitam alicui adimit, sed etiam qui famam alicujus denigrat, aut proximum quovis modo in odium adducit apud alios: sive hoc clam faciat, sive palàm, nihil refert: nisi quòd facilius sit cavere inimicum apertum quàm occultum & clandestinum.

57. *Numerò.*

*Numerò dicitis*, Erasmus inter proverbialia recensuit; Sic Ezræ. 5. 8. *opus ipsum numero fit*. Id Syri dicunt אספר נר vocabulo à *numeris* deducto, quod significat *ciò acceleriter*. Nam אספר *numerus*. Reperies id verbi & Ezræ 6. 8. & apud Nehemiam, nisi fallor, Tertullianus quoque eo usus est lib. adv. Valentinianos, cap. 8. *Hunc numero gestientes & ipsi tale quid patri de suo offerre*. Vide quæst. lib. 3. quæst. 34.

58. *Porcus silvester.*

חזיר ביער, *Porcus è silva*, i. *silvester*. Latini *aprum* vocant. Exstat in proverbii forma Psal. 80. 14. *Ubi qui-*

quidam Nabuchodonosorem significari putant, alii Salmanasarem intelligunt. Nonnulli Idumæos denotari existimant. Ego iis assentior, qui non de certo aliquo aut homine aut populo accipiunt. Significari autem puto impuras & efferas gentes, quæ olim vexarunt populum Dei. Mecum sentit David interpres, ita scribens, *Porcus silvester & animal agreste proverbii figurâ vocantur nationes comedentes Israellem toto ore.* Scribit Theodoretus optimæ notæ theologus, suam vitis præcipuam inimicam esse: quod eò notamus, quia prius Israellem vineam nuncupavit: jure igitur agrestem porcum ejus hostem appellavit, ut idem observat.

59. *Animal agreste.*

יִשְׁרָאֵל, *Fera agrestis*: ut supra, *porcus silvester*, de gentibus feris & barbaris. יִשְׁרָאֵל interprete Camio generale est ad omnia animalia deserti. Eum nunc secuti sumus, haud ignari quosdam aliter sentire: nam R. Juda Simonis F. ut est apud Camium eundem, interpretatur, dicens, esse avem magnam, quæ eâ horâ quâ pennas suas expandit, obscurat orbem solarem. Græca versio habet *μονὴς ἄγριος*, ad quem locum Theodoretus, *μονὴν ἄγριον* vocat, qui soli vagus vivit, quique aliis truculentior est, ut pote qui cum cæteris consuetudinem minimè habet. Quoniam igitur Nabuchodonosor aliis regibus truculentior erat, merito *μονὴν ἄγριον* eum nominavit. Eucherius *μονὴν ἄγριον* Titum esse ait, qui assumpto ad imperium patre, profectòque Romam, solus remansit, Jerusalemamque oppugnatione consumpsit.

60. *Sues, vel porci.*

*Sues* vel *porci* dicebantur homines impuri, ut dictum est in Proverbio, *Ne projicite margaritas coram porcis.* Peculiariter autem *sus* appellabatur mulier impudica, ex quo illud, *in auris aurea in rostro suis.* Quod valde firmat Siracides cum ait, meretricem parem vel æqualem esse *σιῶλω*, h. e. Secundùm interpretationem nonnullorum, *sui* aut *scrofa*: ita est profectò: nam ut *sus* in luto volutatur, ita meretrix in omni libidine spurcitiæque. Quod pertinet etiam Græcum verbum *χοιροπολεῖν*, quod à *porco* finxere, ut significarent corpore quastum facere. Porro *sue* nihil immundius aut luto magis amicum: quod declarat Lucretius, cum ita canit,

*At contra nobis cœnum de terrima cùm sit  
Spurcitiæ, eadem subus hac tam munda videtur,  
Insatiabiliter toti ut volvantur ibidem.*

Antiqui Philosophi, qui sectatores immundæ voluptatis in porcos mutari censuerunt, scitè, notantur ab Augustino id fecisse, non quòd *μελεμψύχωσι* crederent, sed propter morum similitudinem. Sic dicebant, eodem teste, homines sævos ac superbos in leones mutari & avaros in formicas. Adito sanè illum in de Genesi ad literam lib. 7. cap. 10. Cœterùm ( *ἐν παρωδῶ* hoc dictum sit ) Latini Authores *porcum* vocant hominem pinguem & obesum: unde *porcus Umber*: & Horatius in Epistolis,

*Me pinguem & nitidum bene curat à cute vises,  
Cùm videre voles Epicuri de grege porcum.*

61. *Asinus offensus.*

חֲמוֹר גָּרִם, *Asinus offensus*, i. fortis, validus. Gen. 49. 14. *Issachar asinus offensus.* Asinus animal est ferendis laboribus natum. Appellat ergò asinum Issacharem,

quòd in labore corporis potissimùm se exerceret; corporis dico, non animi, ut quidam putant, qui mihi ignorasse videntur ejus animantis stupiditatem. In glossa ordinaria legitur ex Hieronymo, *Asinum offesum vocat, quòd in labore terra, & vehendis mercibus ad mare, quæ suis in finibus nascebantur, plurimùm laboraret.* Nec aliter Nicolaus, *Issachar asinus fortis, quia homines illius tribus erant fortes ad sustinendum labores corporis.*

62. *Gladius.*

חֶרֶב, *Ensis, sive gladius.* Dicebatur olim de falso teste. Vide Prov. 25. 18. Quadrabit etiam in calumniatorem: nam is q. gladius est famam lædendo proximi, quem satius multò esset gladio occidere quàm honestâ famâ per calumniam privare. *Gladius* quoque dicitur impius, sed adjecto nomine Dei, aut ejus loco pronomine aliquo, ut in illo, *eripe me ab improbo gladio tuo.* *Gladius Dei, ut flagellum Dei.* Ita vocatur improbus, eò quòd Deus ejus operâ utatur, tanquam gladio, vel ad puniendos malos, vel ad exercendos bonos. Sumitur præterea pro acerbissimo & inenarrabili dolore Sic legimus in Evangelio Lucæ, & *animam tuam pertransibit gladius.* Vult dicere, animus tuus gravissimo dolore afficietur.

63. *Aqua Siloa.*

מֵי הַשֶּׁלַח, *Aqua Siloa.* Proverbii speciem habet Jes. 8. 7. ubi sic legimus, *respuit populus iste aquas Siloa.* Nam intelligit imperium regum Juda: erat autem imperium illud lene ac placidum: idè comparatur cum aquis illis quæ placidè & sine strepitu decurrebant, ut Ebræi annorant. Porro silva torrens exiguus erat prope Jerusalemam, qui alio nomine Sihor dicebatur. Vide libellos meos.

64. *Torrentis deliciarum.*

*Torrentis* vocabulo copiam significant: unde *torrentis deliciarum*, deliciæ amplæ & copiosæ; ut *fluvius pacis*, pax multa. Psal. 36. 9. *torrente deliciarum tuarum potas eos.* Græcè in LXX. *χειμῶνας τῆς τροφῆς.* Simile *χερσοῖς πόντος*, i. *mare auri.*

65. *Vena vitæ.*

In versu qui proximè sequitur, *Apud te est vena, sive fons vitæ*: Potest exponi, *fons*, i. causa & origo vitæ. Aut *fons vitæ*, ut *fons lacrymarum*, quod Græci dicunt, *πηγή δακρύων*. S. e. *πηγή λόγων*, *fons verborum*. Nam etiam *fontis* vocabulo copiam designant: ex quo illud, *Veniet ut fons messis tua, vis πηγῆ*, i. copiosè. Ergò *apud te fons vitæ*, vult dicere, *vita, sive felicitas multa.* Hoc non statuo sed pono tantùm.

66. *Calcem sustollere.*

Sive, *magnopere*, aut *validè calcem impingere*, est magnum malum dare. Metaphora ab equis asinisve calce aliquem petentibus. Psal. 41. 10. *הגדול עלי עקב* *validè impedit mihi calcem.* Id versum existat Joh. 13. 18. *ἐσθῆcen ἐπ' ἐμε τὸ πτερον αὐτοῦ, extulit in me calcem suam;* & rectè: nam *הגדול* magnificavit, & *הריום* extulit, se invicem explicant. Sic apud Salomonem *מרים*, *מרים* magnam consequitur infamiam אולת מרים, *magnam designat stultitiam*: ac si esset *מגדיל* Noravi aliàs.

67. *Calcem ponere.*

*Calcem in me sustulit.* Vulgus enarrat, posuit mihi *Uuu 3* insi-

invidias; non rectè: nam hoc sensu dicendum esset: meo animo, אָפּוּשׁ לִי נָשׁ, *posuit mihi calcem*, Figura loquendi tracta ab iis qui in lucta aut cursu aliquem supplantant: quod Græcis est πλεγειζεν. Unde πλεγεισμός, *dolus, insidia, supplantatio*. Verbum à calce derivatum; nam calx five calcaneum πλεγεισμός dicitur.

68. *Caput velare.*

Caput velabant in luctu. Exempla 2. Sam. 15. 30. Esth. 6. 12. & apud Gorionidem lib. 6. cap. 5. Erat & signum subjectionis, quâ ratione Apostolus jubet mulieres orare velato capite: & argumentum pudoris. In libro Musar cap. 6. *Quare vir habet caput apertum, & mulier velatum? dixit ei simile de homine, qui cum rem turpem & pudendam facit, caput suum aperit ac tegit: Sic mulier quandoquidem peccavit, & propter ipsam peccavit etiam Adam, qui mortem intulit in universum mundum, ideo incedit capite recto aut velato.*

69. *Manum osculari.*

Gestus adorantium. Manavit hic sermo à ritu antiquo eorum qui falsos Deos colebant. Nam ii cum aut fanum aliquod præterirent, aut astra venerentur, quod ea Deorum loco haberent, manum labris admovebant, & ad osculum inferebant, ut Plinius testatur. Vide quæ observamus lib. 1. Observationum cap. 20. Ergò Job. 31. 27. ubi sic legimus, *Et si osculata est manus mea os meum*, Sensus est veluti si diceret, si adoravi ea: loquitur autem de astris, h. e. de Sole & Luna. Ex hoc ritu glossema est 1. Reg. 19. 18. in Latina vetere, & omne os quod non adoravit eum osculans manum. Hier. Apolog. 1. contra Ruffinum, *Qui adorant solent deosculari manum, & capita submittere*. Idem Hof. 13. qui adorant solent deosculari manum suam, quod Job fecisse se negat, dicens, *si osculatus sum manum meam, apponens ori meo.*

70. *Osculari.*

Hieronymus Apolog. adv. Ruffinum, *Ebraei juxta lingua sua proprietatem deoscultationem pro veneratione ponunt: rectè sanè. Manavit autem id, non ut idem in Comment. Hof. 13. 2. opinatur, ab eo ritu quem diximus, sed ab alio solitum enim veteribus statuas, in quibus aliquid divinitatis esse opinarentur, deosculari. Quod discas ex iis verbis quæ habentur 1. Reg. 19. & omne os quod non osculatum est eum. Nec aliter capies quod Hof. 13. 2. *Virulos deosculabuntur: rectèque est in nonnullis editionibus, virulos adorabunt. Quod testatur idem, quem modò citavi, Hier. in Comment. ad eum locum hoc modo scribens, pro eo quod juxta Symmachum & Theodotionem vertimus adorantes. Aquila interpretatus est καὶ φιλέσθαι, i. Deosculantes. Imò etiam Psal. 2. 12. ubi nos legimus, osculamini filium, in Psalterio Ebraico scriptum offendi, Adorate purè: cujus interpretationis autor Hieronymus quin huc respexerit, non est ullum apud me dubium.**

71. *Aethiops.*

Sunt ex interpretibus qui verba illa Psal. 7. *Super verba Chus, de Saule intelligant. Chus enim Aethiopem signat. Volunt autem ita appellatum esse Saulem quòd inimicitias cum Davide susceptas nunquam deponeret, quòdque propositum de illo interficiendo constantissimè firmissimèque servaret; non aliter atque*

Aethiops colorem perpetuò retinet, quem illi naturam stabilem firmumque, & nulli unquam mutationi obnoxium, semel concessit. In Latio, qui pravis moribus est niger vocatur. Sed in Aethiope præter nigritiem est immutabilis quædam retinendi necessitas: quia neque amittere, neque ulla ratione mutare, nisi cutis corruptionem, colorem potest, Idcirco hominem obstinatæ pravitatis Aethiopem non malè dixeris. Quinimò illi omnes qui peccato nondum mortui sunt *Aethiopes* appellari possunt. Ut enim his nigredo naturalis est, ita illis à natura vitiositas: utque elui cute integrâ color Aethiopis non potest; ita nec horum ablui pravitas veteri homine vivo ac superstiti. Quem necesse est ut exuant, novum autem induant, sanctum, purum, & immaculatum, conformem imaginì Christi, & lotum sanguine ipsius, qui Aethiopis dedecus effugere volunt.

72. *Caput anguli.*

Id est, פּנָה רָאשׁ. Ita vocatur lapis in angulo summus, qui totius ædificii molem sustinet, quem Apostolus Petrus ἀκρογωνιαίον appellat. 1. Pet. 2. 6. Cæterum quia in summo angulo poni solent lapides lecti & eximii, idèd proverbialiter ad significandum quod in re quaque eximium est, ut cum Elias Germanus linguam Ebræam dicit esse ἀκρογωνιαίον aliarum linguarum. Psal. 118. 22. *Lapis quem reprobaverunt architecti, hic factus est caput anguli. Verba Eliæ, Lingua nostra sancta est lapis summus ad alias linguas comparata.* Ebraicè אבן הראש : quod Synonymum ראש פּנָה quo caput anguli significari modò diximus.

73. *Lapis offensionis.*

צור מכשול, אבן נגף, *Lapis offenculi*. Jungi solet צור מכשול *Petra scandali*. Utrumque idem significat. Græcè legitur 1. Pet. 2. λίθος προσκόμματος ἢ πέτρα σκανδάλου, *Lapis offensionis & petra scandali*. Vide Jes. 8. Metaphora à viarum lapidibus pedem offendentibus. Quòd pertinet & illud Psal. 91. 12. פֶּן תִּגַּף בְּאֶבֶן רִגְלֶךָ, *Ne offendant ad lapidem pes tuus, vel, si mavis (nam Ebræa ambigua sunt) Ne offendas ad lapidem pedem tuum: quod proverbialiter dictam pro, ne tibi ullum infortunium accidat, ne in obvium malum inopinatè incidas aut incurras.*

74. *Sagitta fracta.*

Sic appellantur minæ irritæ, & quæ nullum effectum fortiuntur: aut diræ & maledicta quæ non eveniunt. Psal. 58. 8. יִרְדַּךְ חֲצוּי כְמוֹ יִתְמוּלְלוּ, *mens horum verborum, cum aptabit sagittas suas ad arcum, sine ac si fractæ essent, vult dicere, accidat eis quod jaculatu-ro cui sagittæ franguntur: ne eveniant quæ mihi claraminiantur aut imprecantur. Vide Psalm. 64. 3. יִרְדַּךְ חֲצוּי קִשְׁתוֹ לִירוֹת חֲצוּי, *tendat arcum suum quo jaculetur sagittas suas; nisi malis חֲצוּי Sagittas suas ad sequentia referre: tum locus ita ordinandus erit, tendat arcum suum, sine ejus sagittæ ac si succisæ essent.**

75. *Inflammare.*

Aliud nihil est quàm conviciis incessere, quod Græci dicunt πλύνειν aut significat falsa criminatione aliquem in nos incendere: unde להשׂיב, Psal. 57. 5. *incendentes, sive incendiarii*. Gallicè, *boutefeux*, qui facem accendunt aliosque inflammant, ut nos persequantur.

PROVERBIA SACRA.

Non abfimile est דלקים, quod ex eadem Metaphora significat *ardentes*, h. e. ardentèr persequentes, videlicet ut Poëta dixit.

*Instant ardentès Tyrii.*

76. *Belial.*

איש בליעל, *Vir Belial*, Vox proverbialis significans hominem nequam. Composita putatur ex בליעל non, & על: unde הועיל profuit. Belial ergò qui nec sibi nec aliis utilis est. Aut composita ex בליעל, ut suprâ, & על vocabulo *jugum* significante, q. *absque jugo*, sive *injugis*, quemadmodum *injuges boves* dicimus qui sub jugum non fuerint; aut *exlex*. Nam *jugum* in metaphora est *lex, doctrina, disciplina*: ex quo illud, *jugum meum leve est*. Hinc etiam התורה עול *jugum legis*, & עול השמים, *jugum Cæli* apud Magistros. Vide Comment. nostrum ad voces N. T. cap. 18. Dicimus autem בליעל viri, sive homines, *belial*, & בני בליעל filii *belial*, & אנשים בני בליעל *virii filii belial*: quod postremum legitur in Sanhedrin. *Virii filii belial sunt filii qui jugum cæli excusserunt collo suo.*

77. *Manè.*

Manè fieri dicitur quod fit maturè ac diligenter, ut Prov. 13. 24. *qui verò eum amat, manè adhibet castigationem*. In Ebraico est שחר, verbum deductum à שחר voce *auroram denotante*. Id in aliis ferè locis redditur *manè querere* ut Prov. 1. 27. *manè querent me, sed non invenient me*, & 6. 15. *ut manè quererem faciem tuam*. & 8. 17. *qui manè querunt me, inveniunt me*. & 11. 27. שחר טוב, *Manè querere bonum*. Similiter Psal. 22. 2. *Manè inquiram te*, & 78. 34. *Manè querebant Deum*. Job. 8. 5. אם אתה תשחר אל אל, *Si tu manè requireres Deum*. Recentior interpretatio, *si tu sedulo requireres*; & rectè ad sensum. Ut *manè* pro *maturè*. Sic apud autores Latinos ferò pro *tardè* sumitur. Huc referunt nonnulli, יעזרה לפנות בקר, *adjuvabit eum appetente manè*, i. citò. Locus est Psal. 46. 6.

78. *Ad terram usque.*

ערי ארץ, *Proverbiale*, cuius ea vis, ut si dicas, *Penitus*. Psal. 147. 6. *dejecit improbos ad terram usque*. Rursum Psal. 143. 3. *atterit ad terram vitam meam*. Hic est לארץ in Ebraeo.

79. *Ad sepulcrum usque.*

Vel potiùs, *ad inferos usque*. Usurpatur quando res in extremum discrimen devenit, ut in illo Jesajæ ונתפולי שאול sive ἀποπαδῶς transferas, *dejecisti te ipsum usque ad inferos*: sive ἀποπαδῶς, *dejectus es usque ad inferos*.

80. *Ad fauces sepulcri.*

Idem planè valet לפי שאול *Ados sepulcri*: Quod Chaldaeus ita reddit על פות קבורתו. Alioqui posses reddere, *ad fauces orci*, vel simpliciter *ad orcum*, aut *ad sepulcrum*, ut פי sumatur pro particula *parapleromatica*, ut vocant. Exstant Psal. 141. 7.

81. *Attingit sepulcrum.*

Nec discrepat מגיע ל שאול. *Attingit sepulcrum*;

aut *inferos*. Id eleganter adhibetur ubi quis morti vicinus est, ut Psal. 88. 4. *Vita mea ad inferos pertingit*: ubi per *inferos* intelliges statum mortuorum, non locum destinatum cruciandis reprobis. Sic alibi est, *deduces canos meos ad inferos*: quæ verba sunt Jacobi Patriarchæ cum lugeret filium Josephum, quem à fera laniatum ac discerptum credebatur.

82. *Ἐπεσώθη.*

*Quasi areâ imbrem sitiens suspexerunt ad te*. Sic interpretatur Hieronymus, quod Aquila Ponticus verterat ἐπεσώθη Joel. 1. 20. Cæterum in Ebraeo est תערוג, i. *clamavit præ siti*: sed interpret ille deduxit à ערוג quæ vox *aream* significat, q. d. *areolata sunt*. Mirabilis metaphora ab areis agrorum imbrem sitiensibus.

83. *Viscera.*

*Viscera* in proverbii loco usurpant Ebraei, ut ex c. tu verò eum, h. e. *mea viscera recipe*. Exstat in epist. ad Philemonem: *mea viscera*, h. e. hominem mihi intimum. Eadem locutio reperitur 2. Cor. 6. *Non estis angusti erga nos, sed erga viscera vestra*. Id exponit non nemo, *erga hominem à quo adamamini*.

84. *Venenum aspidis.*

חמת עכשוב, *Venenum aspidis*. In proverbio est dere nocentissima pestilentissimaque, & quæ citam mortem inferat. Nam hujusmodi esse perhibetur venenum hujus serpentis: de quo in hunc modum scribit Mercurialis medicorum hujus ævi facillè princeps, De venenis lib. 2. cap. 2. *Aspidum venenum exitialissimum est; imò verò Moses, qui nunquam fallit, in Cantico suo scribit esse insanabile*. Neque solum inmedicabile est, verum etiam citissimè interficit, ut se vidisse in Aegypto testatur Galenus. Est tamen differentia, quia *hirundinaceus statim interimat; terrestris autem spatiorum aut quatuor horarum; ptyas verò paulò tardius*. Hæc ille. Cæterum Mosis locus est Deut. 32. 33. ubi in Ebraico אכזר i. *drum, crudele*: sed vulgata interpretatio habet, *insanabile*. Psal. 140. 4. *Venenum aspidis sub labiis eorum*. Græcè ἰὸς ἀσπίδων. Est autem ἰὸς non modò *venenum*, sed etiam *sagitta, sive telum*: unde vulgatum versiculum,

ἰὸς πῆφουεν ἀσπίδων καὶ γυνή.

Erasmus in Latinum convertit, *telum aspidis mulier improba*, cum vati possit, imò debeat, *venenum aspidis*.

85. *Cum baculo incedere.*

Joh: Fungemus Leovardienfis vir apprime eruditus in Farragine sua recensuit ex Mosè proverbii loco, *in baculo transivi Jordanem*. Id exponit *pauper, nudus, & inermis*; ac sumptum putat ab eis, qui bello capti armisque omnibus & opibus eruti eum baculo tantum dimituntur. Sic ille. Sed sciendum pauperes homines cum peregrè proficiscuntur ferè baculum circumferre: neque mihi dubium est quin ipse Patriarcha Jacob, cum in Mesopotamiam iret, baculum gestaverit, ut dicat Gen. 32. 10. במקלי עברתי את הירדן, *cum baculo meo transivi Jordanem*, haud obscurè innuens se valde



Et eius imitatione Virgilius,  
*ὄρερ Phrygia, neque enim Phryges.*

96. *Fundamentum seculi.*

Pröv. 10. 25. *Iustus est fundamentum seculi.* Alibi se explicat cum dicitur *iustus in seculum non movebitur.* יסוד עולם: quod manifestius exponas, *fundamentum aeternum, h. e. diuturnum: q. d. diu vivet.* Metaphora proverbialis ab aedificiis sumpta.

97. *Clypeus, scutum, parma.*

צוג, i. *Clypeus: dictus ita παρὰ τὸ γιν, quod tegere significat.* Itaque צוג in metaphora, qui aliquem protegit. De Deo usurpatur Gen. 15. 1. *Ego tibi clypeus sum, de Principibus Pf. 47. 10.* Vide Quæst. lib. 1. quæst. 73. Ratio est, quod sint (certè debent esse) protectores ac defensores publicæ salutis. *Scutum, i. סוחרר, cuius forma rotunda. Parma, i. צנה.* Utrumque simul legitur, Psal. 91. 4. *parma & scutum est veritas ipsius,*

98. *Petra vel rupes.*

צור, *Petra vocatur, qui alicui præsidio est.* Exempla passim obvia. Psal. 19. 15. *Petra mea & redemptor meus.* Et cum epitheto. צור מחסה *petra refugii,* Psal. 94. 22. ישועה צור *Petra salutis.* Psal. 89. 27. Interdum צור pro ipso Deo ponitur, ut 1. Reg. 2. *Non est Deus sicut Deus ipsorum, Deut. 32. Ubi Deus ipsorum, Deus, inquam, in quo speraverunt?* Utrobique est, צור in Ebraico. סלע *rupes.* Psal. 18. 3. *Dominus mea rupes.* Cognata sunt מצורה *propugnaculum* in eodem Psal. 19. מגדל *turris valentis, h. e. valida,* Prov. 18. 10. סתר *latibulum,* Psal. 32. 7. קרן *cornu,* Psal. 18. 3. quorum postremum ab animantibus sumptum, quæ natura cornibus armavit: alterum quod præcedit à feris est, quæ in suis latibus turd delitescunt.

99. *Ferreus.*

Hieronymus, vel si quis alius autor Commentariorum in Marcum, quæ exstant inter opera ipsius, Marc. 4. παρὰ τὸ δὲ Græco vocabulo, inquit, dicitur similitudo, quando illud quod intelligi volumus per comparationes aliquas indicamus. Sic enim ferreum quempiam dicimus, quando durum ac fortem desideramus intelligi. Vide Jer. 15. 12. *Hinc sceptrum ferreum, i. durum imperium: nam sceptrum insigne imperii. Cervix ferrea.* Explicatum alias. *Fornax ferrea.* Et hoc explicatum. *Terra ferrea.* Levit. 26. quæ rigore constricta nihil ex se profert. *Cælum ferreum,* quod nullum exsudat humorem, quando, ut vir sanctus Ambrosius ait, Hexaem. l. 2. c. 4. *nubibus imber rumpitur.* Est etiam ferreum cælum, inquit, subobscurus ac pressus aer nebulosus, colore ferrugineo. *Cor ferreum.* Theodoretus Jer. 5. at. *tamen neutrum illis profuit, quia ferreo erant animo, i. durissimo. Ferrea sententia.* Val. lib. 5. cap. 3. *A Lucio enim Apulejo Tri. Pl. tanquam peculator Vespertina præda reus factus, duris, atque (ut ita dicam) ferreis sententiis in exsilium missus est.* Aug. De moribus Eccles. Cathol. lib. 1. *Nihil est tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur.*

100. *Aereus.*

*Aereus* in metaphora idem quod ferreus: unde *frons ærea.* Dicimus etiam *Cælum æreum,* in magna siccitate, ut *cælum clausum,* quando longo tempore non

pluit. Et terra ærea, quod in Ebræo Levit. 26. 19. *ponam terram vestram sicut es.* כנחשת: æream.

101. *Carmelus.*

*Carmelus* mons erat pinguis ac fertilis: unde proverbio dicitur de huiusmodi loco. Ergo quod habetur Amos. 1. 2. *וובש ראש הכרמל, & arefcet caput Carmelis,* id alius interpretatus est, *vertex loci fertilis; alius præstantissimum arborum.* Nam caput dicitur & cacumen montis. & τὸ ἐξοιγεῖον ex re quaque. R. David ad hunc locum כרמל, est nomen generale ad omnia arva, & loca vineis consita. Hieron. Jef. 16. *Idioma scripturarum est, quod semper Carmelum montem opirnum atque nemorosum, qui Prolmaldi imminet, & in quo oravit Elias fertilizati & abundantia comparet: ac per hoc significet omnem latitiam & fertilitatem de uberimis quondam urbibus auferendam.*

102. *Basan.*

*Basan* regio Arabiæ fertilis & pascuis læta. Nahum non sine specie proverbii dixit, Nah. 1. 4. *Languescit Basan & Carmelus,* pro eo quod est, solum pingue aut locus pascuus. Sic enim certè Scholia Ebraica enarrant, Inde est,

103. *Tauri Basan.*

אבירי בשן, *Tauri Basan, i. pingues, quales fert regio illa.* Significat autem divites ex pinguedinis metaphora. Nam solitum Ebræis pingues vocare divites: Legitur Psal. 22. 13. Sic,

104. *Vacca Basan.*

פרות הבשן, *Vaccæ Basan.* Ita vocantur opulentorum uxores, Amos. 4. 1. itaque Hieronymus interpretatur, *vacca pingues.* Prius Symmachus verterat αἰῶνες εὐλογοφοί.

105. *Murus igneus.*

חומת אש, *Murus ignis, i. igneus.* Positum videtur pro invicto & inexpugnabili. Zach. 2. 6. *Ego ei ero murus igneus per circuitum.* Geminum est, *hic murus aheneus esto.*

106. *Scoria, stannum.*

*Sordes vitiorum* tropo proverbiali appellat *Propheta scorias & stannum,* Jef. 1. 24. *excoquam quasi ridicula scorias tuas, & auferam omne stannum tuum.* scorias tuas, ut Græcè κωδηκία, & בדיליק, ad verb. *stanna tua: nam argentum stanno adulterant.* Metaphora nota. Consule Scholia Camii ad h. l.

107. *Vagatio viri.*

שלטלה גבר, *Jef. 22. 17. Placer Jonathæ declaratio, שלטול דגברא, ut sit vagatio viri, pro dura & gravi.* Genus loquendi proverbiale, cui rei firmandæ facit dictum illud Magistrorum, קשרי דגברא *quæstiones tuas, ut Græcè ἀνδρα, & בדיליק, ad verb. stanna tua: nam argentum stanno adulterant.* Metaphora nota. Consule Scholia Camii ad h. l.

גבר, *vagatio viri gravior est quam femina:* Græcæ versiones omnes ἀνδρα referunt. Aliquando *Gallum* significat. Proinde Hieronymus edidit auctoritatem præceptoris sui Ebræi secutus, *sicut asportatur gallus gallinaceus.* Quin R. David in explicatione huius loci citat ex Dras, דמשל מאתר, *sicut gallus ille, qui deportatur de loco in locum.* Eadem verba Jarius usurpat: sed locum, unde sumpsit, non indicat. Hieron. in Comment. *Sicut gallus gallinaceus*

*naceus humero portatoris de alio loco transfertur ad alium, sic te Dominus de loco tuo leuiter asportabit.* Pro eo quod Hieronymus scripserat, *portatoris*, i. qui eum portat, libri impressi *portitoris* habent: mendum manifestarium, & quod vel cæco appareat.

108. *Gens delineata.*

גוי קו קו, *Gens linea linea*, h. e. delineata. Elegans metaphora à materiariis fabris. Thargum Jonathæ; גוי קו קו *gens oppressa* (vel potius opprimenda:) ad sensum non malè. Sed cur *linea linea*? commentum Ebræi Scholiastæ Camii meo palato non sapit. Malim sic explicare, *gens linea linea*, quasi lineis signata, h. e. damnata, & quæ pessum ir: est autem *linea* filum quo signant materiam secundam aut deasciendam γαρμυη. Reperitur Jes. 18. 2.

109. *Terra & cinis.*

*Quid superbit terra & cinis?* Verba sunt Sirachidis Eccles. 10. 8. *terra & cinis*, h. e. homo. Nam, ut ait 17. 31. אבשרו & גחלתו סוף, *homo terra & cinis*. Quod sumptum meo animo, ex verbis Abrahami Gen. 18. 27. ואנכי עפר ואפר, & *ego pulvis & cinis*. Hinc illud, *memento, homo, te cinerem esse, & in cinerem reuersurum.*

110. *Dolores parturientis:*

חבלי יולדה, *Dolores parturientis*: pro magnis & acerbis. Hof. 13. 12. *dolores parturientis obuenient ei*. Dicunt etiam כולדו חיל כולדו *dolor tanquam parturientis*. Psalm. 48. 7. Mich. 7. 9. Hinc Jes. 13. 8. כולדה יחילו, *parturientium ritu dolebunt*: pro quo Arias substituit, *cruciantur*. Sirach. 48. 23. אדלתי אסאי אדלתי אסאי, *dolorem senserunt instar parturientium*.

111. *Fasciculus myrrhæ.*

צרור המור, *Fasciculus myrrhæ*: de eo quem impensè charum habemus. Reperitur Cantic. 1. 13. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus: inter ubera mea pernoctabit*. Fortè hujusmodi myrrhæa fecta pectori appendebantur, ut dicat, *inter ubera mea pernoctabit*.

112. *Rosa saronia.*

הכצלת השרון, *Rosa saronia*, quidam *rosa campi*. Cant. 2. 1. *Ego rosa saronia*. Videtur fuisse rosa in suo genere excellens. Erat autem saron regio omnis inter Thabor montem & stagnum Tiberiadis. Sed & à Cæsarea Palestina usque ad oppidum Joppe omnis terra qua cernitur, dicitur *saronas*, ait Eusebius de locis Ebraicis.

113. *Lilium convallium.*

שושנת העמקים, *Lilium vallium*. Dicitur proverbii formâ, ut, *rosa saronia*. Cant. 2. 1. *Ego lilium convallium*. Est & planta ejus nominis, ut medici sciunt.

114. *Serere.*

Metaphora verbi זרע transfertur ad omnes actiones vitæ. Hinc *serere justitiam*, Prov. 11. 18. & *serere iniquitatem*: quod Græcè legitur σπείρειν φαύλα. Prov. 22. 8. & *serere fallaciam* apud Plautum. Vide Proverb. *Qui serit prava, metet mala*. Huc refer ex Sirach. 7. 3. μη σπείρετε ἐν ἀδικαίᾳ ἀδικίας, *Ne serito in sulcis iniquitatis*. Vide *Arare*.

115. *Orci dolores.*

Pro maximis & gravissimis, quales videlicet reprobi sustinent apud inferos Ebraicè חבלי שאול: quod nonnulli reddunt, *dolores sepulcri*: sed חבלי שאול inferi, ergò meliùs, *dolores inferorum*, vel, si placet, *inferni*. Exster 2. Sam. 24. 6. & Psal. 18. 6.

116. *Dolores mortis.*

Eandem sententiam exprimit חבלי מות, *dolores mortis*. Nam *mors* & *inferi* le muuò explicant. Alioquin in morte nullus dolor: nisi accipias *dolores mortis* pro mortiferis, ut *umbra mortis*. Reperitur Psal. 18. 5, ubi significat extrema pericula. Aliquando *dolores mortis* dicuntur alio sensu, ut Act. 2. *quem Deus suscitavit, solutis doloribus mortis*: quod non aliter quàm de ipsa morte potest intelligi. Dicit autem solutis, metaphora sumptâ ab iis, quæ loris constricta sunt. Mors enim nos quasi vinculis & loris victos tenet, ut sint qui legant, *solutis vinculis mortis*, i. חבלי מות, mutatione unius puncti.

117. *Abyssus.*

Vim inexhaustum rei cuiuspiam *abyssum* dicimus, unde apud Chrysoctomum, ἀβυσσὸς τῶν πόνων, *abyssus arumnarum*, Hinc etiam ἀβυσσὸς τῶν κακῶν *abyssus malorum*, i. mala infinita. Sic *judicia tua abyssus multa*, Vult dicere, numero infinita sunt, nisi melior interpretatio, *judicia tua vorago multa*: h. e. tam profunda & inscrutabilia quàm est magna aliqua vorago. R. David exponit hoc modo, *judicia tua*, h. e. pœnæ ac supplicia quæ infligis, *sunt abyssus multa*; hoc est certissimum exitium: q. d. sunt tanquam vorago improbis, eos absorbent voraginis ritu.

118. *Via patrum.*

אורה דאבתנא, *Via Patrum nostrorum*. Interpres Chaldaeus usurpavit Proverb. 12. 28. ad significandum mores rebelles & refractarios, quales scilicet Israelitarum fuerunt in deserto. Huc facit quod Hof. 6. 7. pro כמדו *tanquam homo*, Jonathan interpretando posuit, כדריא קדמיה, *sicut atates prisca*. Nam ætates illæ olim malè audiverunt, quod sæpe ac nimis rebellarent ac deficerent à Deo vero ad Deos falsos, sive ad religionem vicinarum gentium.

119. *Favus mellis.*

צוף דבש, *Favus mellis*. In proverbio est de re dulcissima, ac animo gratissima; jucundissimæque. Proverb. 16. 24. *favus mellis sermones amœni*. Alibi est, *favum stillant labia extranea*: quod apud priscum interpretem, *favus distillans*: idem aliis verbis.

120. *Ponere messem.*

*Messem ponere* alicui eleganti metaphora dicitur, qui fenestram aperit ad nequitiam, sive ut Jonathan παρὰ φάλαξ, qui *initium facit peccandi*, h. e. qui occasionem & ansam præbet, & quasi exemplum, quod alii sequantur. Reperies eo sensu usurpatum & expositum Hof. 6. 11. יהודה שת קציר לך, *etiam juda posuit tibi messem*.

121. *Onager solitarius.*

פרא בודד לו, *Onager solitarius sibi*. ita verus interpretres: alius habet, *onager tantummodo studens sibi*. Vult dicere, qui sibi tantum vivit, vel qui sibi uni studet, præ-

PROVERBIA SACRA.

præterea nemini. Hof. 8. 9. *ascenderunt ad Assyrium onagram solummodo studentem sibi.* Perstringit Assyrium, qui suâ tantum unica causa laboraret, non aliorum, qui ipsius opem implorabant. Quadrabit & in hominem sui consilii, aut in istos ab atra bile, qui semper soli vivunt, nec amant versari inter homines.

122. *Porta mortis.*

שערי מות, *Porta mortis*, ut *Orci janua* apud Plautum: appellatio exitii proverbialis. Sic, *nova porta gehenna*: quod existat inter Tertullianica. In Erasmi adagiis, *Charontis janua* eandem sententiam continet. Psal. 9. 14. *qui me elevas de portis lethi.* Vide, *Ad fauces Orci.*

123. *E verriculo venari.*

*E verriculo*, sive *sagenâ*, *venari*, à piscatu sumptâ metaphorâ dicuntur, qui alicui struunt insidias, sive ut vitam ei adimant, sive ut bona & facultates diripiant, nihil refert. Mich. 7. 2. *איש את אחיו יצודו חרם*, *alii alics venantur sagenâ.* Habac. 1. 14.

124. *Dexterâ sinistrâque.*

Jes. 54. 3. *Dextrâ sinistrâque propagaberis*, valet, undique & quaque versum propagaberis. Ebraicè *ימינך ושמאלך תפרצי*. Posses huc accommodare quod in alio loco ejusdem Prophetæ, *Hac est via, ite illam, sive ad dexteram, sive ad sinistram iveritis*: ut sensus sit, quocumque tandem iveritis, nisi potiùs, eum huc vel illuc ibitis, sive quandocumque aliquid ibitis.

125. *E laqueo aucupis.*

מפח יקוש, *E laqueo aucupis.* Græcè *ἐν πλωγιδῷ* & *ἔξουθῆ*. Legitur in proverbii formâ Psal. 91. 3. pro, ex insidiis inimicorum. Simile, *E manu aucupis*. Tralatio utrobique ab aucupio sumpta est. Chaldaeus hic legit *מפחא ותקלא*, *e laqueo & tendicula.*

126. *Dorsum arare.*

Ut Latinè loquentibus, *proscissa terra, & proscissus conviciis*; sic Ebraicè, *Arare dorsum alicujus* est concumeliis & conviciis eum proscindere. Psal. 129. 3. *על גבי חרשו חרשים*, *supra dorsum meum araverunt aratores.* Sic explico Jes. 51. 23. *Posuisti ut terram dorsum tuum, & ut vicum transeuntibus*: ipse reproscindendum & conculcandum exhibuisti.

127. *Vivus in sepulcrum.*

Repentini interitus declaratio est Psal. 55. 16. in eo quod ait, *יירדו שאול חיים*, *Descendant in sepulcrum viventes.* Itaque Scholiastes Ebraeus exponit, *ימותו מיתה פתאום*, *Moriantur morte subitâ, repentinâ.* Potest legi, *vivus ad inferos*, eadem sententia. Nam *infernus* statum mortuorum significant, ut diximus.

128. *Arbor arida.*

עץ יבש, *Arbor arida*: de Spadone, qui ineptus est ad generandum. Metaphora nota, Jes. 56. 3. *Ne dicat Eunuchus, En ego arbor arida.* Jonathan, *Ego habeor pro ligno arido.* Interdum *arbor arida* vocatur, qui fructum virtutis nullum profert, h. e. homo malus & nequam.

129. *A vento auferri.*

Jsa. 57. 13. *אם כלם ישא*, *Omnes eos auferet ventus.* Mens verborum, ut si diceret, citissimè auferentur: nam vento nihil celerius. Et subauditur *in captivita-*

tem, aut tale quid. Aliter veritas, *omnes ipsi auferent ventum*, h. e. rem nihili. In quo duplex archaismus *אם כלם*, *omnes ipsi*, ut in proverbiiis apud Salomonem, *In sinum projicitur fors*, *את הגורל*. Hoc primum. Deinde *ישא* est pro *ישא* enallogè numerorum frequentissimâ in his libris. Hoc verum, prius tamen mihi placet, ac magis probatur: cui rei firmandæ erit quod Jes. 64. *Aniquitates nostræ ut ventus auferent nos*, Nam sensus, citò auferent nos.

130. *Aurâ tolli.*

In eodem loco *יקח הכל*, interprete Hieronymo, *tollit aurâ*: ergò *הכל* *aura*. In libro De nom. Ebraic. *Habel*, vapor. Lexica Chaldaica *הכל* *habitus*. Possset legi, *tollit vanitas*: quod Jonathan interpretando explanant *יהון כלמא*, *redigentur in nihilum*: nisi legendum *כלמא* per Chaph, *erunt tanquam nihil.*

131. *Caput transgrediuntur.*

Psal. 38. 5. *עונותי עברו ראש*, *Iniquitates meæ transgrediuntur caput meum*: ab aquis ductâ metaphorâ significat se in peccatis penitus demersum esse: ac si diceret, tam multæ sunt ut caput meum transcendant. *Vel superant caput meum*, h. e. capillos capitis mei, ut Psal. 40. 13. *Numerosiores sunt capillis capitis mei.*

132. *Ossa dispergere.*

לפזר עצמות, *Dispergere ossa*. Psal. 53. est vires infirmare, sive robur infringere. Declarat hoc Cæci paraphrasis, *Deus dissipabit robur exercitus improborum.* Metaphora à corporibus animantium, in quibus ossa à robore firmiora cæteris partibus.

133. *Larvam detrahere.*

Quod vulgò dicimus, *Larvam alicui detrahere*, reperitur Jes. 25. *conficiet velamentum*, quo velate sunt facies omnium populorum (ad verb. *Faciem veli obvelantis omnes populos, &c.*) & tegumentum, quo gentes omnes teguntur. Sanè recentior interpretatio habet, *Conficiet larvam, quâ larvati sunt omnes populi.*

134. *Sagitta volans.*

*βέλος πέλομενον*, *faculum volans*. Proverbialiter significat inevitabile periculum, aut citam perniciem, aut malum inopinatum ac repentinum. Exstat Psal. 91. 5. In Ebraico *חץ יעוף* *Non timebis interdium sagittam volantem.* Neque noctu, neque interdium, nunquam.

135. *Angario.*

Verbum hoc, usurpatum interpreti vulgato & Ulpiano J. C. metaphoram continet proverbialem, quæ ab angaris sumpta Regum tabellariis apud Perlas. Matth. 5. 41. *ὅστις σὲ ἀγγαρεύσει μίλιον ἓν, σὶ ἄγγαριabit ad miliare unum.* Hoc est, vi adiget ut secum eas. Sic Matth. 27. 32. *τὸν ἡγγαρεύσαν ἵνα ἄγῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ*, *Hunc angaria verunt ut portaret crucem*: vult dicere, coegerunt invitum. Est autem ex verbis peregrinis, quibus usa olim antiquitas in Judæa; neque Græcum est, sed Persicum, ut Suidas indicat. Thalmudistæ per periphrasin exprimunt: dicunt enim *facere angariam* eodem sensu; quod scribunt *אנגריא* *angaria*: quæ vox lecta mihi apud nescio quem Grammaticum Latinum. Vide opuscula mea.

136. *Aqua Noe.*

מי נח *Aqua Noe, sive Nochi*: ita vocatur aquae vis, quae Nochi aëvo universam terram operuit. Cœ-

terum in proverbio est de poena, quae semel inflata non amplius repetitur. Ut Jel. 54. 9. *Nam aqua Nochi hoc mihi est.* Vide sequentia.



JOH. DRUSII

# PROVERBIORUM

## CLASSIS SECUNDÆ:

LIBER V.

1. *Melle dulcius.*

**M**ellis dulcedo proverbii locum fecit, quo dicitur מתוק מדבש, *dulcius melle*, in excellentia dulcedinis. Nam nihil melle dulcius, ut habetur Jud. 14. 18. Exstat Psal. 19. 11. de judiciis Dei; & Psal. 119. 103. de eloquiis ejusdem, *Dulcuerunt palato meo supra mel.* Syrac. 24. 21. Τὸ δὲ μνημόσυνόν μου ὑπὲρ μέλι γλυκύς, *Memoria verò mea dulcis supra mel.* In eodem loco, καὶ ὑπὲρ μέλι Κυρίου, & *supra mel Domini.* Quid mel Domini? lego, ὑπὲρ μέλι Κυρίου, vel certe κηγίς, unius tantum literæ mutatione, ut sensus sit, *supra mellis favum.* Cur celem? κηγίς referunt libri Autuerpiæ culi. Ambrosius Sermon. 68. *Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior est?* Apoc. 10. 9. γλυκὺ ὡς μέλι, i. *dulcis ut mel.*

2. *Amarius absinthio.*

Absinthium herba est notæ amaritudinis. Inde proverbium כררה כלענר, i. *amarum ut absinthium.* Quod invenitur Prov. 5. 4. (*novissimum ejus tam amarum quàm absinthium*) de meretrice, cujus blanditiæ amarissimum semper exitum fortiuntur. Græcè legitur Apoc. 8. 11. πικρόν ὡς ἄψινθον. Hujus generis est, *felle amarius.* Porro לענר alii toxicum interpretantur; alii χολήν, i. *fel*; alii *absinthium*, quos securus sum.

3. *Velociores lupis vespertinis.*

Esse in genere luporum quos *vespertinos* Prophetæ vocant, quidam censent. Alii opinantur ita dici lupos quoslibet vespere grassantes. Horum velocitas in proverbio abiit, ut & Pardorum Habac. 1. 3. *leviores pardis equi ejus, & velociores lupis vespertinis*: ita vetus editio. Recentior quædam habet, *acutiores.* Perinde est. Nam *acutiores*, i. *velociores*, ut Rom. 3. 15. ὀξεῖς οἱ πόδες αὐτῶν ἐν χεῖμαί μοι, *acuti pedes eorum ad effundendum sanguinem*, i. *veloces.* Vide quæ scriplimus in, *Lupi vespertini.*

4. *Volat ut aquila.*

יעוף כנשר, *Volat ut Aquila.* h. e. perniciosissimè. Nam aquila mirâ pernicitate volat cœlum versus, aut ad escam, Prov. 23. 4. *Omnino facient sibi alas, ut aquila volabunt in cœlum.* Notabis hoc dici de divitiis. Non abibunt, inquit, sed avolabunt non simpliciter, sed

ut aquila, h. e. quàm citissimè. Ita est profectò. Nam ostenduntur veriùs quàm possidentur, & dum placent, transeunt. Dies quod donat, timeas, citò raptum venit, ait ille. Job. 9. 26. *Sicut aquila volat ad escam.* Deur. 28. 39. כאשר יראה הנשר, *quemadmodum volat aquila.* Vulg. editio habebat, *in similitudinem aquilæ volantis cum impetu.* Cur autem aquilam naturâ armaverit celeri volatu docet Ambros. Hexaem. lib. 5. cap. 14. ad hunc modum scribens, *sunt itaque aves, quæ carne vescuntur ut aquila. Ideò his unguis asperi, curvatum atque acutum os, velox volatus, quoniam raptò vivunt, ut possint facile corripere prædam, quàm sequuntur, præperèque vel ore vel unguibus eviscerare.*

5. *Magna ut mare.*

גדול כים, *Magna sicut mare.* Proverbium, quale apud Senecam Tragœdum in Medea, *maiusque mari Medea malum.* Legitur Thren. 2. 13. *magna ut mare contritio tua.* כים significantius reddas Græcè, ὡς ἡ θάλασσα cum articulo, qui otiosus planè non est. Nam innuit mare magnum, h. e. Mediterraneum, vel mare quod terram ambit, h. e. ipsum Oceanum.

6. *Leonculo fidentior.*

בוטח ככפיר, *Tam fudit quàm leonculus.* Proverbiale quod valet vehementer confidit, valde securus est: quod de viro justo dicitur Prov. 28. 1. Scitè utemur de magna securitate, si eam *leoninam* appellemus. Sic *leonina fiducia.* Dicit autem sicut *leonculus*, & non sicut *leo*, quia leonum adolescentia animosior quàm senectus. Porro *leonculus* est junior sive adolescens leo.

7. *Daniele sapientior.*

ככס מדינאי, *Sapientior Daniele.* Græcè σοφώτερος τῷ Δανιήλ. Daniel Propheta tantâ sapientiâ, tantâque visorum seniorumque peritiâ donatus fuit, ut in proverbium cesserit de rerum abditarum & latentium peritissimo, *Daniele sapientior*; quod Ezechiel Propheta ἐργονικῶς usurpat de Principe Tyri Ezech. 28. 7. *Ecce sapientior es Daniele, nihil occultum te latet.* Vide Dan. 1. 7.

8. *Leone fortior.*

Vim leoni tribuunt peculiariter, ut vulpeculæ astutiam & dolum, inde proverbium manavit גבור מוריה *leoni*

leone fortior; de eo qui à viribus & robore corporis plurimum valet. Nam leo bestiarum omnium fortissimus est, ut ait Salomo, Prov. 30. 30. Quod etiam demonstratur Jud. 14. 18. per hæc verba, *Quid leone fortius? q. d. nihil omnino.* 2. Sam. 1. 23. *Saul & Jonathan amabiles & decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi: aquilis velociores, leonibus fortiores.*

9. Aquilâ velocior.

Aquila in volando perniciosissimi imperus est, ita ut superet omne avium genus velocitate. Hinc proverbium manârunt *velocior aquilâ; & volat, ut aquila;* item; *Aquilam volare doces:* quorum postremum invenies in adagiis Erasmi. His adde, *Alis aquilinis,* de quo aliâs, 2. Sam. 1. 23. מנשרים קלו, *aquilis velociores erant.* Jerem. 4. 13. *Leviore sunt aquilis equi ejus.* Thren. 4. 19. *Leviore (aut velociores: nam idem verbum in Ebræo) sunt persecutores nostri aquilis cæli.* Thargum Cohel. 9. 11. גוברין אינון קלילין כנשרין, *i. viri isti veloces sunt ut aquila.*

10. Pantherâ velocior.

Habac. 1. 9. מנמרים קלו, *i. Leviore sunt pardis equi ejus.* Ita V. interpres. Recentiorum aliquis, *velociore sunt tigribus.* Tigris eâ velocitate esse memoratur ut quàm maximè pernicipem equum teret pluries assequatur, cursu retrorsum iterato. Adi Plinium lib. 8. cap. 18. Græca editio, ὑπερ παρδαλεις, *i. supra pantheras,* (Tigres & Pantheræ similes sunt varietate macularum) נמר pardalis. Glossæ vocum Arabicarum, *Nemer, pardalis, sylvaticus; Chanac ad Nemer, strangulator pardalis. Chanai, i. חנק: vel scribe חנק* Nam Arabes h. Hech in Chaph mutant. Quidam promiscuè utuntur his nominibus; *pardus, pardalis, & panthera.* Alii distinguunt, ita ut inter pantheras *pardalis* fœmina, *pardus* autem mas sit.

11. Lactē candidior.

לבן מחלב, *Candidior lacte.* Proverbium à lactis candore, sicut dicimus, *nive candidior.* Genes. 49. 12. לבן שנים מחלב, *Candidior dentibus lacte.* Vult dicere, *dentes habet lacte candidiores.* Ambrosius Serm. 68. *Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior est, non lacte candidior?* Thren. 4. 7. צחו מחלב V. interpres, *canduerunt supra lac: alii, nitidiores fuerunt lacte;*

12. Nive candidior.

Nivem atram esse decretum est Anaxagoræ. Sed communis sensus candidam esse decernit. Usque adeo ut proverbio dicatur *nive candidius esse,* quod valde candidum est. Psal. 51. 9. *ablues me, & supra nivem dealbabor.* In Ebraico מושלג אלבין: *cujus ea vis, ut si diceret, nive albior, aut candidior, ero.* Quod ita expressum in carmine Apollinarij.

Καὶ πολὺ λευκότερον χιόνι τελέσει μελοέσσα.

Jes. 1. 19. בשלג ילבינו, *alba erunt ut nix.* Thren. 4. 7. in Latina vulgata, *nive candidiores fuerunt.* Hic in Ebræo est מושלג וכו: *quod alii reddunt, mundiores fuerunt nive:* Matth. 28. 3. λευκὸν ὡσεὶ χιόν, *tam album quàm nix.* Marc. 9. 3. *vestimenta candida valde ut nix.* Apoc. 1. 14. ἰσχυρὸς λευκαὶ ὡσεὶ χιόν, *capilli candidi sicut nix.* Dixi nivem candidam esse. Hujus rei causam reddit Alexander Aphroditæus per hæc verba, *Nix maximè pellucet & cæteris candidior est, quia pluri-*

*mum habet aeris, & ex aqua constat, quæ elementa sunt maximè perspicua.* Nec dissentit Albertus in 2. Meteor. ita scribens, *Nix est alba, quia materia fit ex perspicuis: nam concreto in partibus divariato, omnes partes multum in se luminis recipiunt, & ideo sunt alba, visum tamen terminantes, ut in Crystallo.*

13. Luce candidior.

Etiam lux candida: unde proverbium *Luce candidior.* Matth. 17. 2. τὰ δὲ ἱμάτια αὐτοῦ ἐγένετο λευκά ὡς τὸ φῶς, *vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut lux.* V. editio Latina, *sicut nix, φῶς χιόν,* quomodo Marc. 9. 3. Notata hæc lectio in uno exemplari Græco. Vide Theodorum: φῶς, *lux, color, ignis,* ut ait Aristoteles: est autem is color albus cum splendore. Quare potiùs legerim apud Matthæum, *candida sicut lux.* Sed hoc leviculum.

14. Sole splendidior.

Vel lucidior. Quod Græcè legitur, ἥλιος φωτεινότερος Sirach. 23. 24. *nec intelligit oculos Domini millies sole splendidiores esse.* Et ἥλιος φωτεινότερος Nazianzenus Orat. 1. de filio, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ὄρει ἀσφαλτεῖ, καὶ ἥλιος φωτεινότερος γινέσθαι. Loquitur de Christo in monte formato.

15. Baculus in morem Aegypti.

בטח בדרך מצרים, *Baculus in morem Aegypti.* h. e. Aegyptiacus. Non uno modo exponitur. Exstat 10. 22. *baculum suum tollet in te more Aegyptiaco.* Si ad Assyrium referatur, significat onera & vestigalia; vel crudelissimum dominatum, qualis fuit Aegyptiorum in miseros Israelitas. Si verò ad Deum referatur, ut mox v. 24. *& tollet eum more Aegyptiaco,* tum vertendum erit, *& tollet baculum suum pro te in morem Aegypti,* hæc sententiâ, *tollet tyrannidem Assyriorum more Aegyptiaco, nempe ut Pharaonis tyrannidem olim sustulit.*

16. Lycium.

Quadrat in hominem asperum & tangi periculosum rapacemque ut lycium: quod est genus spinæ, quæ ab Ebræis quidem קרן, à Græc. verò πυξάκανθα vocatur. Vide quæ scripsimus lib. 1. Quæst. 2. Legitur Mich. 7. 4. *optimus eorum sicut lycium.* Vult dicere, tam asper tamque rapax quàm lycium.

17. Paliurus.

In dicto loco Michææ vetus editio legit, *Qui optimus ex eis quasi paliurus.* Est autem paliurus aculeata stirps, quam Læmnius noster in libello de herbis biblicis denotare ait *homines sanguinarios, & insidiosos, quique ad inferenda damna prompti sunt.*

18. Dentes leonini.

שני אריות, *dentes leonis.* In similitudine adhibetur de validis & acutis dentibus. Apoc. 9. 8. ὀδόντες αὐτῶν ὡς λέοντων ἦσαν, *dentes eorum ut leonum erant.* Loquitur de locustis, & expressit locum qui est Joel 1. 6. *dentes ejus dentes leonini.* Sirachides de peccato Eccles. 21. 3. ὀδόντες λέοντι, ὀδόντες αὐτῆ; ἀναρῆσθαι ψυχὰς ἀνθρώπων, *dentes leonini, dentes ei sunt, interimentes animas hominum.*

19. Molares leonis.

Molares ab Ebræis מחלעות vocantur, & à Græcis γόμ-

γόμενοι. Hi quemadmodum nascuntur ex duriore materia ac terrestriore, ira etiam duriores sunt, ac proinde tardius erumpunt. Hinc simile Joel 1. 6. & molares leonis ei: de locustis loquitur, quas dicit molares habere leoninos, vel ut in Ebræo, מתלעות לביני: quod non nemo interpretatur, molares immanis leonis; h. e. firmos, fortissimos & acutissimos.

20. Ut oves inter lupos.

כצאן בין הזאבים, Sicut oves inter lupos, figura proverbialis, quæ usurpatur, ubi quis in magno aliquo discrimine est: aut si quando vir bonus inter malos versatur, à quibus ei periculum ut ovibus à lupis. Matth. 10. 16. ἰδὲ ἐγὼ ἀποστέλλω υμᾶς ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων, Ecce, ego mitto vos ut oves in medium luporum.

21. Firmum ut Luna.

Psal. 89. 38. Solium ejus ut luna firmum erit in seculum. (Luna μήνη Græcis: fortè ἀπὸ τῆς μένης ἀεί, quod semper maneat. Per hanc Ægyptii sacerdotes in hieroglyphicis æternitatem significabant) Declarant hæc verba Christi regnum fore æternum, semperque duraturum. Nam lunæ cursus perennis ac perpetuus, aliter ac vultus, qui subinde mutatur; ex quo proverbium, mutatur ut luna; quod huic non adversatur, cum de facie dictum sit, quam variam & inconstantem exhibet luna, cursu firmo ac stabili, semperque eodem, & quidem perenni ac perpetuo.

22. Quasi per speculum.

Ὡς δι' ἐσόπτρου, Tanquam per speculum. Quando aliquid obscure videmus, & quasi per nebulam, ut Plautus loquitur. Siquidem speculum rei tantum imaginem repræsentat. Huic contrarium, Facie ad faciem. Reperitur 1. Corinth. 13. 12.

23. Meditationis in morem.

כמו הגור, Sicut meditatio, vel cogitationis in morem. Summam celeritatem significat. Nihil enim celerius mente ac cogitatione. Declarat id Thalesis apophthegma, τάχιστα νοεῖς, διὰ παντός γὰρ ἵρρεχει, celerrimum quid est cogitatio, currit enim per omnia. Psalm. 90. 9. consumpsimus annos nostros meditationis in morem: h. e. celerrimè. Quidam referunt, tanquam sermonem, id exponunt, dicto citius. Nam verbum Ebræum hoc etiam significat. Sed causa est cur malim, tanquam cogitatio. Simile apud Græcos ὡσεὶ νόημα, eo usus Homerus ὄδυσε, ἢ. ad exprimendum navium velocitatem, τῶν νέες ὡσεὶ πλερὸν, ἢ ἐ νόημα. Utitur quoque Theognis illo versu,

Ἄιψα γὰρ, ὡς τε νόημα, παρέρχεται ἀγλαὸς ἤβη.

Quem sic Latinum fecit multæ eruditionis Vir Petrejus Tiora Frisius,

Namque fugit, potiusque volat formosa juvenis.

Vix animus tantâ mobilitate viget.

24. Silice durior.

קוק מוצר, Durior, aut firmior silice. Exstat Ezech. Quidam legunt, ut adamantem silice durior: dubito an rectè. Nam adamas omnis silice durior. Potius est ἀσύνδετον, sive mavis appellare dialyton, reddam frontem tuam ut adamantem, & silice, vel oavte, aut petrâ, rupere durior. Frons silice durior, quæ nullo pudore superatur, h. e. impudentissima, et si quid gravius

dici aut fingi potest. Nam adamantis duritia inenarrabilis.

25. Frater draconum.

אח לתנים, Frater draconibus, vel draconum. Dicitur in eum, qui planctum horribilem edit: qualis est draconum scilicet, cum ab elephantis vincuntur. Hoc sensu legitur Job 30. 29. Frater fui draconum, & socius pullorum struthionis. Hic frater valet, similis, ut in illo, frater est aforti. Vide Miscellanea mea.

26. Socius pullorum struthionis.

רע לבנות יפנה, Socius pullorum struthio cameli. Exstat in loco memorato. Quadrabit in eum, qui modum lugendi nullum facit, quive luctu acerbo conficitur, & quasi contabescit. Vide luctus qualis pullorum struthionis. Huc refer quod Thren. 4. 3. Similis struthionibus in deserto, nempe quia in maximo luctu erat propter hostium sævitiam & crudelitatem. In his locis recentiores quidam posuerunt ululas pro struthio camelis; quod interpretantur de vociferatione funesta, qualis est ulularum vox.

27. Pardus in via.

נמר עלדרך, Pardus in via; vel, panthera juxta viam. Pardus animal est crudele ac sævum, eos qui iter faciunt in via observans, & cum impetu irruens, ut non possit ullo modo evadere, si quis in ejus rabiem incidit. Hinc sumptâ comparatione Deus apud Prophetam Hof. 13. 7. Fui eis, inquit, tanquam leana, velut pardus juxta viam grassans. Alia interpretatio, velut pardus in via specularis sum. Jonathan, sicut panthera insidias faciens juxta viam. Cui interpretationi firmandæ est locus qui habetur Jer. 5. 6. pardus vigilans (ad insidiandum) juxta Civitates eorum. Quod alii convertunt, pardus observans, aut festinans, ad civitates eorum. Coeterum Panthera vulgò Leopardi nomine innotuit. De his scribit Joh. Leo in hunc modum; Leopardi degunt in silvis Barbaria, neque homini cum robusti sunt & crudeles nocent, nisi in angusto calle obvii, illi autem cedere non possint, aut lacesantur: in quem irruentes unguibus vultum eorum prehendunt, tantumque carnis auferunt, quantum prendunt, & plerumque cerebrum homini perfringunt. [Leopardi propriè qui ex læna & pardo procreati, de quorum animalium congressu. Vide Plinium lib. 8. cap. 16.]

28. Leana.

In citato loco Hof. ubi posuimus, tanquam leana. Græca Ecclesia legit ὡς πάνθηρ, i. ut lupus cervarius (male interpret quasi panthera: mox enim tibi sequitur ὡς πάρδαλις.) Posterior interpretatio, tanquam vetus leo. Est autem הלשה in Ebræo, inter leonum vocabula significationis non ad eò certæ. In Apologis Ebraicis usurpatur pro leone. Sic etiam interpretatur Hier. Prov. 26. Ut ut sit, Plinius Autor hanc leonis naturam esse ut prostratis parcat, clementiæque utatur erga supplices. Hanc naturam probè refert Deus Opt. Max. Nam ita sævir in peccatores, ut tamen eos in gratiam recipiat, si resipuerint, nec lædat supplices. Hoc notare volui, & simul illud, allusisse videri posse ad hunc locum Sira-chidem, ubi sic scribit: Immittere in illos tanquam leo & sicut pardus vastabit eos. Græca sunt, ἐπαποσαλήσει-ται

Ται ἀύλοϊς ὡς λέων, καὶ ὡς πέρδαλις λυμανεῖται αὐτῶς, Ecclef. 28. 27.

29. *Struthione crudelior.*

Scriptum est Thren. 4. 3. in versione vulgata, *Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto.* Ad hæc verba notatum invenimus in glossa ordinaria, *Struthio ponit ova, & abscondit sub sabulo, nec fovet ea:* & apud Nicolaum, *Struthio ponit ova, & abscondit in arena, & sic demittit, nec est sollicita de foru ovorum, nec de educatione pulloꝝ.* Consentanea his scribit Hier. Mich. 1. *Struthiones immemores sunt ovorum suorum, & quasi non peperint, in arena calcandos pedibus bestiarum relinquunt, de quo in Job plenius scribitur.* Locus autem quem ibi laudat, habetur Job. 39. in dicta versione, *Quando derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Duratur ad filios suos quasi non sint sui, frustra laboravit nullo timore cogente. Privavit enim eam Deus sapientiã, nec dedit illi intelligentiam. Cùm tempus fuerit in altum alas erigit: Occidet equum & ascensorem ejus. Quæ de Struthione prolata ostendunt eam esse primùm obliuiosam, deinde crudelem, tum stolidam, postremò velocem.* His præmissis redeo ad nostrum proverbium, quod dici non convenit in eum, qui crudelis est in propria pignora. Quadrabit etiam in hominem ἀσέγγυον, qui nullo affectu est in suos. Nam struthio neque ova incubatu fovet, ut diximus, neque pullos nutrit. Hunc sensum præferunt & verba Ebraica, si veritas, *Filia populi mei ob crudelitatem est similis struthionum in deserto: & affectum aut animum subintelligas; non hostem, ut quidam faciunt, quorum tamen sententiam non improbo: Nam potest sensus esse, Filia populi mei propter hostis crudelitatem versatur in acerbo luctu, perinde ut pulli struthionum, qui deserti à parentibus luctum edunt in deserto, qui struthionum luctu dicitur, & in proverbium cessit, ut suo loco, Deo volente, ostendemus. Vide quæ scripsimus in, socius pulloꝝ struthionis.*

30. *Acuta sagitta.*

הן שנון, *Sagitta acuta.* Qui falsum testatur, vocatur *sagitta acuta.* Nam jugulat eum adversus quem testatur. Prov. 25. 18. *Sagitta acuta est is, qui contra proximum suum falsum testimonium dicit.* Jer. 9. 8. in versione Jonathæ, *ut sagitta acuta est lingua eorum.* Chald. est כגיר די טורח, *sicut sagitta que acuta est.* Quod ex Ebræo alii reddunt, *sagitta extensa;* alii, *sagitta jugulans.* Psal. 120. *Quid tibi dabit, quidve addet lingua dolosa? Sagittas robusti acutas: vult dicere à robusto milite emissas: h. e. citam ac certam perniciem adferet. Tralatio à sagittariis militibus, qui sagittas suas acuere solebant, quod certius ac celerius interimerent.*

31. *Cervi sitis.*

*Tam sitis quam cervus;* de eo, qui siti immodicâ & intolerabili torquetur. Nam cervus post comestas serpentes, unde interiora nimis incalescunt, dici non potest quam sitiat: ex quo illud, *sicut cervus desiderat aqua fontes.* Vide Miscel. cent. 1. c. 2.

32. *Quadrigæ Amminadabi.*

In Latio quadrigis abire valet Proverbiali sermo-

ne numero & celeriter abire. Hinc simillimum Cant. 6. 11. *Animus meus imposuit me quadrigis Amminadab.* Nam sensus est, citis quadrigis vexit me in horum nucis, h. e. celerrimè. De quadrigis Amminadabi non alibi mentio, quod sciam. Credibile est eo tempore proverbium fuisse cùm significare vellent citas quadrigas ac celeres. Porro duplex forma nominis Amminadab & Amminadib: quarum posterior nunc in Ebræo.

33. *Fugit ut caprea.*

Adhibetur ad significandum rei properatæ celeritatem, ut Prov. 6. 5. *Elabere tanquam caprea è manu:* & Sirach. 27. 22. ἐξέφυγεν ὡς δορκὰς ἐν παγιδῶ. i. effugit ut caprea è laqueo. *Ut caprea, i. velocissimè:* Caprea Græcè δόρξ, media est inter capram & cervum: illam enim corporis figurâ refert, huic ramosis cornibus, & pedum pernitate assimilis.

34. *Capreis velocior.*

Hinc est כצבאי כרגלי ק, i. celer pedibus ut caprea: quod proverbii formâ dicitur de eo, qui cursu valet: 2. Sam. 2. 18. *Celer pedibus ut caprearum aliqua, qua in agro.* 1. Paral. 12. 8. *Similes capreis in montibus pernitate.* Additum in montibus, quia caprea montes percurrunt mirâ pernitate. Josephus Gorionis F. hist. Jud. 1. 6. c. 82. *Celeres ut caprea, montium vertices celerrimè pervadentes.* Cant. 2. 9. *Vox dilecti mei, ecce illum, venit saliens super montes, saltans super colles. Dilectus meus par est caprea* (דומי לצבאי) *vel hinnulo cervorum.* Et 2. 17. *Similis esto caprea hinnulove cervorum in montibus Bather.* Et 8. 4. *Fuge, mi dilecte, similis esto caprea, hinnulove cervorum in montibus aromatum.*

35. *Arenâ ponderosior.*

Arena propter gravitatem difficulter ferri potest: facilius tamen eam teres, quàm hominem stultum & imperitum. Hoc significat Siracides ad hunc modum scribens, *Arenam & salem & ferri massam ferro facilius est, quàm hominem imperitum,* Sirach. 22. 17. *Rufus arena ponderosa est, verùm ira stulti multò ponderosior.* Hanc sententiam extulit Salomo his verbis, *Gravitas est saxi, & pondus arena, sed utroque gravior stulti indignatio.* Prov. 27. 3. Græci hoc referunt, βαρύ λιθῶ καὶ δυσβάστακτον ἄμμου. ὁρμηδὲ ἀφρονῶ βαρύτερα ἀμφοτέρων, i. *Res quidem gravis est saxum, & onerosa arena: verùm ira stulti gravior utroque.* Similitudine docet hominis vesani bilem & amentiam omninò intolerandam esse, aut saltem eam ferre quovis pondere gravius esse.

36. *Columbâ simplicior.*

Vel, *simplex, ut columba.* Proverbium ab animantis natura de homine simplice minimeque malo aut noxio. Matth. 10. 16. & *simplices sicut columba:* simplices, i. integri, ex Hebræo טימן, quo usus ad hunc locum interpret Syrus: aut *innocentes* ex Græco ἀνέγκαιος, quod Evangelista usurpavit. Nam ἀνέγκαιος [Metaphora ab animantibus, quas natura cornibus armavit: nam κέρασ cornu] innoxii sive innocentes, vel certè sinceri, ut à κέρδος deducatur. Consule, si placet, Theodorum. Et quoniam ut imbellis columba prædæ aliarum avium exposita est, ita homines simplices injuriis aliorum obnoxii sunt, cùm stulti hominis sit non cavere ea, quæ

quæ cavenda sunt, ideò præcedit, *Estote prudentes sicut serpentes*: nempe ne circumveniamini ab aliis. Nam serpens cautè vitat hominem, quem sibi infestum esse novit. Simul ergò sint prudentia & simplicitas, quæ si divellantur, neutra est admodum experenda. Nam simplicitas absque prudentia stulticia est: contrà prudentia, quæ est remota à simplicitate, calliditas potiùs quàm prudentia dicenda est.

37. *Serpente prudentior.*

Vel, tam prudens quàm serpens. Quod Græcè in Matthæo, γίνεσθε φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις. Natum ex interpretatione LXX. Gen. 3. 1. ὁ δὲ ὄφεις ἦν φρόνιμώτατος πάντων τῶν θηρίων. Et serpens erat prudentissimus omnium bestiarum. Huc facit illud Hermippi, τὴν μὲν δὲ λέκλον καὶ τὸ πρόσωπον ἀμνὸς ἔχειν δοκεῖς, τὰ δ' ἔνδον ἄδεν διαφέρετε δὲ ἀκονί. quorum verborum hic est sensus, ut dicat eum intus referre prudentem draconem; & extrà autem & facie & loquelâ agno similem esse. Apud Ambrosium lego, De fide lib. 3. cap. 7. *Estote, inquit, astuti sicut serpentes, & simplices sicut columba: præmittitur astutia, ut sit tuta simplicitas, i. πανεργία, & πανεργία.* Vide sequens proverbium.

38. *Serpente cautior.*

ערום כנחש, *Cautus ut serpens, sive cautior serpente*: quod tamen Ebraicè diceretur מנחש ערום. Idem planè est cum superiore proverbio. Nam adhibetur de eo, qui cautè malum devitat, quod est prudentiæ: ערום cautus; vulgò astutus: sed hoc vocabulum non nisi in malo ponitur. ערמוּר etiam in bono usurpatur pro εὐλάβεια, quam Stoici cautionem vocant. Est autem cautio declinatio à malo cum ratione: unde dicunt, *Cautio devitat malum, quod debet sapiens devitare.* Hoc sensu interpretes usi sunt aliquoties verbo *astutia*. Sic Græcè in novo Testamento πανεργία est prudentia quâ malum declinamus absque malitia & metu. Vide Aug. De Civit. Dei. l. 14. c. 8. Denique huc respexit Babilus, cum scriberet esse quandam καλὴν καὶ ἐπανετήν πανεργίαν, *Honestam atque laudabilem astutiam.*

39. *Passer solitarius.*

צפור בודד, *Passer solitarius*: h. e. solus & sine compare degens. Dicitur potest in eum, qui vitam solitariam & anxiam vivit: vel quadrat in eum, qui ab omnibus deferitur. Hoc sensu Vir sanctus dixit Psal. 102. 8. *Fui tanquam passer solitarius in tecto.* צפור aliquando *avis* significat; unde nata Hieronymi versio *ut avis solitaria*, quam probarem, nisi sequeretur, *in tecto* Cæci periphrasis, בלחודר, היך צפר דפרחוניד בלחודר, *ut passer qui volat & vagatur solus.* Cæterum in codice regio abest דפרח ut opinor, non malè: apparet enim glossema esse. צפר דניד בלחודר, *Latinè passer solivagus.* Græcè dicas elegantè, σελπιον μονάζον.

40. *Ignis spinarum.*

אש קוצים, *Ignis spinarum* est ignis è spinis accensus. Porrò ut spinæ celeriter ignem concipiunt; ita ignis ille citò extinguitur; unde nota similitudo, quæ habetur Psal. 118. 12. *Extincta sunt ut ignis spinarum*; cujus ea vis ac si diceret, extinctæ sunt numero & celeriter. Sic Cohel. 7. 6. *Qualis crepitus spinarum sub olla, talis est risus stolidi*: vult dicere, brevis est, nec diu durat.

41. *Erro ut pecus.*

תעיתי כשה אובר, Verba Davidis, Psal. 119. 176. *Erro ut pecus perdita*, hanc sententiam continent, sic erro, ut redire in viam non possim, nisi tu me reducas: ideò subjicit, *Require servum tuum*, nempe ut homo perditam ovem requirere solet. Vide Luc. 15. 4.

42. *Beta semicocta.*

Beta semicocta, h. e. σεμλιον ημελεθρον, quis dicatur, ostendit Hier. in Comment. Jes. 51. ita scribens. *Porrò qui inter vitia atque virtutes medius fluctuat, & duplice corde accedit ad servitutem Dei, iste rectissime vocatur beta semicocta: ad quem & in Apocalypsi Johannis loquitur Deus, Utinam aut calidus esses aut frigidus: nunc quia tepidus es, evomam te.* Legitur in citato loco Jelajæ apud Græcos interpretes, quos Hier. suspicatur legisse תורד תוא, *Ita Syri, inquit, betam vocant: & rectè.* In Lexico Thalmudico Nachani, תררו בלישוי, quod interpretor *blites*, ut תרד sit *blitum*. Scribo autem תרד vel תרד: & in numero multitudinis תרדין, non, ut Munsterus, תרדין nam ex תרד analogia postulat תרדין, aut תרדין: quod sine punctis scriberetur תורדין.

43. *Beta cruda aut cocta.*

Beta, inquit Hier. *genus holeris est vilissimi & fragilissimi: & aliquantò post, Qui semel incredulus est appellatur beta cruda. Qui autem simplici contentus fide absque ratione & dogmatum veritate facit opera justitia, potest dici beta cocta.* Habentur hæc verba in eo loco, quem modò allegavi. Quæ ut reperi, ita posui: fides penes Hieronymum esto.

44. *Oryx illaqueatus.*

Facta mentio interpretationis Græcæ non finit me præterire intactum id quod in Ebræo. Ibi legimus כתוא מכמר: id Hier. interpretante valet, *sicut oryx illaqueatus.* Priùs Græci verterant תוא, σεμλιον, i. beta: sed interpretes qui secuti sunt, pro beta oryxem substituerunt; inqueis & Hieronymus, cujus verba hac de re non pigebit adscribere. At igitur in Commentariis ad hunc locum, pro beta semicocta, reliqui interpretes oryxem captum & illaqueatum transtulerunt, qui Ebraicè appellatur Tho, quod genus bestia nascentis in eremo, inter munda animalia in Deuteronomio ponitur. Huc usque Hieronymus. Locus Deuteronomii, ubi ea vox ponitur, est c. 14. v. 5. scribitur ibi תוא, transpositis literis. Thargum Onceli refert תור בלא, Glossæ Arab. Thur. balab, *bos sylvestris.* בלא, inquit R. Sal. *Sermone Syro est יער, i. sylva.* Puto idem esse quod ברא, Resch in Lamed mutatâ, usitatâ harum Literarum alternâ migratione. Sic Anabula ענא בלא, *ovis fera, camelopardalis*; quasi ענא ברא, *ovis agrestis.* Ergò תוא מכמר *bos ferus irretitus.* An rectè, iudicium esto eorum, qui has res intelligunt: nam imperiti de talibus judicare neque possunt, neque debent.

45. *Avidius quàm quis panem vorat.*

Ad proverbialium classem referendum quod habetur Psal. 14. 4. אכלו עמי אכלו לחם, *qui populum meum edunt, ac si panem ederent*: vult dicere, tam avidè

dè quàm si panem ederent. Simili figurâ dictum à Comico,

*Tam facile homines occidebant, quàm canis extra edit.*

46. Locustæ.

כחגבים, *Quasi locustæ, vel locustarum similes*, dicuntur homines brevis staturæ ad comparationem vasti corporis. Num. 13. 34. *Videbamur esse locustarum similes.* Jes. 40. 21. *Habitatores ejus sicut locustæ.*

47. Fluvius pacis.

Ut mare auri. Vel, magna ut fluvius pax tua, sicut legimus, magna ut mare contritio tua. Jes. 45. 15. & erit sicut fluvius pax tua: h. e. magna, abundans, copiosa. כנהר *ὡς ὁ ποταμὸς*, quod potest de Nilo accipi, qui fluvius est Ægypti, stato tempore totam eam regionem inundans: potest etiam intelligi de Euphrate, secundum Jonathæ sententiam, qui vertit, qualis exundans fluvius Euphratis. Fortè per fluvium mare designat, ut in illo, fluvius circumdedit me: quod exposuimus alibi, mare circumdedit me: Nam mare est receptaculum omnium fluviorum.

48. Prunæ juniperine.

גחלי רתמים, *Prunæ juniperorum.* Alius interpretatus est, *prunæ genistarum*: adhiberi potest ubi quis animi odium vultu aut verbis occultat. Ferunt enim prunas hujus arboris ignem multo tempore conservare, cum extra mortuæ aut extinctæ videantur. Quod notatum in Scholiis Ebraicis ad v. 4. Psalmi 120. Notavit idem Hier. epist. De 42. mansionibus, mansione 15. cujus verba non gravor adscribere; *Rhitma transferatur juniperus; quanquam plerique ἀξενδον apud Græcos aliud genus arboris significare contendunt. Juniperum autem & primus Graduum Psalmus, juxta veritatem Ebraicam sonat, ubi scriptum est, Quid detur tibi, aut quid opponatur tibi ad linguam dolosam? & Propheta responder. sagitta potentis acuta, cum carbonibus juniperorum, pro quo apud nos legitur, desolatoriis. Ferunt lignum hoc ignem multo tempore conservare, ita ut, si prunæ ex ejus cinere fuerint operta, usque ad cennum perveniant.*

49. Gutta è situla.

Hominem minimi pretii, & qui nihili fieret, *stilla aqua* comparabant, vel quod idem, *gutta è situla.* Nam quid guttâ vilius? Jes. 40. 14. הן גויים כמר מרלי, *ecce gentes ut gutta è situla: q. d. pro stilla habentur, non pluris sunt quàm gutta aquæ.* Paulò post idem apertius dicit, *nihili sunt apud eum.* Genus sermonis planè proverbiale. Ad hanc formam pertinet.

50. Ut statera momentum.

וכשחק מאזנים, *Et tanquam statera momentum.* Sic vertit interpres vetus קחש momentum, non ῥοπή, sed quod vocant *granum*, σιγάριον. Vel est minutus pulvisculus, puramentum, aut πασπάλη, aut ceris rubigine obducti mica, aut tale quid. Legitur in loco citato apud Jafajam.

51. Minus nihilo.

מאפס, *Minus quàm nihil, & כאין, tanquam nihil.* Jes. 40. 16. rursus מאפס quale id quod nusquam est, Jes. 41. 12. & alia id genus proverbii naturam resipiunt.

52. Quasi nubem.

Jes. 43. 22. *Delevi quasi nubem densam scelera tua, & quasi nubem peccata tua.* Hic est כענן in Ebræo: ubi est כענן, utrumque idem significat, nisi quod ענן *nubes* dicta propriè à densitate. Sensus est, ut Sol nubem delet, ita scelera tua delevi: aut delevi quasi nubem scelerum tuorum, h. e. mala & tristia, quæ propter scelera sustinebas, aut *nubem scelerum, ut nubes testium*, scelera multa & grandia; aut scelera, quæ tanquam nubes erant inter te & me. Vide Jes. 59. 2. Quidam legunt, *delevi ut nubes scelera tua*, nimirum ut nubes abluat fordes terræ, cum pluviam effundit.

53. Oves perditæ.

*Oves perditæ* vocantur peccatores & quicumque aberrant à via virtutis, sive à grege Dominico, h. e. ab Ecclesia & cœtu fidelium; ut in illo, *Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel.* Vide Luc. 15. in principio.

54. Cervini pedes.

רגלים כאילנות, *Pedes tanquam cervorum.* Proverbii formâ dicitur de velocissimis. Quod sumptum ab ejus animantis pernitate, quæ tanta est, ut Ægyptii sacerdotes in Hieroglyphicis non aliter velocitatem significaverint, quàm per cervum currentem. Nec multum sanè interest cervorum dicas, an cervarum. Nam par velocitas utriusque sexus: nisi fortè velociores fœminæ, cum pondere nullo supervacuo graventur. Certè cum grandis illa & multifida cornuum magnitudo in maribus magis eis obest ad cursum quàm prodest. Hoc igitur responderi poterit quærenti, cur in libris divinis ubique lectum *pedes tanquam cervarum*, nusquam cervorum. Quanquam sunt qui existiment *cervarum* positum iis in locis pro *cervorum*. Potest ita esse, neque id refellere mihi animus, cum sciam apud Græcos eandem anallagen esse. Nam Attici cervum marem τὴν ἐλαφον dicunt cum articulo fœminino, ut in proverbio οὗ αἱ ἐλαφοὶ τὰ κέρατα, quod reddunt Latine, *ubi cervi cornua: cervi, inquam, non cervæ, quàmvis in Græco αἱ ἐλαφοί, quod de fœminis intelligi neutiquam potest, cum cornua nulla habeant.* 2. Sam. 22: 24. itémque Psal. 18. 34. *ponit pedes meos ut cervarum: pro quo alii referunt, adequat pedes meos cervinis* quod etsi perinde est, tamen prætulerim, *ponit*, ut Hab. 3. 19. *Posuit pedes meos tanquam cervarum;* ubi est וישׁוּ in Ebræo, nempe interpretamentum משׁוּה ut dubitare de eo ampliùs neminem oporteat.

55. Cervæ partus.

Usurpari potest pro difficili admodum. Nam cervæ, quia matricem habent angustam, difficillimè pariunt, cujus rei testis Camius Scholiafles, homo Ebræus. Plinius quoque scribit eas ante partum uti herba, quæ fefelis vocatur, quò faciliore utantur utero. David Propheta ubi describit vim & efficaciam vocis Dei, h. e. tonitru, inter alia ait, *Vox Domini parturire facit cervas.* Psal. 29. 9. Ad quem locum Scholiafles is quem modò nominavi, *Nam cervæ gravida, inquit, audito tonitru quasi metu consternatæ ac perterritæ pariunt.*

56. Planta olearum.

Psal. 128. 3. בניך כשתולי זיתים, *Filii tui sicut planta olearum.* Cur liberos hominis pii similes facit plantis

olearum? An quia olea perpetuò viret? an potius respexit ad naturam oleæ, cui nulla arbor inferi potest? ut significet eos legitimos non insitivos aut spurios esse. Dixi oleæ nullam aliam arborem inferi. Hoc testatur David Scholiastes Ebræus ad hunc locum, cum ita scribit, *הוית לא מקבל הרכבה*, *olea non admittit insitionem*. Nam *רכבה*, *insitio*, nisi fallor.

57. *Cor leoninum.*

*לב אריר*, *Cor leonis*, i. leoninum. 2. Sam. 17. 10. *cujus cor quale cor leonis*. Gotionides hist. suæ l. 4. c. 20. & *cor tuum simile cordi leonino, quod non dissolvitur, neque extimescit*. Qui tale cor habent, eos Græci vocant *δυσολέοντα*, quasi præditos animo leonino, h. e. generosissimo. Nam leo animal est omnium generosissimum: itaque Ægyptii cum magnanimitatem significare vellent, leonem pingebant. Joh. Leo in descrip. Africæ lib. 9. *Leo tanti animi est, ut ducentos equites invadere audeat, ex iis que quinos & senos interficiat. Nam robore aliis animantibus antecellit. Hujus oppositum Cor cervi apud Homerum.*

*κενὸς ὄμμα ἔχων, καρδίην ἑλάφω.*

de quo aliàs.

58. *Rugitus leoninus.*

*נהם ככפיר*, *Rugitus tanquam leunculi*. Proverbiale ex eo, quod leo rugitu suo terrorem incutiat cæteris animantibus. Nam terror leonis primùm in oculis, deinde in rugitu: quo terribilis adeò est, ut dixerit Propheta Amos, *leo rugit, quis non timeat?* Ambros. Hexaem. lib. 6. cap. 3. *ejus voci (leonem intelligit) tantus naturaliter inest terror, ut multa animantium, que per celeritatem possunt impetum ejus evadere, rugientis ejus sonitu, velut quadam vi attonita atque icæta deficiant*. Hinc lucem facies Salomoni. Prov. 19. 12. *rugitus instar juvenis Leonis est ira estuantis Regis: & 20. 2. rugitus instar leonuli est terror Regis; qui eum provocat, peccat in animam suam*. Huc refer, qui alioqui de singulari loco providendum esset, *leo rugiens usurpatum in epist. Pet. de Diabolo, qui dicitur tanquam leo rugiens circumire, quærens quem devoret: & de Rege aut Magistratu improbo*. Prov. 28. 15. *Leo rugiens & ursus discurrens est dominator improbus tenui plebecula*.

59. *Paries inclinatus.*

*קיר נטוי* *Paries inclinatus*. Quadrat in eum, qui exitio propinquus est, sive cujus ruina non procul abest; sumptâ videlicet metaphorâ à parietibus inclinantibus, & propendentibus in casum. Græcè *τοῖχος κεκλιμένον*. Aptè torquetur & in hominem senem, qui ætate confectâ ad mortem vergit; aut in hominem infirmum, qui levissimo momento impulsus corrui. Exstat in odis Davidicis, eo loco quem mox adducam.

60. *Maceria impulsâ.*

*גדר החוויר*, *Maceria impulsâ*, *גדר* est murus è congeitis lapidibus sine calce cemento, quem si quis impulerit facillimè conveller. Ergò quicumque ad ruinam quovis modo propensus est, proverbialiter dicitur *maceria impulsâ*, ductâ tralatio ne à lapideis agorum hororumve sepimentis. Psal. 62. 4. *interficiemini vos omnes, quasi paries inclinatus, maceria impulsâ*, Sub. estis. Verba sunt Prophetæ de hostibus suis, quibus denun-

ciat propinquam ac impendentem eorum perniciem. Atque hoc quidem secundum lectionem Ben Aser. Nam est lectio alia apud Ebræos secundum Ben Naphtali, quæ hanc sententiam continet, Vos omnes me interficere conamini, me, inquam, qui sum vestrà opinione quasi quidam inclinans paries, & impulsâ maceria ad cadendum vicina. Hanc lectionem secuti sunt interpretes Græci: quos noster ita in Latinum convertit, *interficietis omnes vos tanquam parieti inclinato, ac maceria depulsa*.

61. *Perdicem in montibus persequi.*

*ירדף קורא בהרים*, *Persequitur perdicem in montibus*. Apparet dici de labore vano ac molesto. Nam talis est, ut plurimùm, labor eorum, qui in montibus venantur perdices, partim propter earum avium solertiam, quâ uti perhibentur in fallendo aucupe, partim propter montium inæqualitatem, per quos discurrentes plurimùm defatigantur. Legitur 1. Sam. 26. 28. *quia egresus est Israelitarum Rex ad quærendum pulicem unum, quemadmodum persequitur perdicem in montibus*, Sub. *auceps*, aut alius quispiam. Sunt verba Davidis, quibus innuit Saulis operam, quam ponebat in se persequendo non solum laboriosam, verùm inutilem ac frustraneam esse. Siquidem David Numinis favore talis celerrimè per montes fugiens, quasi quædam avis subinde ex uno loco migrabat in alium. Atque huc respexisse mihi videntur, qui eundem avem nuncupant, Psal. 111. 1. dicentes, *fuge in montem vestrum, avis: nisi melius, tanquam avis, i. celeriter*. Porrò verbum *ירדף* quod nos reddimus, *persequitur*, Jonathan transfert *ἀποπαύσῃς*, sicut fugatur perdix in montibus, Quod ad sententiam attinet, fortassis erunt, qui eam, quæ à nobis prolata est, non probabunt: sed proferant sanè illi meliorem, si possint. Nos duo notavimus, quorum alterum sumptum à natura perdicis, de qua Plinius Hist. nat. lib. 10. cap. 33. Alterum sumptum est ex loci circumstantia. Quod si quis addi velit tertium, nimirum contentionem & diligentiam, quam adhibere solent in aucupio perdicum, non repugnabo.

62. *Ponere ut stercus.*

Nah. 3. 16. *שמתיך כראי*. Scholia Ebraica enarrant, *ponam te ut stercus*, q. d. efficiam ut homines te habeant pro stercore: h. e. ut non solum vili pendant, sed etiam fugiant ac detestentur. Sic Apostolus *πάντα ἡγέμαι σκύβαλα εἶναι ἵνα χριστὸν κερδήσω* *omnia duco pro stercore ut Christum lucrifaciam*. רמי *ergò זבל sordes, excrementum*: nempe idem quod *מורארה*. Lev. 1. 16. Soph. 3. 1. ut quidem visum Camio & aliis interpretibus Ebræis. Nam Græci aliter hunc locum, & meo iudicio melius interpretantur, *θήσομαι σε εἰς παραδειγμα*, h. e. *edam in te exemplum, vel exponam te ostentui, ut apud Sallustium, fugatha scelerum ostentui esse*. Nec etiam temerè convertas, *ponam te in despectionem*. Nam *ראי* *despicere*. ut Job. 41. 25. *את כל גבוה יראה* *quicquid est altum, despiciet*. Sic Cant. 1. 6. *אל תראוני* *ne despici te me*: ubi tamen aliis *ne respici te ad me*: nec improbo. Nam etiam verus interpres habet, *Nolite me considerare*.

63. *Aque ritu diffluere.*

Scholia Ebraica dicunt esse proverbium de meru, h. e.

h. e. quod metum & pavorem innuit. Ergo cum ait Vir sanctus Psal. 22. 14. כמי נשפכתי, *tanquam aqua diffluxi, sive diffusus sum*, significat se in magno metu esse. Quod valde facit illud Jer. 7. 5. *dissolutum est cor populi sicut in aquam*. [LXX. ἐγέλετο ὡς περὶ ὕδωρ. Hieron. *ad instar aqua liquefactum est.*] Ebraicè וימס לים q. d. animus populi magno timore percussus fuit, eum ingens occupavit metus, labefactavit timor. Nam *in aqua esse* phrasi Ebraicâ, & *aqua in morem diffluere*, idem planè valent. Sic lego, & citavi antea ex Josepho Gotionis filio, *Cor ejus tanquam cor leonis, quod non dissolvitur neque extimescit.* Habentur hæc verba Historiæ Ebraicæ lib. 4. cap. 20.

64. Cera in morem liquefcere,

כדונג נמס, *Ut cera liquefcit: aut, si mavis, liquefcit; nam in idem recidit.* Notat celerem liquefactionem, tabem, interitum, dissolutionem. Nam cera igni admodum statim liquefcit. Dicitur de animo tabefcente æstu afflictionum. Psal. 22. 15. *Cor mihi ut cera liquefcit in medio viscerum meorum.* Tale quid ex Eunapio annotat doctissimus Junius, ἡ δὲ ἀσέβητος πᾶσα ἀνθρώπων ἐξέρηνολο. *Universa autem caro cera ritu contabuit.* Dicitur quoque de improbis Dei judicio celeriter pereuntibus, Psalm. 68. 3. *Ut liquefcit igne cera, sic peribunt à Deo improbi:* Et de montibus per hyperbolen ad exprimendam Dei potentiam & majestatem, Mich. 1. 4. *subter eum montes liquefcunt, vales diffunduntur, ut igne cera, ut aquis per declivem præcipitantibus.* Psal. 97. 9. *Montes quasi cera liquefcunt à facie Domini, à facie, inquam, Domini totius terræ.*

65. Non occurrâ m homo.

Sic vertes autore Camio Jer. 47. 3. וליא אפניא, ac si scriptum esset, כמדא Sentus, non puniam eum more humano, h. e. leniter: quemadmodum alibi dicit, *Funibus humanis traxi eum:* Alii, *non occurrâ homini:* id est, כמדא quod enarrant, nemo hominum occurret, qui mihi resistat, tibi auxilietur: neque enim ferat hoc, ut patiar ullâ ratione. Sic recentiorum nonnulli. Jonathan priorem sensum interpretando expressit isto modo, ונאשני דינד מבני אדם: [ad verb. *mutabo judicium tuum à filiis hominum:*] quorum verborum hæc sententia, alio modo te ulciscar, quàm homines solent, ac si diceret, *Non humanâ, sed divinâ poenâ te afficiam, h. e. longè maximâ.*

66. Ocyus turbine.

Valer, *ocyssimè.* Sic dicimus, *ocyus aurâ.* Vento enim & turbine nihil ocyus. Vis hujus proverbii est in illo, *sicut praterit turbo, ita non est improbus.* Nam sensus, *perit turbine ocyus.* Eadem vis Psal. 55. in v. 9. *Maturarem fugam mihi, quàm ventus à turbine excitatus.* Nam subintelligitur *magis*, ut sit magis quàm, sive ocyus quàm ventus excitatus turbine aut procellâ.

67. Arcus fallax.

קשת רמיה, *Arcus fallax, sive dolosus.* In similitudine dicitur de fraudulentis & fallacibus. Hof. 7. 16. *Revertantur non ad excelsum sunt velut arcus fallax.* Psal. 78. 57. *Versi sunt ut arcus fallax: qui videlicet subito venit, & alium ferit quàm volebat sagittarius.*

68. Arenâ numerosior.

Proverbium est de innumerabili multitudine. Nam

arena numerari non potest, ac ne quidem mensurari, ut haberetur Hof. 1. 10. Unde illud, *Arenam maris quis numeravit?* Sirach. 1. 2. Psal. 139. 18. מחול ירבו, *Arenâ plures sunt.* Jer. 15. 8. יצמו מחול ימים, *Numerosiores fuerunt (viduæ ejus) arenâ maris.* Hab. 1. 9. *Colligit tanquam arenam captivos.* Gen. 22. 17. *Omnino multiplicabo semen tuum sicut arenam, que in litore maris: ad verb. in labro maris.* Rursus Gen. 32. 12. *Reddam semen tuum simile arenâ maris, que non numeratur præ multitudine.* Notabilis valde locus Augustini de hac locutione, De Civit. Dei lib. 16. c. 21. ubi sic scribit, *Faci: m semen tuum tanquam arenam terra, eâ locutione dictum est, quam Græci dicunt hyperbolen: qua utique tropica est non propria. Quotamen modo ut cæteris tropis uti solere scripturam, nullus qui eam didicit ambigit. Iste autem tropus, i. modus locutionis, fit quando id quod dicitur longè est amplius quàm quod de eo dicto significatur. Quis enim non videat quàm sit incomparabiliter amplior arena numerus, quàm potest esse omnium hominum ab ipso Adam usque ad terminum sæculi?* Vide sequentia,

69. Stellis cæli copiosior.

רב מכובי השמים, *Numerosior stellis cæli.* Dicitur etiam, *par, aut similis stellis cæli,* de innumera multitudine. Nam innumeram esse stellarum multitudinem, sacræ literæ docent, & confirmant Philosophi, in quibus Aristoteles & alii, qui scribunt in via lactea stellas esse numero infinitas, quæ internosci illo humano obtutu queant, ut Vives annotat. Nah. 3. 16. *Multiplicasti negotiatores tuos supra stellas cæli.* Deut. 1. 10. *Ecce hodie estis stellis cæli pares multitudine.* Gen. 22. 17. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli.* Ebraicè רב מכובי השמים, h. e. efficiam ut sit tam numerosum quàm cælestes stellæ. Audiamus nunc quid Augustini scribat super hac locutione. In libro modò nominato, cap. 23. sic scribit, *Rursusque promissum est semen innumerabile, non sicut arena terræ, sed sicut stella cæli: ubi mihi magis videretur promissa posteritas cælesti felicitate sublimis. Nam quantum ad multitudinem pertinet, quid sunt stellæ cæli ad arenam terræ? nisi quis & istam comparationem in tantum esse similem dicat, in quantum etiam stella dinumerari non valet. Quia nec omnes eas videri posse credendum est. Nam quantum quisque acutiùs intuetur, tantò plures videt. Unde & acerrimè cernentibus aliquas occultas esse merito existimatur, exceptis iis sideribus, quæ in alia parte orbis à nobis remotissima oriri & occidere perhibentur. Postremò quicumque universum stellarum numerum comprehendisse & conscripsisse jaçantur, sicut Aratus & Eudoxus, vel si qui alii sunt, eos libri hujus contemnit autoritas.*

70. Quantum granum sinapis.

ὡς κόκκον σινάπεως, *Quantulum granum sinapis.* Proverbiale de re minima. Simile in proverbii Thalmodicis, *Quantum supplementum fili.* Quod Ebraicè dicitur כמלא נימה Luc. 17. 6. *Si haberetis fidem quantum est granum sinapis: vult dicere, si haberetis vel tantillum fidei.* Adhibetur nonnunquam in similitudine de re, quæ ex parvis initiis summum incrementum accipit, Vide Marc. 4. 31.

71. *Vas injucundum.*

כלי אין חפץ בו, *Vas in quo non est delectatio, sive oblectatione carens.* Usurpant inter proverbia contemptus. Sed variè interpretantur. LXX. *Vas inutile*, quod in Græco legitur, *σκεῦλον ἀχρεῖον.* Hier. *Vas immundum.* Idem scribit hoc vocabulo Ebræis *matlam* dici: dignum notâ. Nam si verè hoc scribit, erit sensus apud Prophetam, Hof. 8. 8. ubi ait, *Fuerunt in gentibus sicut vas injucundum*: ac si diceret, fuerunt habiti pro matula, h. e. in summo contemptu. Plautus *Mostellaria*, Act. 2. *Scena Jupiter supremus.*

*Jam hercle ego vos pro matula habeo nisi matulam datis.*

72. *Myrica in deserto.*

Jer. 17. 6. *ὡς ἡ ἀγριομυρίκη ἢ ἐν τῇ ἐρήμῳ.* Puto legendum *ὡς ἡ μυρίκη ἢ ἐν τῇ ἐρήμῳ.* *Ut myrica in deserto.* Quod autem in edit. *ἀγριομυρίκη*, id superat, meo iudicio, ex alia quapiam versione. Nam profectò *myrica in deserto* & *agrestis myrica*, nihil, aut parùm admodum differunt. In Ebræo codice *בערער בערבה*, ut *myrica in solitudine*, nisi præferas *ut myrica in planitie*. Nam *עברבה planities*. Jer. 48. 6. est *בערער* aliâ formâ nominis: unde in libro nominum Ebraicorum, *Aroer, myrica*. Porro in similitudine adhibetur ad significandum hominem virtute vacuum, quem vis rerum adversarum facillè profligârît. Tales sunt omnes, qui spem & fiduciam locant in hominibus, & ponunt brachium carnem suam, ut loquitur Propheta. Glossæ Nicolai, *erit tanquam myrica, h. e. sine fructu bono, ut myrica, qua alio nomine vocatur genista.* Cum bona venia, Nicolae, *myrica* & *genista* (ita dicitur Latine) in magno discrimine sunt. *Myrica* est *tamariscus*, & arbor humilis: itaque apud Davidem *myrica* vocatur proverbiali sermone homo humilis & abjectus, qua de re dictum alibi. Facit hujus plantæ mentionem Bas. Hexæm. Hom. 5, in hanc fermè sententiam, *Myrica* & in aquis provenit, & in locis aridis ac desertis: proinde Jer. Propheta in similitudine usus est ad significandum mores ejus generis, h. e. *τὰ ἐπαμφολεπίζοντα τῶν ἠδῶν τῶ τοῖς τῶ φύλῳ παρενάξεται.* Habentur hæc verba in eo loco quem diximus: quæ sic Latine expressit Ambrosius, Hexæm. l. 3. c. 16. *Myrica est humile virgulum, figuram improba calliditatis exprimens. Nam in aquis & in desertis contrario quodam usu hæc virgulta nascuntur. Unde Jeremias dubia morum, & insincera myricis comparavit. Cæterùm pro ἡ μυρίκη, Symmachus olim edidit, lignum infructuosum, ἰ. ἀκαρπον.*

73. *Ursus orbatu.*

[Vel *Ursa orбата*: nam Ebræum nomen commune ad utrumque sexum] *דב שכול*, *Ursus orbatu.* Ursi vis, sicut omnium ferarum, orbitate catulorum acrior. Ad hoc natura ursæ ipsa sæva, orbitate magis quàm alia re accenditur. *Orbatu* autem verro potius quàm *sterilem*, quia sententia postulat, ut accipiamus de ursæ, non quæ catulos nullos habuit; sed quæ iis, quos habuit orbatu fuit. Hof. 13. 8. *occurrat eis ut ursus orbatu.* Proverb. 16. 12. *occurrat homo urso orbo, & non stulto in stultitia sua.* 2. Sam. 17. 8. *& amaro animo sunt ut ursus orbatu in agro.*

74. *Luctus qualis pullorum struthionis.*

אבל כבנות יענר, *Luctus qualis filiarum struthionis.* Abiit in Proverbium de luctu acerbo & gravi, qualis est eorum, qui destituuntur à parentibus suis. Nam pulli struthionis deserti à parente (struthio enim neque pullos nutrit, ut perhibent, neque ova incubatu fovet) quasi in perpetuo luctu versantur. Exstat Mich. 1. 8. ubi verus interpres, *luctum quasi struthionum.* Quam interpretationem sic enarrat Hieronymus, *sicut struthiones immemores sunt ovorum suorum, & quasi non peperint, in arena calcandos pedibus bestiarum relinquunt; ita & ego sine filiis spoliatus & nudus incedam.* Sed expendamus ista. Primum, si immemores sunt pullorum, quomodo eos lugent? An lugent relictos, immemores ubi reliquerint? Atqui dicit *quasi non pepererint.* Ita ergò relinquunt, ut eorum memoriam nullam usurpent. Id si est, nec lugere possunt. Omitto quòd hæc avis pessimè audiat ob crudelem negligentiam pullorum. Idèd cum in Ebræo reperissem, *filiarum struthionis*, malui hoc de pullis intelligere: et si præter conjecturam certi nihil hîc habeamus. Nam in luctu esse pullos struthio cameli ob crudeelitatem parentum non facillè uspiam invenias. Hoc movit puto recentiores ut pro *struthione* substituerent *ululam*. Nam *ulula*, inquit, lugubrem & funestam vocem habet. Sed viderint, qui sic interpretantur contra omnem antiquitatem: à qua non temerè, meo iudicio, discedendum est. Quæramus ergò ampliùs. [Huc referri potest ex Thren. 4. 3. *similis struthionum in deserto.* Vide *socius pullorum, struthionis.*]

75. *Planctus qualis draconum.*

כספד כתני, *Planctus sicut draconum.* De planctu horribili, qualis est draconum, cum ab elephantis superantur. Quod his verbis declarat Hieronymus, *Dracones terribili sonitu personant, juxta historias eorum, qui de Physicis conscripserunt, eo tempore, quo vincuntur ab elephantis.* Mich. 1. 8. *Faciam planctum ut dracones, & luctum ut pulli struthionum.* Vide *Frater draconum.*

76. *Vanitate levior.*

Hyperbola *παροιμιώδης*, quæ vir dicimus exaggerat levitatem mortalium, Psal. 62. 10. *יהוה מהביל יחד י, ad verb. ipsi quàm vanitas simul*: ita explicanda est, si in altera omnes homines simul ponantur, ne ipsa vanitate homines leviores deprehendantur. *מהביל, quàm vanitas*, concisus sermo pro *קלים מהביל, leviores quàm ipsa vanitas est.*

77. *Odor Libani.*

ריח לבנון, *Odor Libani*, Cant. 4. 11. *Odor vestimentuarum qualis odor Libani*: h. e. arborum Libani, vel certè qualem flores, qui in monte illo exhalant. Credibile autem est odorem illum eximium fuisse: ex quo capiendum & illud Hof. 14. 7. *odor ei tanquam Libani*, sub. *odor*; nisi mavis, *tanquam Libanus*, quod eandem sententiam continet. Nam per *Libanum* significantur arbores aut flores Libani, quantum mei iudicii est. Quod autem ait *odor ei*, per odorem intelligit, ut opinor, famæ celeritatem, quæ ceu odor quidam longè lateque per hominum ora vagatur. Licebit uti de quovis

vis odore grato ac jucundo. Simile Gen. 27. 27. *qualis butyrum os suum.* Quæ interpretatio hanc sententiam continet, reddiderunt verba sua leniora butyro, h. e. usi sunt oratione blandissimâ: מרחמאות. Vide libellum nostrum de literis Mosche Vechaleb; quem in lucem emisit nuper admodum doctissimus integerrimisque Vir Franciscus Raphelengius, mihi multis nominibus percharus, meisque in his studiis συνεργός, atque adeo amicus verus ac verus.

78. *Vinum Libani.*

Vinum Libani montis celebre olim fuit ob præstantiam & suavitatem: itaque in comparatione adhibetur de re, quæ omnium sermone celebratur, ut Hof. 14. 2. *memoria ejus ut vinum Libani;* sed prius veterum auctoritatem à se habet, & placet. De hoc vino scribit David Camius in Com. ad h. l. *Vinum Libani odore optimo præditum est. Vidi autem in libro Asaphi medici; ubi ait vinum hoc cætera omnia vina antecellere odore, sapore, & vi medicandi. Quod etiam scribit de vino Hermonio, & Carmelio, & de vino montium Israel atque Ierosolyma: nec non de vino montium Samariae, de vino montium Chaphthor Aegypti.*

79. *Ut qui arat ac serit.*

Ὡς ὁ ἀροτριῶν καὶ ὁ σπειρών, *Quasi arans & serens.* Conveniet dici, ubi quis magnâ spe & propè exploratâ consequendæ utilitatis rem quampiam aggreditur. Nam qui arat ac serit, semper certus est de aliquo fructu. Habet enim rationem cum terra, quæ, ut ille ait, nunquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit quod accepit: sed aliâs minore, plerumque majore cum frænore. Sirachides ut ostenderet quàm sit utile & fructuosum sapientiæ studium, usus est hoc simili Eccles. 6. 19. Sic scribens, *Fili, ab ineunte ætate dilige disciplinam, & sapientiæm ad canos usque duraturam invenies. Tanquam arans ac serens adito eam, & bonos ab ea fructus expectato. Nam in ejus opere paululum laborabis, & citò ejus vescere provenitibus.* Porro, quemadmodum Sirachides ille utitur de sapientiâ, ita nos uti poterimus de bonis literis, aliisque rebus utilibus, item de iis, qui inserviunt aut benefaciunt, à quibus plurimum sperant.

80. *Oleo mollior.*

מִשְׁמָן רַךְ, *Mollior oleo.* Simpliciter notat rem valde mollem. Nam oleum tactu mollissimum est. Tantumne? etiam alvum mollit, & aspera omnia mitigat, doloresque lenit ac sedat. Tranfertur inde ad blanditias & assentationem, quod eâ quasi linguæ mollitiâ & sermonis quadam lenitudine constet. Psal. 55. 22. *Molliora sunt verba ejus oleo, cum sint gladii.* Sensus est, Utitur quidem mollissimis ac blandissimis verbis, sed ea non minùs sunt acuta, nec minùs vulnerant, quàm gladii. Quæ dici à nobis possunt ac torqueri eleganter in adulatorem blandâ oratione alicui perniciem afferentem: vel in meretricem sed animi (ut verbis utar, quibus alibi usus est Hier.) melle regentem labiorum.

81. *Oleo nitidior vel lenior.*

Affine est Prov. Pf. 53. חֶלֶק מִשְׁמָן חֲכָמִים: antiqua versio Latina, *nitidius oleo guttur ejus.* Sermo est de blanditiâ meretricum: igitur potius veritas lenius oleo palatum ejus. Etenim nitidam vocamus orationem, quæ elegans est; non quæ blanda. Alioqui quod ad faciem attinet, aut ad cultum, nihil est meretriculis, dum foris sunt, comptius, ut jure dici possint, *oleo nitidiores.*

82. *Butyro lenior.*

Psal. 55. 22. חֶלֶק מִחֲמֵאוֹת פִּי: recentior interpretatio: *Cujus blanda sunt butyrina oris, i. verba.* Non placet: esset enim מרחמאות cum Scheva sub secunda radicis. Prius erat apud Santem *lenierunt magis quàm*

continet, reddiderunt verba sua leniora butyro, h. e. usi sunt oratione blandissimâ: מרחמאות. Vide libellum nostrum de literis Mosche Vechaleb; quem in lucem emisit nuper admodum doctissimus integerrimisque Vir Franciscus Raphelengius, mihi multis nominibus percharus, meisque in his studiis συνεργός, atque adeo amicus verus ac verus.

83. *Hortus Eden.*

כַּגֵּן עֵדֶן, *Tanquam hortus, sive pomarium Eden.* Similitudo proverbialis de loco peramœno & valde culto. Ezech. 36. 35. *terra ista vasta fuit similis horti Eden.* Joel. 2. 3. *ante ipsum terra similis erat pomarii Eden.* Jef. 51. 3. *posuit desertum ejus sicut Eden: vult dicere sicut hortum Eden.* Sermo contractior, & cui deest vox hortus supplenda ex aliis locis. Est autem Eden nomen loci Gen. 2. 8. in quo plantatus hortus, qui inde dictus *hortus Eden*: cujus significatio τρυφή vel ἡδονή unde in libris Græcorum ὡς παράδεισος & τρυφῆς, ἡτοι ὡς κηπῶν & τρυφῆς & apud vulgatum interpretem nostrum *sicut hortus voluptatis, i. voluptarius.*

84. *Hortus Dei.*

גֵּן אֱלֹהִים, *Hortus Dei.* De supra dicto horto legitur Ezech. 28. 13. *vel quia in suo genere excellebat & cultissimus erat, vel sanè quoniam à Deo confusus.* Existat etiam Ezech. 31. 5. 9. *Nec aliud est Jef. 51. 3. כַּגֵּן יְהוָה tanquam hortus Domini.*

85. *Veniet ut viator.*

כַּמְהֵרָה, *Sicut viator.* Proverbiali dictione valet Celeriter, ut Prov. 6. 11. *& veniet sicut viator paupertas tua.* Quidam enarrant, *veniet citius opinione tua;* q. d. opprimer te ex improvise, nihil hujusmodi expectantem. Eandem sententiam habet, *& sicut vir clypeo munitus, de quo aliâs.*

86. *Ut compes ad castigationem stulti.*

Prov. 7. 22. כַּעֲכֵם אֶל מוֹסֵר אוֹיֵל, *ut compes ad castigationem stulti.* Utrum hoc vult, tam citò quàm compes subit pedes stulti? an inverso ordine, citius quàm in nervum rapitur stultus? Aut potius hoc dicit, quemadmodum stultus properat ad compedem, nesciens eum paratum esse vitæ suæ, ita miser ille festinat ad meretricem, nesciens ibi agi animam suam. Postrema explicatio vera videtur, & ex mente auctoris.

87. *Carbone nigrior.*

Thren. 4. 8. legimus apud priscum interpretem, *denigrata est super carbones facies eorum.* Cæterum in Ebraeo מִשְׁחָר תֹּארוֹתָם: quod reddunt, *obscurior est nigritudine forma eorum.* Martialis,

*Toto candidior puella cygno,  
Argento, nive, lilio, ligustro,  
Sed quando volo nocte nigriorem.*

88. *Trabs in edibus.*

In epistola Jeremiæ missa ad exules Babylonios, ἐστὶ μὲν ὡσπερ δοκὸς τῶν ἐν τῆς οἰκίας. Significat statuas & simulacra Gentium non plus sensus habere quàm trabses in domo. In Latinorum proverbiiis, *trabs* vocatur, qui alicui impedimento est.

89. *Terriculum in cucumerario.*

In eadem epistola, ὡς ἐν σικυηλάτῳ προβασκάνιον, cum ait,

ait, egregia similitudine declarat Deos Gentium, nihil aliud esse quàm inane reticulamentum, quale ad arcentes aves in cucumerario aut in horto statui solet.

90. *Ros super herbam.*

כַּסֵּל עַל עֵשֶׂב, *Ut ros super herbam.* Usurpatur in comparatione, ut Prov. 19. 12. *Velut ros super herbam benevolentia ejus:* & Mich. 5. 6. *Velut ros à Domino:* & Hof. 14. 6. *ero Israeli tanquam ros, aut rovi similis.* Quæ verba postrema eam vim continent ut si diceret, *rore donorum cœlestium eum rigabo.* Vel *benefaciam ei prolixè & indefinenter.* Nam ros terræ superincidens continenter eam humectat, & aptam reddit frugibus ac herbis producendis.

91. *Sicut transit turbo.*

כַּעֲבוֹר סוּפֵרָה, *Quemadmodum transit turbo:* Valet proverbiali sermone citò & celeriter. Proverb. 10. 25. *Quemadmodum transit turbo, ita non est improbus.* Sic cap. 1. ejusdem libri, *Exitium vestrum tanquam turbo venit, h. e. numero veniet: vel certè inopinatò, improvísò.*

92. *Multus ut locusta:*

כַּבֵּד כַּאֲרֵבָה, *Gravis ut locusta:* h. e. multus, copiosus. Nam locustarum tanta plerùmque copia ac vis, ut cœlo noctem faciant & quasi nubem obducant. Quod testatur lib. 9. descriptionis Africæ Johannes Leo, cujus libri copiam mihi fecit è bibliotheca sua, quam instructissimam habet, eruditissimus Theologus Martyrus Lydius, *Locustarum, inquit, tanta plerumque conspicitur in Africa frequentia, ut volantes instar nebulae solis radios operiant.* Cui consentanea scribit H. Candanus de subtilitate lib. 9. inquit, *Transeunt locusta immensa maria, immensosque tractus permeant (ut Plinius inquit) diraque messibus contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia verò morsibus arrodentes, Italiam ex Africa maximè coorta infestant, tantà sanè multitudine ut solem obumbrent, sollicitè aspectantibus populis ne sistentes suas operiant terras.* Hæc Cardanus. Ab hac igitur multitudine nomen inveniet ut diceretur אַרְבֵּרָה in lingua Ebræorum, הרבֵּרָה enim id est multum. Sed ad rem. Judith. 2. καὶ πολὺς ὁ ἐπιπλοῦς ὡς ἀγῆς συνεξήλαθεν αὐτοῖς, Latine, *magna gregariorum multitudo instar locustarum eos comitabatur.* Jud. 6. 5. *veniebant quasi locusta pro multitudine: h. e. tanto numero quantus est locustarum numerus: & 7. 12. jacebant in valle sicut locusta pro multitudine.*

93. *Bruchus copiosior.*

Vel, *Tum copiosus, quàm Bruchus.* Idem cum superiore. Nam bruchus è genere locustarum: itaque simul leguntur Nah. 3. 15. התכבדו כִּילֵךְ התכבדו כִּארְבָּה, *copiosam te effice ut bruchus, copiosam te effice ut locusta: dico copiosam; nam התכבדו verbum est fæmininum.*

94. *Pluvia in messe.*

*Ut pluvia in messe, sic non decet stultum gloria.* Verba sunt Salomonis, Proverb. 26. 1. *Pluvia in messe, i. מִטֵּר בְּקִצְרֵי: elegans proverbiale de re intempestiva, noxiave.* Nam in messe, cum fruges in horrea conduntur, intempestivus omninò imber, & non nisi noxius. Igitur ut noxia pluvia mellis, sic honos in stultum collatus: eo enim in suam & aliorum perniciem abutitur

95. *Nix in æstate.*

שֶׁלֶג בְּקִיץ, *Nix in æstate.* Dici convenit quando aliquid fit non suo tempore. Nix enim, teste Alberto, non generatur nisi in hyeme, vel in principio veris, aut in fine autumnii. Certè in æstate non descendit ad nos, quia ær infimus tum calidior. Calor enim nivem in aquam resolvit priusquam in terram decidat. Jam verò etiam noxia est eo tempore nix. Nam indicium est frigoris. A frigore enim generatur infra mediam regionem. Frigus autem eo tempore nocet valde segetibus. Nam non sinit eas maturefcere. Ex quo illud sequitur nivem tum noxiam esse. Unde legimus apud Salomonem in loco modò allegato, *Ut nix in æstate, sic non decet stultum honos: rectè sanè, Nam honos præmium est virtutis, cujus ille planè vacuus & expers est.* Præterea eo uti rectè non potest; est enim stultus nec sibi constar, sed mutatur ut Luna. De eo dictum est, *Honores mutant mores.* Potest aliter exponi, *Ut nix expecti non solet in æstate, ita non debet expecti à stulto gloria, quæ ei sæpe perniciofa est.* Nam eâ u: i non potest propter stultitiam.

96. *Glabrior quàm est aquila.*

Vel, *tam glaber, quàm aquila: aut calvus ad modum aquila.* Comperit in vehementer glabrum ac depilem. Aquila ætate sic calvescit, ut plumas omnes amittat planèque glabra fiat; & est vulgata fabula apud Ebræos eam decimo annò quàm potest altissimè volare, ignèque cœlesti pennas adurere; inde se in Mare præcipitare & rejuvenescere: sed hanc fabulam suis Autoribus relinquamus: Joh. Leo in descriptione Africæ, ubi agit de Nesir, quam esse è genere aquilarum mihi planè persuadeo, *Longissimam, inquit, ducit vitam, plurimòque vidimus propter senium implumes. Quare pennis deciditibus ad nidum tanquam recens nati redeunt, & à junioribus aluntur.* Cæterum adagium istud exstat Mich. 1. 16. הרחיבי קרחתך כנשר *dilata calvitium tuum sicut aquila.*

97. *Torrentis modo.*

Valet proverbiali schemate, confertim & affluenter, ut in illo Sallustii hist. l. 1. *ex quo tempore majorum mores non paulatim, ut antea, sed torrentis modus præcipitavi.* Quæ verba leguntur & apud Aug. De Civit. Dei. l. 2. c. 19. *post deletam Cathaginem, inquit, majorum mores non paulatim, &c.* In Græcorum proverbiiis χαμαίρρις δίκτυον, *torrentis in morem.* Dicunt etiam ὡς περὶ χαμαίρρις, ut Ebræi כְּנֹחַל Thren. 2. 18. *fac ut descendunt tanquam torrens lacryma interdiu ac noctu: h. e. plura ubertim, funde magnam vim lacrymarum.* Amos 5. 24. *Et justitia sicut rapidus torrens: sub. fluat, ex præcedentibus.* Sic Jes. 30. 28. *Spiritus ejus velut torrens inundans.*

98. *Aque in modum.*

Superiori germanum כַּמֵּיִם tanquam aqua; παρομοιωσὶν copiarum & abundantiarum, ut Amos 5. 24. *fluat sic aqua iudicium, Psalm. 79. effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam.* Job. 34. 7. *bibit sannam aqua modo. Bibere sannam, ut bibere sermonem.* Plautus Milite, *postquam adhibere aures meæ tuæ moram orationis.* Sed ad propositum, Hof. 5. 10. *effundam aqua modo iram*

iram meam, i. copiose, abundanter. Tale est, *veniet tanquam imber nobis.* כגשם Hof. 6. 3.

99. *Uva in deserto.*

ענבים במדבר, *Uva in deserto.* Rara in deserto uva quo carior ibidem reperta, ut rara omnia cara sunt. Hof. 9. 10. *Ut uvas in deserto, ita reperi Israellem.* Hoc ait, repertum Israellem unice dilexi & in pretio habui, eoque supra modum delectatus sum. Eodem pertinet similitudo, quæ sequitur, *ut primitias in ficu, in ejus principio: nam primæ ficus gratiores.*

100. *Dies Gabaa.*

*Dies Gabaa,* ימי גבעה, proverbio dici possunt tempora profligatissima, nempe ex historia quæ refertur, Jud. 19. *Cave aliter capias Hof. 9. 9. corrupti sunt ut tempore Gabaa;* Nam sensus est, ut cum foedum illud ac detestabile facinus perpetraretur in concubinam Levitæ à civibus oppidi Gabaa. Sic novè interpretor Hof. 10. 9. גבעה חטאת, *graviora Gabaensium flagitio defignasti;* ad verb. *magis quàm in diebus Gabaa peccasti,* ut litera Mem usum habeat comparandi. Quod ut propono dijudicandum, ita non rejicio vulgatam interpretationem, *à diebus Gabaa peccasti Israel.*

101. *Cedro procerior.*

Cedrorum proceritas in proverbii consuetudinem abiit, ut dicatur earum magnitudinem æquare, qui est vasto corpore & magnitudinis inusitata, ut olim Amorræus, de quo lectum Amos. 2. 9. *cujus altitudo sicut altitudo Cedrorum:* est autem figura sermonis, quam hyperbolam dicunt. Nam cedros altitudine è genere humano nemo unquam adæquavit. Simile est,

102. *Robore validior.*

Aut, *quercu robustior, vel robustus instar roboris.* Quod Ebraicè in loco modò citato חסן הויא כאלונים *robustus ipse instar roborum.* Est autem אלון nomen arboris durissimæ, quam robur alii, alii *quercum* interpretantur. Per *robur* intelligo arborem ejus nominis glandiferam. Rei firmandæ est Jonathan, qui exponit בלוט: nam sic Arabes quercum indignant; dicunt enim אל בלוט. Thargum Jerosolymitanum scribit בלוט cum ה in fine. Græcè *Εάλων* & vel *δρυς.*

103. *Olea instar.*

Hof. 14. 7. ויהי כזית חודו, *Et erit sicut olea decus ejus:* h. e. erit firmum, stabile, perpetuum: nam olea perpetuò viret; unde David Scholjastes שיהיה כה לעצמו קים וגו, quæ verba adduxi quia corrupta in edit. à Roberto Stephano: puto legendum להיותו: nam להיותו quod in libris illis, nullam sententiam continet. Hoc vult, Vis viroris ipsius stabilis erit sicut oleæ, quæ totum annum viret, ac si diceret, nunquam deficiet bonum ipsius, semper felix ac beatus erit.

104. *Abies frondosa.*

Aut *viridis.* Hof. 14. 9. אני כברוש רענן, *ego tanquam abies viridis:* vult dicere, Vobis umbram præstabo, h. e. tuebor & protegam vos. Camius aliter. Vide sis ad hunc locum: nam abietis frondosæ sive virentis similitudinem eò refert, quòd frondosa abies facillè quo velis incurvetur. *Sic se Deus, inquit, facilem fore & exorabilem ad eorum vota promittit.*

105. *Luctus unici.*

אבל יחיד, *Luctus unici,* pro magno & acerbo, Unici

enim semper chariores habentur. Atque inde fit ut iis amittis vehementissimè torqueamur. Quintilianus Declam. 270. *Filiam perdidit, scio hoc minimum esse malorum. Sunt qui gravissimum existimant unicòs perdere, & quoties aliquod solatium, quod respiciant, amittunt, videtur sine medicina dolor.* Val. Max. lib. 5. cap. 10. *Quintus Martius rex, superioris Caronis in consulatu collega, filium summa pietatis, magna spei, & quæ non parva calamitatis accessio fuit, unicum amisit.* Amos. 8. 10. *Reddám eam ut luctum unigeniti, sive, ut lugeatur unicus filius.* Ad terram referunt, quasi diceret, Ea tempora importabo, quæ lugendi causam adferent omnibus terræ incolis longè maximam Zach. 12. 10. כמספר על היחיד, *qualis planctus super unigenito.* Jer. 6. 26. *Luctum unici fac tibi.* Affine est

106. *Dolor de primogenito.*

המר על הבכור, *Amaritudo super primogenito.* Nam amissum primogenitum graviter dolemus. Significat ergò dolorem gravem & acerbum; qualem sensi cum hæc scriberem, ex obitu clarissimi Viri Laurentii Humfredi, quem amici ex Anglia vixisse nunciant vere superiore. Si verè (nam tristitia non facillè credimus) est cur mecum unà lugeat Oxonia. Ego quòd amicum veterem, illa quòd præceptorem fidelem amiserit. Erat in illo viro, si vir appellari debet, qui nunc inter beatas animas non postremum locum obtinet, cum eruditio singularis vitæ integritati conjuncta, tum verò insignis humanitas, quam exercebat præcipuè in hospites & peregrinos: inter quos ego, cum Oxoniæ degerem, ejus memoriam non nisi cum vita deponam.

107. *Tanquam vas figulinum.*

Psal. 2. 9. ככלי יוצר תנפצם, *Tanquam vas figulini comminues eos:* & Apoc. 2. 27. *ὡς ἡ ἀσάστρη τὰ κεραμίδια, tanquam vasa figulina.* Simile quòd extremi supplicii declarationem continet, ac dici solet de clade irreparabili. Nam figulini operis vas contractum iterum refici nequit. Igitur Jer. 19. 10. jubetur Propheta bombylicum frangere in conspectu populi, & hæc loqui, *Hæc dicit Dominus Sabaoth: Sic frangam populum istum, & civitatem istam, ut frangitur vas figuli, quòd amplius refici non potest.*

108. *Transit ut nubes.*

*Ut nubes transire valer proverbiali itopo Celeriter transire.* Job. 30. 15. כעב עברה ישועתי, *sicut nubes transit salus mea.* Sic Jes. 60. 8. תעופנה כעב, *advolant ut nubes;* h. e. velociter. Nam veloces nubes. Quòd epitheton ei tribuitur Jes. 19. 1. *Ecce Dominus in vectus levi nube,* על עב קל, h. e. veloci simile, *equitat super cherubinos.* Quo dicto divinæ mentis celeritatem significari alibi diximus.

109. *Citius quàm columba in suos forulos.*

Ad proverbialia celeritatis pertinet & illud Jes. 60. 8. *ut columbi ad suas fenestras, sive ad forulos sui columbarii: sub. advolant.* Nam columbæ volatu præstant. Unde David ait, *Quis mihi dabit pennas sicut columba?* Ambrosius Serm. 70. *Gravari autem volatum dico non tam mole membrorum quàm delictorum.* Unde puto etiam in ipsis avibus idèo velocius columbam penè præ omnibus volitare, quòd *alacritatem & innocentiam comite tur.*

## 110. Pulveris modo.

Adhibetur in similitudine rei copiosæ. Soph. 1. 17. *Fundetur sanguis eorum pulveris modo.* Psalm. 78. 27. *pluit carnes pulveris modo.* Ebraicè כעפר sicut pulverem. Zach. 9. 3. *coaceruavit argentum sicut pulverem, & aurum sicut lutum platearum.*

## 111. Herba tectorum.

הציר גגות, *Herba tectorum.* Ita vocatur herba, quæ in testis provenit, quæ propter soli conditionem terræ quæ penuriam citò arefcit: ergò cum ait, *fiant sicut herba tectorum.* Psal. 129. 6. *precatur Deum, ut impios præmaturâ morte conficiat.*

## 112. Cremio aridior.

Quadrat in vehementer aridum & exsuccum. Psal. 102. 4. *Ossa mea sicut cremium aruerunt.* Ita V. interpretes ex Græcò, *ὡσεὶ Φρύγιον συνεφύγησαν.* Nam Φρύγιον cremium: est autem lignum aridum, si credimus Hesychio, cujus lexicon, Φρύγιον, ξύλον ξηρόν. Dicitur & Φρύγανον, cujus usus præcipuè ad cremandum: unde appellatio cremii, ut cremiales arbores apud Ulpianum, quæ ad cremandum aptæ. Ergò מוקד cremium. Aliis est focus; unde,

## 113. Foco aridior.

Nam ubi veteres, *sicut cremium aruerunt*, nupera interpretatio habet, *sicut focus aruerunt*, ut מוקד sit focus. Ita R. David censet, quem sequuntur Santes & alii. Ne sis nescius, ex Ebræo Symmachus olim transtulit, *veluti torris*, i. כאור. Neque ego id notare, nisi viderem probari Gallicis interpretibus. In libris Chaldæorum היר תפין lectio alia תפין. Priorem germanam arbitror, quam Nathan Jehielides & Elias agnoscunt, & puto vertendum, *quasi focus exusta sunt*, ut in Ilmedenu קידרה על תפין. In Comment. Abenezræ מוקד שתיים: legendum fortasse שפתים, additâ unicâ literâ. Ait מוקד notare שפתים, i. chytropodas. Pro quo facit quòd in Chaldaicis lectionem postremam היר תפין Latini interpretes reddunt, *quasi chytropodes*: quomodo idem vocabulum usurpat autor versionis Jerosolymitanæ. Levitic. 11. ubi Ebræi legunt כירי Obiter emendo in Methurgeman תפין דודא, ex Lexico Thalmudico Nathanis, quod libri vulgati corruptè scribunt שפי דודא. Locus est 2. Reg. 4. quem hætenus non libuit, nunc autem non vacat inspicere.

## 114. Dies fumus.

Ut dies umbra. Psal. 102. 4. *consumpti sunt ut fumus dies mei.* Nam fumo nihil magis evanidum. Pro כעש quod Scholia Ebraica agnoscunt, in edit. à Bomberga reperi כעש: ex quo Arias, *defecerunt in fumo*: quod prius erat in Sante, *sicut fumus*. Quam lectionem fecutus est & interpres Chaldæus, ut omittam Græcos & Hieronymum, qui sic habet, *consumpti sunt sicut fumus dies mei.* Consimilis varietas Psal. 37. 20. *Consumpti sunt ut fumus, consumpti sunt*: nam codices iidem כעש; & Arias *in fumo*, ut suprâ. Valer autem ac si esset, *cum fumo*, sicut diximus *cum sole*, quod idem cum illo, *sicut sol*. Sic fumo consumi, h. e. tam citò quàm fumus.

## 115. Ut pupillam custodire.

Est aliquid cum cura & diligenter custodire, nempe

ut solet custodiri pupilla oculi, quâ nihil charius habemus. Atque hinc Saraceni in communi sermone consueverunt dicere blandientes maximè mulieribus, *Corat albani*, i. *pupilla oculi mei*, ait Simon Januensis. Deut. 32. 10. *διεφύλαξεν αὐτὸν ὡς κόρη ὀφθαλμοῦ, custodivit eum sicut pupillam oculi.* Sic David in odis suis, Ebraicè כתיבון בת עין. Sirach, 17. 22. *ὡς κόρη συντηρήσει, sicut pupillam conservabit.*

## 116. Ὁ πωροφυλάκιον.

Ὁ πωροφυλάκιον appellatur *tuguriolum* ejus qui τὴν ὀπώραν custodit; quo nomine significatur *poma*, h. e. fructus omnes molliorem corticem habentes, in queis & cucumeres. Ceterum apud Græcos sacrorum interpret. usurpatur vice proverbii ad significandum locum vastum & desertum, quia tuguriola hujusmodi, (Plinius *pomaria* vocat) collectis fructibus deserta relinquebantur. Mich. 3. 12. *καὶ ἱερουσαλήμ ὀπωροφυλάκιον ἔσται, Et Jerusalem erit tuguriolum custodis ὀπώρας.* Jef. 1. *ὡς ὀπωροφυλάκιον ἐν σικυηράτῃ, Ut tuguriolum in cucumerario.*

## 117. Nubes matutina.

ענן בקר, *Nubes matutina.* Quod citò perit id Prophetæ simile faciunt nubi matutinæ, quæ discussa calore Solis celerrimè evanescit. Hof. 6. 4. *Benignitas vestra est velut nubes matutina*: h. e. futilis, evanida, minimè solida aut firma; quæ duntaxat speciem habet non rei veritatem, ac proinde nullum potest utilem edere fructum, quemadmodum nubes matutina, quòd pluvia careat; non potest fecundam facere terram. Sic Hof. 13. 3. *Ideo erunt sicut nubes matutina.* Affine est, quod alibi recensuimus, *tanquam nubes*, pro *Velociter*. Inde sumptum, quòd à ventis actæ nubes celerè motu huc illuc feruntur. Job. 7. 9. *Consumitur nubes & abit*: sic qui descendit in sepulcrum non ascendit.

## 118. Crystallo splendidior.

Δαμπρόν ὡς κρύσταλλον, *Splendidum instar Crystallo*; de colore candido & vehementer splendente. Græci uno verbo κρύσταλλοειδὲς id expriment: nam optima crystallus, cui color candidus, quæ aquæ limpide instar pellucet. Apocalyp. 22. 1. *Deinde ostendit mihi purum fluvium aquæ vivæ splendidum tanquam crystallum.* [Ab hoc nomine verbum est κρύσταλλίζεν, *crystalli modo splendere*: unde ἰασπις κρύσταλλίζων, Apoc. 21. 11.] Crystallus magnam similitudinem habet ad glaciem, unde ei nomen: nam κρύσταλλον *glacies*. Hoc significatu usurpatur Psal. 147. 7. item Sirach. 43. 22. *παγήσει αὐτὸ ἀφ' ὕδατος, Ex aqua congelabitur glacies.* Quin autores sunt magni gravesque Crystallum glaciem esse asserentes. In his Plinius, cujus verba habentur lib. 37. cap. 2. *Non alicubi certè reperitur quàm ubi maximè hyberna nives rigent; glaciemque esse certum est; unde & nomen Græci dedere.* Et Lyra Ezech. 1. 22. ita scribens, *Crystallus est glacies indurata per multos annos.* Ut ut sit (nam quidam id negant) conditiones habet aliquas à glacie diversas: Primùm enim, teste Agricola, Fossil. lib. 6. fit è succo perspicuo lapidescente. Deinde calore non dissolvitur. Postremò duratur sub terris, & inter gelidas rupium venas. Penè effugerat: In citato loco Ezechielis, *Quasi aspectus glaciei terribilis* מראה גורא, quod sonat *gelu terribile*, non nemo existimat peri-

periphrasin esse crystalli. Si rectè, facit pro iis, qui crystallum esse opinantur aquam validius concretam; in queis & A. Gellius, cujus hæc sunt lib. 19. cap. 5. *Nam solidius latiusque concretam esse eam (aquam) quam κρυσταλλινον appellant.* Certè Jonathan interpretatur γηλου validum: eodemque modo Nicolaus. Cæterum crystalli facit mentionem (ut hoc in transcurso, five per viam notem) Hier. ad locum Ezechielis, quem diximus, per hæc verba, *Crystallum purissimum est, & ex aquis mundi, atque lucentibus concrefcere dicitur: in tantum ut etiam gelu constricta aqua Græco nomine Crystallus dicatur.*

119. *Corvus nigrior.*

Cant. 5. 11. שחרות כערב, *Tam nigri quam corvus: dictum de capillis, quos vetustas commendabat à nigrore, non solum in puellis, sed etiam in juvenibus.*

120. *Fluctus maris.*

Jes. 48. 20. וצדקתך כגלי הים, *Et justitia tua ut fluctus maris.* Scholia Camii enarrant, *Justitia tua fuisset continua, ut fluctus maris continui sunt, aliis aliis excipientibus.* Atque hinc κύμαλα Græcis επιτηρημα dicta, quam vocem Hesychius interpretatur ἀλλα ἐπ' ἀλλοις ποσά, ut etiam ante me annotavit decus Brugarum Franciscus Nansius. Aliter exponas, & fortasse melius, justitia tua fuisset multa, infinita. Nam fluctus maris eâ multitudine sunt, ut numerari non possint; unde illud, *Quis enumeret fluctus maris?* Jam verò fluctuum nomen apud Latinos pro multitudine usurpatur, ut cum dicimus aliquem obrui fluctibus malorum, i. malis infinitis. Sic κύμαλα λαών apud Nonnum fluctus populorum, populus multus & numerosus.

121. *Madianitica clades.*

מכת מדין, *Plaga, five percussio, Madian.* In proverbii usum cessit, quo licebit uti quoties infinita multitudo hostium à parva manu vincitur. Deo id efficiente aut cum hostes panico metu perterriti, alii in alios grassantur; quod accidit in castris Madianitarum simulac trecenti illi milites, quos selectos è reliquo exercitu Gedeon secum adduxerat, tubis clangere cœpissent. Breviter conveniet dici de clade hostium, quæ non nostro maeste aut viribus, sed Divinitus, nec sine miraculo contingit. Sic intelligendum Jes. 10. 25. *Flagellum simile plaga Madian: & rursum, 9. 4. Sceptrum opprimit illum contrivisti, ut die Madian, i. cladis Madianitarum.* Similiter Psal. 83. 10. *Fac eis ut Madian.* Vult dicere, us fecisti olim Madianitis. Hist. exstat Judic. 7.

122. *Hadrimmonius plangor.*

Positum in similitudine ingentis ac publici plangoris, qualis describitur Zach. 12. 12. *Planget terra per familias seorsum: familia David seorsum, eorumque uxores seorsum, &c.* Hadrimmon Hieronymo teste, civitas est propè Jerusalem, hodiè dicta Maximianopolis, in campo Mageddon, ubi Josias Rex justus à Pharaone cognomento Nechao cæsus fuit, quem populus acerbissimè planxit, cladis memoriâ solenni ac publico luctu quotannis renovatâ: qui luctus five plangor dictus est Hadadrimmonius, & postea in proverbii consuetudinem abiit: quod latet Zach. 12. 11. in his verbis, *Die illo erit magnus plangor Hadadrimmon, in campo*

Mageddon. Ebraicè כמספד הדרמון Vide sequens proverbium.

123. *Mageddonius plangor.*

Sed enim Jonathan interpret antiquissimus in diversam sententiam abit. Nam primùm quæ in Ebræo conjunctim & ἀσυνδέη leguntur, interjectâ copulâ ita distinguit, ut plangor Hadrimmon, & in campo Mageddon. Deinde plangorem Hadrimmon aliam facit ab eo, quis ivit in campo Mageddon. Postremò Hadrimmon ex ipsius sententia non est urbis nomen, sed viri proprium, qui Patrem habuerit Tabrimmon, à quo interfectus sit Achab filius Amri: Mageddon verò campus est, quo occisus Johas filius Amon à Pharaone claudo. Non pigivit adscribere verba, quibus usus fuit in hacre quæ si interpretetis Latinè ita sonant. *In illo tempore magnuserit plangor in Jerusalem, qualis fuit de Achab filio Amri, quem occidit Hadrimmon filius Tabrimmon, & qualis fuit plangor de Josia filio Amon, quem occidit Pharaon claudus in planicie Mageddon.*

124. *Quod in somnio nocturno.*

לילה כחלום דרה חלום חזון לילה *Accidit quod in somnio visionis nocturnæ.* Appositè utemur quando aliquis repente excidit spe suâ, quam tanquam, somnio nequicquam ac frustra conceperat. Simile apud authores profanos, εἴλα ἐξεργόμην. Visa somniorum plerumque vana sunt. Somniantes multa speramus & facimus: dein de somno soluto nihil est, velut cum somniamus nos comesse aut bibere, & mox experrecti sentimus inanem stomachum nostrum. Proverbii usus & explicatio talis. Jes. 29. 7.

125. *Aspis surda.*

פתן חרש יאטם אזנן *Aspis surda obturans aurem suam.* Aspides auditum habent subtilissimum. Itaq; cum incantantur aurem alteram terræ admovent, alteram cauda obturant, cu us rei testis est Nicolaus. R. Salomo enarratur ordinarius Ebræorum scribit unâ aurium surdescente, quod sit præsenio, alteram ab iis pulvere implerique ne vox excantantis penetrare possit. Priorem sententiam confirmat chereurialis in primo de venenis, ita scribens. *Ea est natura aspidum, ut quotiescunque excantantur, caudâ obturent aures, ne audiant verba incantatoris: & hac est ratio propter quam nuncupantur surda.* Quadrabit igitur in versutum & callidum veteratorem, qui tum cum maximè audit, id agit ut nihil audire videatur. Conveniet etiam in eos qui audire nolunt salutare admonitiones, sumprum ex Psal. 58. 5.

126. *Tugurium in vinea.*

כנה בכרם *Tugurium, five umbraculum, in vinea.* Jes. 1. 8. *Relicta est filia Sion ut umbraculum in vinea.* Similitudo proverbialis, quæ sumta (videatur certè) à casulis custodum vinearum, quæ post vindemiam desertæ relinquuntur, nemine eas incolente. Ergò vastitatem significat, ut quod proximè sequitur

127. *Casula in Cucumerario.*

כמלונה במקשה *Ut casula in horto cucumerum.* Hier in comment. aut h. 1. *In cucumerario quoque parvula fiunt casula propter ardorem solis ad radios declinandos: & inde vel homines, vel bestiolas, qua insidiari*

solent natis frugibus, abigunt, cum autem ablata fuerint istiusmodi genimina, remanent arentia fruticum umbraculaque casulaque, recedente custode, quia non habet ultra quod seruet. Norabo in transcursu mendum, quod in editione Chaldaica, libris à Bonbergaculis. Nam in iis perspicue במקשי scriptum: tu emenda audacter, & repone במקשי ex comment. R. R. Salomouis, tum etiam ex Lexico Eliæ. scire licet Chaldaeos mutata Ebraeorum in ו sic dicunt וקשי cucumer: unde Carthe apud Medicos. Glossa Arabica Carthe, vel Cethe, incurruo Legerim Cate vel Cete Ebraice קישואי

## 128. Pannus menstruatus.

Jesa. 64. 4. Ut pannus menstruatus omnes omnes iustitia nostra. כגד עדי is est pannus sanguine menstruo pollutus: dictus ita; ut conijcio, è עדע removebit, ut Græcè ἀποκαθέρμενος. Vocatur etiam ἀποκαθέρμενη mulier cui menses profluunt, videlicet à verbo ἀποκαθέρμεναι. Idem valet עדע unde עדי q. pannus abjectus, aut quem omnes averfantur & à se removent. Conjecturam meam juvat etiam Thargum, h.e. interpretatio Chaldaica, לבוש מרחק Nam מרחק verbum è verbo, procul amovendus. In eadem Lingua רחוק est אלאמ, quod Ebraice נדה dicitur, i. menstruum sive menses, sed quid sibi vult cum ait, iustitia nostræ ut pannus menstruatus? Sanguis menstruatus detestabilis est iis maximè qui rerum naturalium peritiam habent: Nec injuriâ. Nam experienciâ cognitum evadere interdum purum venenum. Menstrui virus describit lib. 7. cap. 15. Plinius, quem te adire volo. Vide quæ scripsimos in proverbio. Vel tunicam odit. Hoc igitur vult dicere, Iustitiæ nostræ Deo abominationi sunt: Ita dico, detestatur penitus virtutes nostras, & aversus est planè ab iis, non aliter quàm homo aversus est à panno mulierum labe infecto.

## 129. Pannus prægantium.

Quid prohibet alias interpretationes veterum adducere? Igitur Simmnachus עדי vertit Κυσαίων. id expono ut significant pannum quo utuntur mulieres in partu ad accipiendum fœtum. Κυσαίων, id est עדי à verbo Aramæo, עדע de quo diximus, quod inter alia etiam concipere: Unde עדי mulier grævida & prægans.

## 130. Pannus testimonii.

Cæterùm עדי μαρτυρίων cum transferret Aquila Ponticus, videtur mihi legisse עדי aut saltem positum existimasse עדי pro עדים i. μαρτυρίων. עד ut testem significant, sciunt omnes, pro testimonio paucis notum. Sic in Genesi גלעד acervus testimonii: & in decalogo, Non dices עד שקר testimonium falsum sed quid pannus testimonii? Autore Hieronymo, est Pannus quo sanguis in primo coitu Maritali approbatur. Addam pro corollario in scriptis Magistrorum reperiri עדי veste veteri lacera ac derrita: Cujus scholion כרמוש à Nathane iusto interpretatur frustum panni veteris.

## 131. Omnes defluimus ut folia.

Quam sit vita hominum fluxa & caduca ostendit elegans Homeri versus proverbialis ex Iliad.

Οὐ πτεροφύλλων γενεή, ποιήδε δὲ ἀνδρῶν. In hanc sententiam laudare poteris locum simillimum ex Jes. 64. 6. כלה כעלה כלנו ונבל כלנו & defluimus ut folia omnes nos. Dices Homerum locum hunc exprimere voluisse.

## 132. Pellicanus deserti (alias Pelicanus unico L. reperio &amp; Pelecanus.)

Psal. 102. 7. κομονύθην πελεκῶνι ἐρημικῶ. Similis fui Pellicano deserti: Alii platea deserti: Sed qua in re similis? aut quod ab omnibus distingeretur a potius quod vocem ederet gemebundam similem voci pellicani? אקת interpretatione Græcā πελεκῶν, quam veram arbitror, appellatio à vomendo Id huic avi non malè convenit, si verum quod historiæ animalium scriptores memoriæ prodiderunt. Scribunt eam conchas devoratas, postquam calore stomachi concoctus fuerunt, rursus evomere, ut facilis carnem à testu se ligat. In Misra vocatur קי קי Syrè אקמא.

## 133. Noctua vastitatum.

Noctua vastitatum: h.e. degens in locis vastis ac destructis. Prius Hieronymus ediderat, bubo solitudinum. In Græcis ὡσεὶ νοκτικῶραξ ἐν ὄνκαπέδω, i. interprete Augustino, in parietinis, sanè ὀκόπεδον exponitur in Lexicis solum domus diruta sive ruderum edificii collapsi. Idem annotat ad h.l. quæ citata invenies in Glossa ordinaria. Verus prædicator si venit inter eos ubi Christiani non sunt, pellicanus est in solitudine. Si ad eos qui fuerunt & ceciderunt, tunc ηγέλιχοραξ est in parietinis, quia nec tenebras eorum deserit, sed vult eos lucrari, si venit ad eos qui crediderunt nec ceciderunt, manentes in domo, sed tepide agentes, passer es in testu, opinor vos animadvertere quàm hæc sint aliena à mente Davidis, & parum solida, vel etiam Augustino digna.

## 134. Firmus terra.

Firmus aut stercus, terra. Hoc proverbiale (si proverbiale appellari potest) explicatur de iis, qui insepulci in agris relinquuntur, cadaveribus ibi putrescentibus, & humum stercorantibus. Cui simile in Græcorum adagiis, νέκυες κοπρίων ἐκβλητότεροι. Exstat Psal. 83. 12.

## 135. Umbra sicut nox.

Umbra sicut nox sive umbra noctis, sicut dicimus umbra nubis, pro densa & opaca. Jes. 16. 3. pone sicut noctem (vel sicut noctis: ut umbra intelligatur) umbram tuam in media meridie. Hoc ait, præsta ei validum præsidium in æstu rerum adversarum. Ponere umbram pro præsidio esse; & in meridie, quando sol maximè fervet, pro, in adversis, metaphoræ sunt non minùs usitatae quàm elegantes.

Atque hinc finis sit Paræmiarum sacrarum: quas non omnes adduxi fateor (neque enim temporis impensarumque ratio id permittebat.) sed tamen ex iis quos adduxi facilè cuius iudicium facere de reliquis, fortasse aliquando addendis, si Deus otium cum valetudine concesserit, & si viris eruditis hõsce meos labores non displicere intellexero.